3 2 79,8

Digitized by Google

IMMANVELIS KANTII

OPERA

AD

PHILOSOPHIAM CRITICAM.

VOLUMEN PRIMUM,

CVI INEST

CRITICA RATIONIS PVRAE

LATINE VERTIT

FREDERICVS GOTTLOB BORN.

LIPSIAE

IMPENSIS ENGELHARD BENIAMIN SCHWICKERTI

MDCCLXXXXVI.

Digitized by Google

AD LECTOREM

INTERPRES.

Diſſolui tandem nomen, quod annis abhinc octo, et quod excurrit, contraxeram, operumque Kantii philoſophiam criticam ſpectantium volumen primum, quo critica rationis ſimplicis ac genuinae continetur, coeptum iam tum, ſed variis negotiis atque laboribus hucusque interruptum, oratione latina veſtitum exhibui. Reliqua intra anni ſpatium aliquot voluminibus comprehenſa ſequentur.

Ac primo quidem animus erat, in vertendis his libris rationem habere et latinitatis purae et orationis popularis, ita, vt, miſſis verbis technicis quaſique priuatis, ſolis vterer vulgi vocabulis ac publicis. Verum breui videbam, neque vbiuis conſuli puritati ſermonis poſſe, niſi ſubinde res ipſa eo quodammodo obſcuretur, neque omnia verbis vulgaribus enunciari; propterea quod in omni arte, cuius vſus vulgaris communisque non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, oportebit, cum conſtituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte verſentur, de rebusque non peruulgatis verbis vtendum inuſitatis videatur. Itaque mutaui conſilium, ſatiusque eſſe duxi, vt, quoad poſſem et liceret, a genere dicendi puro diſertoque haud recederem, vbi autem verbum latinum minus occurreret, vel metuendum videretur, ne ſententia eo redderetur ambigua atque incerta, aut pluribus idem verbis expoſui, aut exprimi verbum e verbo malui. Acceſſit, quod fere in profligando opere intelligerem, philoſophum Regiomontanum nonnullis verbis technicis vti vt ſuis, velut vniuerſitatis, omnitudinis et ſimilibus, aliis ſuo peculiari modo, veluti notionis, conceptus, perceptionis, vniuerſalitatis, et quae ſunt generis eiusdem, quae partim omnino haud bene latina nec veteribus no-

ta, partim alio ab his ſenſu accepta viderem; a quibus igitur memet abſtinere, religio fuit.

Caeterum cenſores aequi bonique, ſi, quae forte peccata fuerint, humaniter velint mecum communicare, et magnam ea re a me gratiam inibunt, et mihi copiam facient, ſin iterum exemplaria typis deſcribenda ſint, quae in vitio ſunt, emendandi.

Volumen vltimum indice dictionis Kantianae breuiter explicatae ornabo. Scripſi nundinis vernalibus, in vniuerſitate literarum Lipſica a. p. ſ. CIↃIↃCCLXXXXVI.

3-2-798

MAGNIFICO

ERNESTO PLATNERO

SUMMO

ET MEDICO ET PHILOSOPHO

HOC OPUS PIE DEDICAT

INTERPRES.

CRITICA
RATIONIS PVRAE.

BACO DE VERULAMIO.

Inſtauratio magna praefatio.

De nobis ipſis ſilemus: de re autem, quae agitur, petimus: vt homines eam non opinionem, ſed opus eſſe cogitent; ac pro certo habeant, non ſectae nos alicuius, aut placiti, ſed vtilitatis et amplitudinis humanae fundamenta moliri. Deinde vt ſuis commodis aequi -- in commune conſulant -- et ipſi in partem veniant. Praeterea vt bene ſperent; neque inſtaurationem noſtram vt quiddam infinitum et vltra mortale fingant, et animo concipiant; quum reuera ſit infiniti erroris finis et terminus legitimus.

PRAEFATIO AUCTORIS PRIOR.

Ea eſt ſingularis ſors humanae rationis in quodam genere cognitionum, vt quaeſtionibus deſatigetur, quas non poſſit recuſare, quoniam vniuerſae ſunt ei per ipſam rationis naturam propoſitae, ad quas vero ea non poteſt reſpondere, eo quod omnem rationis humanae facultatem videntur ſuperare. Neque per ſuam ipſius culpam in eam difficultatem incidit. Orditur a decretis, quorum vſus in curſu experientiae non poteſt euitari, idemque ſatis eſt per eam probatus. Hiſce illa adſcendit altius (ſic enim ipſius natura fert,) ad conditiones remotiores. Cum vero ſentiat, hoc modo laborem ſemper manere imperfectum oportere, ſi quidem nullus vmquam finis quaeſtionum ſit, cogitur ad decreta confugere, quae omnem, qui fieri poſſit, vſum empiricum transmigrant, et tamen videntur tam proba, vt ratio hominum communis cum iis conſentiat. Quo quidem fit, vt in obſcuritates ſeſe et repugnantias praecipitet, e quibus quidem intelligere poſſit, vſpiam debere errores fundamento abſconditos latere, quos vero nequeat aperire, propterea quod, quibus vtitur, decreta, cum vniuerſae experientiae terminos tranſeant, nullam amplius experientiae obruſſam agnoſcunt. Atque arena illa quidem infinitarum huiusce concertationum dicitur metaphyſica.

Fuit quondam tempus, quo illa diceretur regina artium vniuerſarum, et ſi animum pro facto ſumſeris, ſane quidem per grauitatem rerum ſibi propoſitarum digna erit, quae hoc nomine honorifico ſalutetur. Nunc fert conſuetudo aetatis, vt repudiata deſertaque cum *Hecuba* queratur matrona:

— — modo maxima rerum
tot generis natisque potens —
nunc trahor exſul inops.

Ovid.

Initio quidem imperium illius ſub adminiſtratione dogmaticorum fuit inſtar deſpotarum. Verum, cum legislatio adhuc veſtigia oſtenderet priſcae barbariei, factum eſt, vt bellis internis ſubinde in veram anarchiam degeneraret, ſceptieique, genus quoddam Nomadum, omnem perpetuam ſoli culturam abominantes, de die in diem coniunctionem ciuilem diſſoluerent. Quorum autem cum modo pauci eſſent, non poterant impedire, quominus illi rurſum denuo, quamquam haud ex conſilio communiter conſpirante, conarentur accolere. Recentioribus temporibus vniuerſis concertationibus iſtis per certam quamdam humanae intelligentiae phyſiologiam (a celeberrimo *Lockio*) videbatur finis imponi petitionumque illarum iura diiudicari; ſed accidit, vt, quamuis putatitiae reginae iſtius natales ex plebe experientiae vulgaris deriuarentur, quo quidem illius arrogantia iure debuiſſet ſuſpecta reddi, tamen, quoniam natales iſti reapſe falſo illi adficti eſſent, ſemper iura ſua vrgeret, quo vniuerſa rurſus in obſoletum iſtum et vermiculoſum dogmatismum reciderent, a quo ſcientiam voluiſſent liberare. Iam, omnibus viis (vti creditur) fruſtra tentatis, taedium dominatur totusque indifferentismus, pater atri chaos noctisque in artibus, ſed idem tamen origo, certe praeludium inſtantis transformationis eius et colluſtrationis, ſi opera male collocata obſcurata eſt, confuſaque atque inutilis facta.

Quippe nihil attinet indifferentiam adfectare ratione inueſtigationum, quibus quae propoſita ſunt non poſſunt non maxime humanae naturae intereſſe. Praeterea

putatitii iſti indifferentiſtae, vt maxime mutata conſuetudine loquendi ſcholarum in orationis popularis formam cogitent mutare, ſi modo omnino aliquid cogitent, neceſſario recidunt in adſertiones metaphyſicas, quas tantopere prae ſe ferunt contemnere. Interim tamen haec indifferentia, quae in medio flore vniuerſarum artium ſe exſerit, easque attingit ipſas, a quarum notitiis, ſi haberi poſſent, omnium nos minime abdicaremus, res eſt et attentione digna, et meditatione. Manifeſtum eſt, eam non fructum temeritatis eſſe leuitatisque, ſed facultatis iudicandi maturatae *) aetatis, quae haud diutius putatitia ſe patiatur ſcientia decipi, prouocationemque ad rationem, vt omnium negotiorum ſuorum moleſtiſſimum, nempe ſui ipſius cognitionis, denuo ſuſcipiat, forumque conſtituat iudiciale, quod iura ſibi tuta praeſtet, omnemque inanem arrogantiam non ſententiis imperioſis repellere poſſit, ſed ex aeternis legibus ſuis et immutabilibus, idque nullum eſt aliud, niſi critica rationis purae.

Sed criticam rationis purae non dico cenſuram librorum et ſyſtematum, ſed facultatis rationalis in vniverſum, reſpectu cognitionum omnium, ad quas, ab omni

*) Paſſim audiuntur querelae de tenuitate rationis philoſophandi noſtrorum temporum, decrementoque verae ſcientiae. Verum haud equidem video, eas, quae bene conſtitutae ſunt, ſcientias, velut matheſin, phyſicam et id genus alias, hanc reprehenſionem vllo modo merere, ſed veterem potius veritatis gloriam tueri, in poſteriori autem adeo ſuperare. Sed eadem vis etiam in aliis cognitionis partibus ſeſe exſereret, ſi modo primum cura habita fuerit principiorum emendandorum. Qua vero neglecta, et indifferentia, et dubitatio, et ſtrenua denique critica argumento ſunt potius motus animorum ſolidioris. Noſtra haec aetas eſt propria aetas criticae, cui ſe omnia ſubiiciant, neceſſe eſt. Religio ſanctitate ſua, et maieſtate legislatio plerumque volunt ei ſe ſubtrahere. Tum autem in iuſtam ſuſpicionem incurrunt, neque aeſtimationem poſſunt poſcere ſinceram, quam iis ſolis ratio concedit, quae in libero publicoque ipſius examine ſtare potuerunt.

experientia libera,poſſit anniti,proinde diiudicationem poſſibilitatis aut impoſſibilitatis metaphyſices in genere, conſtitutionemque tum fontium, tum ambitus atque compagis, tum vero terminorum illius, ſed cuncta haec ex principiis.

Atque hanc, quae vna relicta fuit, viam equidem ſum ingreſſus, in eaque modum opinor aperuiſſe, quo vniuerſae queant aberrationes vitari, quibus factum eſt, vt in vſu ab experientia libero ſecum ipſa ratio diſſentiret. Quaeſtionibus eius haud eo fere memet ſubduxi, quod impotentiâ rationis humanae excuſarem, ſed eam totam ex principiis per partes dinumeraui, apertoque diſſenſus rationis ſecum ipſius capite, diſſenſiones ita ſuſtuli, vt ei prorſus ſatisfactum videretur. Verum eſt, ad quaeſtiones illas haud ita eſſe reſponſum, vti curioſitas dogmatice inſaniens fortaſſe exſpectauerit; quae quidem non poſſet niſi artibus magicis, a quibus equidem prorſus alienus ſum, expleri. Nec vero etiam hoc e conſilio eſt finis naturalis rationis noſtrae, quodque fuit philoſophiae, vt ſcilicet fucus ex male intellectis exortus tollatur, quamuis plurimum celebratae opinionis et adamatae eo deleatur. In hac tractatione potiſſimum in eo fui, vt ſatis longus eſſem, audeoque dicere, ne vnam quidem quaeſtionem eſſe metaphyſicam poſſe, quae in hoc opere haud ſoluta ſit atque expedita, cuiusue aperiendae haud ſaltim clauis ſuppeditetur. Ac ſane quidem ratio pura in vnitate verſatur tam perfecta atque abſoluta, vt, etiamſi principium illius vel ad vnam omnium quaeſtionum, per propriam ipſius naturam propoſitarum, haud idoneum eſſet, illud fere poſſit abiici, quoniam tum reliquis omnibus haud idoneum foret.

Ac mihi quidem haec ſcribens in vultu lectoris indignationem quandam videre videor mixtam cum contemtu de arrogantia ad ſpeciem iactante atque immodeſta,

et tamen ea longe moderatior eſt, quam cuiusque auctoris vulgariſſimi programmatis, quo ſimplicem animae naturam, vel neceſſitatem primi initii mundi geſtit probare. Hic enim pollicetur cognitionem humanam vltra omnes, qui fieri poſſint, experientiae terminos prolaturum ſe atque amplificaturum, quod modeſte profiteor facultatem meam prorſus ſuperare, contra ea vero tantummodo de ratione ipſa eiusque cogitatione pura tracto, cuius cognitionem plenam haud e longinquo petere opus habeo, quippe quam in me ipſo inueniam, cuiusque mihi iam logica vulgaris exemplum praebeat, ita, vt omnes eius actiones ſimplices plene poſſint ac ſyſtematice dinumerari; hoc autem loco quaeſtio proponatur, quantum, demta mihi omni materia atque ope experientiae, ea queat effici?

Sed ſatis verborum fecimus de plenitudine in vno quoque fine attingendo explanataque ratione conſequendorum finium vniuerſorum, quos haud arbitrarium inſtitutum proponit, ſed ipſa cognitionis natura, tamquam materiam criticae noſtrae inueſtigationis.

Iam vero certitudo et perſpicuitas res duae ſunt, eius formam ſpectantes, quae neceſſario requirantur, conſiderandae, quae iure poſſunt ab auctore, qui tam lubricum inſtitutum audet adgredi, poſtulari.

Quod igitur certitudinem attinet, mihimet ipſi tuli ſententiam: in hoc inueſtigationis genere nullo modo licitum eſſe opinari, omniaque, quae ſimilitudinem habeant hypotheſeos, inſtar mercis interdictae vetari, neque minimo pretio debere venire, et, ſimulatque innotuerint, publicanda eſſe. Namque vnaquaeque cognitio, quae ex anticipatione fixa rataque eſſe debet, ipſa innuit, ſe velle pro abſolute neceſſaria haberi, multo magis autem

conſtitutio omnium cognitionum purarum ex anticipatione, quippe quae norma, proinde ipſo eſſe exemplo debeat vniuerſae apodicticae certitudinis philoſophicae. An promiſſis meis hac in re ſteterim, iudicio relinquetur lectoris, ſi quidem auctorem decet tantummodo rationes proponere, non vero de effectis illarum in iudice decernere. Ne quid autem per innocentiam cauſa ſit infirmandarum earum, illi ſane licuerit, vt ipſe locos indicet, qui poſſint anſam quandam diffidendi praebere, quamuis duntaxat ſpectent finem ſecundarium, vt vis, quam minima lectoris ambiguitas ea in re ratione finis primarii exſerere in ſententiam poſſit, mature arceatur. Nullas noui inueſtigationes ad percontandam facultatem, quam intelligentiam vocamus, itemque ad regulas terminosque vſus illius conſtituendos grauiores, quam quas poſteriori capite analytices transſcendentalis, quod deductio conceptuum purorum intelligentiae inſcriptum eſt, inſtituimus, quaeque mihi plurimum, nec vero, opinor, fruſtranei laboris faceſſerunt. Cui quidem contemplationi paullo profundius inſtitutae propoſitae res duae ſunt, quarum vna res attingit rationi purae ſubiectas, cuiusque conceptuum ex anticipatione valorem debeat obiectiuum euincere ac docere, ob eamque cauſam neceſſario conſilium meum attingit. Altera deinde id agit, vt ipſa intelligentia pura, quoad poſſibilitatem viresque cognoſcendi, in quibus ipſa poſita eſt, proinde ſubiectiue ſpectata, ſub rationem vocetur, quaeque expoſitio, quamuis reſpectu finis primarii mihi propoſiti permagni momenti videatur, tamen haud neceſſario ad illum pertinet; ſi quidem caput quaeſtionis ſemper idem manet, quid ſcilicet quantumque intelligentia poſſit ratioque, ab omni experientia libera, cognoſcere, non vero, qui fiat, vt ipſa cogitandi facultas

eſſe queat. Quod quidem poſterius cum in quadam quaſi indagatione cauſae ad certum quoddam effectum cernatur, atque eatenus quiddam ſimile contineat hypotheſeos (quamquam, vti alio loco oſtendam, reapſe haud ſic ſe habet), videtur hic mihi venia concedi poſſe opinandi, proinde et lectori eſſe liberum debere ſecus opinari. Cuius quidem reſpectu lector praemonendus videtur, ſi forte deductio mea ſubiectiua haud plenam illi, quam exſpectaueram, fidem fecerit, tamen obiectiuam, quam hoc loco potiſſimum curo, vim omnem ſuam fore accepturam.

Ratione perſpicuitatis denique lector iure poterit primo perſpicuitatem *diſcurſiuam* ſiue *logicam* ex conceptibus poſtulare, tum vero etiam *intuitiuam* ſeu *aeſtheticam* ex viſionibus, hoc eſt, exemplis aliisque modis in ſingulo (concreto) illuſtrandi. Ac logicae perſpicuitati quidem ſatis proſpeximus. Hoc enim ſpectabat inſtituti naturam, ſed idem fortuito in cauſa fuit, vt alteri (aeſtheticae), haud tam ſeuerae quidem legi, ſed tamen aequae, minus potuerim ſatisfacere. Fere in perpetuo laboris progreſſu dubius fui, quid ea de re ſtatuerem. Exemplis illuſtrationibusque ſemper opus videbatur, eaque proinde ſuis quaeque locis in prima operis delineatione rite inculcauimus. Sed et magnitudinem quaeſtionis propoſitae, et copiam rerum tractandarum breui perſpiciebam, et cum intellexiſſem, his ſolis in ieiuna mereque ſcholaſtica tractatione opus ſatis extenſum iri, alienum a propoſito iudicaui, ſi exemplis et illuſtrationibus, ad ſolam rationem popularem neceſſariis, molem operis adaugerem, praeſertim cum hic labor nullo modo poſſit ad vſum popularem aptari, genuinique ſcientiae aeſtimatores ea re haud ita in-

digeant, grata illa quidem ſemper, ſed quae hoc loco fere poſſit conſilio haud conuenire. Quod Terraſſonus abbas dicit: ſi magnitudinem libri haud ex numero foliorum, ſed ex tempore metiare ad intelligendum illum neceſſario, quemdam ſubinde librum dici longe breviorem poſſe, niſi tam breuis foret; id contra, ſi facilitatem ſpectaueris totius cuiuspiam diffuſae, ſed vero principio cohaerentis cognitionis contemplatiuae, dici eodem iure poterit, quemdam librum multo magis fore perſpicuum, niſi tantopere perſpicuus reddi debuiſſet. Namque adiumenta perſpicuitatis deſunt quidem in partibus, ſed ſaepenumero diſſipata ſunt in toto, propterea quod lectorem non ſatis cito ad perſpicientiam totius adducimus, et lucidis coloribus articulationem ſyſtematis nihilominus oblinimus atque obſcuramus, quod quidem caput eſt in vnitate firmitateque illius diiudicanda. Ac lectori quidem, opinór, haud paruo eſſe incitamento poteſt, vt ſtudium ſuum cum opera auctoris coniungat, ſi ſperare poſſit, magnum opus et graue ad formam propoſitam totum itemque duraturum abſoluere. Atqui metaphyſica, ex conceptibus, quos hoc loco de ea ſumus propoſituri, omnium artium vna eſt, quae eiusmodi abſolutionem, eamque breui tempore, et modico, ſed coniuncto labore poſſit ſperare, ita vt nihil quidquam reliqui fiat poſteritati, niſi vt in ratione didactica omnia ad eam conſtituat, neque tamen vllo modo queat materiam augere. Neque enim non niſi index eſt omnium noſtrarum poſſeſſionum per rationem puram, ſyſtematice compoſitus. Nihil nos hic poteſt fugere, ſiquidem, quae ratio pura ex ſe producit, non poſſunt occultari, ſed ipſa per rationem in aprico ponuntur, ſimulatque principium illius commune repertum ſit. Vnitate perfecta huiuscemodi cognitionum, et quidem ex meris conce-

ptibus puris, ita vt nullum quidpiam empiricum, vel tantummodo ſingularis viſio ad certam ac definitam experientiam ducat, in eaque vim poſſit exſerere, amplificanda atque augenda ſit, vt haec plenitudo abſoluta non modo effici queat, ſed etiam neceſſaria.

Tecum habita, et noris, quam ſit tibi curta ſupellex.
Perſius.

Eiusmodi ſyſtema rationis purae (contemplatiuae) ipſum ſpero memet aliquando editurum, quod inſcribatur: *Metaphyſica naturae*, quod non dimidia quidem parte tam longum ſit, ſed vberiorem materiam contineat, quam haec critica, quam primo fontes oportebat et conditiones poſſibilitatis illius proponere, ſolumque obſoletum purgare debebat et planum facere. Hic lectoris patientiam exſpecto aequamque mentem iudicis, illic autem facilitatem et adiutorium ſocii; quamuis enim pleniſſime ſint vniuerſa principia ſyſtematis illius in critica propoſita, tamen ad plenam ſyſtematis ipſius rationem praeterea pertinet, vt ne conceptus deriuati deſint, quae non poſſunt ex anticipatione numerari, verum qui ſubinde debent conquiri, cumque ibi tota conceptuum ſyntheſis exhauriretur, praeterea hic poſtulatur, vt idem etiam fiat reſpectu analyſeos, quae omnia facilia ſunt, magisque iucunditate ſua oblectant, quam labore fatigant.

PRAEFATIO AUCTORIS POSTERIOR.

An tractatio cognitionum, quae ſub negotia rationis cadunt, certum iter ſcientiae facere queat, nec ne, mox poterit ex euentis diiudicari. Si ea poſt multum apparatum, ſimulatque ad ſcopum ventum ſit, haereat, aut, quo illum attingat, ſaepius regrediatur aliamque viam inſtituat: itemque ſi fieri nequeat, vt varii laboris ſocii in modo conueniant, quo communis ſcopus debeat feriri: ſemper poterimus eſſe perſuaſi, eiusmodi ſtudium minime tutum iter perſequi *ſcientiae*, ſed tantummodo hic illic palpare, ac praeclare iam de ratione agemus, ſi, quantum fieri poſſit, eam viam conemur aperire, vt etiam nonnullis debeat tamquam fruſtra tentatis abdicari, quae fini inerant temere antea conſtituto.

Logicam inde ab antiquiſſimis temporibus hoc tutum iter inſtituiſſe, inde poteſt perſpici, quod ei poſt *Ariſtotelem* ne paſſus quidem retro ponendus fuerit, niſi fere remotionem ſubtilitatum inutilium quarundam, dilucidioremue conſtitutionem eorum, quae pertractata erant, pro emendationibus habueris, quae vero magis ad elegantiam ſcientiae faciunt, quam ad certitudinem. Eſt etiam notatu dignum, eam ad hoc ipſum tempus ne vllum quidem paſſum potuiſſe progredi, ideoque confectam omnino abſolutamque videri. Cum enim quidam recentiores eo credebant illam amplificari atque augeri, ſi partim locos *pſychologicos* de variis cognoſcendi viribus (phantaſia atque ingenio), partim *metaphyſicos* de cognitionis origine, de variis formis certitudinis pro diuerſitate rerum obiectarum (idealiſmo, ſcepticiſmo, et ſic porro), partim *anthropologicos* de opinionibus praeiudicatis (earumque cauſis et remediis) infererent, fece-

runt id quidem pro imperitia ſua propriae huius ſcientiae naturae. Non augentur artes, ſed deformantur, cum earum termini confuſi miſcentur; ſed termini logices eo accurate conſtituti ſunt, quod ea ſcientia eſt, quae nihil niſi vniuerſae cogitationis regulas (ſiue ea ex anticipatione fiat, ſiue empirice, originemque, remve ſibi, quam velis, ſubiectam, habeat, in animoque fortuita impedimenta inueniat, an naturalia), plene proponit, ſtrictimque euincit.

Logicae tam bene ſucceſſiſſe, ſoli illius circumſcriptioni tribuendum videtur, qua iure poteſt, quia obligata tenetur, ab omnibus rebus cognitioni obnoxiis earumque diſcrimine ſeſe continere, in eaque proinde intelligentia non niſi in ſe ipſa ſuaque forma occupatur. Longe difficilius per naturam rei rationi eſſe neceſſe fuit, viam ſcientiae certam ingredi, ſi haud in ſe ipſa ſolum, verum etiam in rebus obiectis verſatur; vnde illa quoque qua propaedeutica quaſi veſtibulum artium conſtituit, et, ſi de notitiis ſermo ſit, logica quidem ad eas diiudicandas ponitur, ſed comparatio illarum in artibus, proprie atque obiectiue ita dictis, anquirenda videtur.

Quatenus igitur in his ineſſe ratio debeat, neceſſe eſt, vt ex anticipatione aliquid in iis cognoſcatur, earumque cognitio dupliciter poteſt ad rem ſibi ſubiectam referri, nimirum vt aut haec eiusque conceptus (qui alibi dari neceſſe eſt) tantummodo *determinetur*, aut *realis reddatur*. Illa eſt *theoretica* rationis cognitio, haec *practica*. Vtriusque pars *pura*, quam multum ea quamve parum contineatur, ſcilicet ea, qua ratio prorſus ex anticipatione rem ſibi ſubiectam determinat, ante ſola tractanda eſt, neque, quae ex aliis fontibus promanant, cum iis debent confundi; male enim de re agitur, ſi

temere expendas, quae lucratus fueris, ita vt, cum illa haereat, nequeat diſcerni, quae pars quaeſtus ſumtum ſuſtinere poſſit, atque a qua ſit ille retinendus.

Matheſis et *phyſica* duae ſunt rationis cognitiones theoreticae, quae *res* ſibi *ſubiectas* debent ex anticipatione conſtituere, illa tota *pure*, haec ex parte ſaltem, tum vero etiam pro aliis cognitionis fontibus, quam rationis.

Ab antiquiſſimis temporibus, ad quae pertinet hiſtoria rationis humanae, in populo Graecorum admiratione digniſſimo *matheſis* tutam ſcientiae viam inceſſit. Sed non exiſtimandum eſt, illam viam illam regiam tam facile potuiſſe inuenire, vel potius ſibimet ipſam munire, quam logica, in qua ratio in ſe ipſa occupatur; potius credo, diu illam (praeſertim in Aegyptiis) palpaſſe, eamque mutationem *conuerſioni* cuidam tribui debere, quae felix vnius viri ingenium in periculo quodam confeciſſet, vnde via, qui inſiſtendum eſſet, non amplius poſſet praeteriri, tutumque iter ſcientiae omnibus temporibus atque in infinitis diſtantiis ingreſſum eſſet ac delineatum. Hiſtoria huiusce conuerſionis motus animorum, longe illa quidem grauior inuentione viae circa nobile illud promontorium, ingeniique illius felicis, quod eam confecerat, ad noſtra tempora haud pervenit. Attamen fama, quam nobis *Diogenes Laërtius* tradidit, inuentorem nominans minimorum, atque ex communi ſententia, ne argumento quidem indigentium, elementorum demonſtrationis geometricae, probat, memoriam mutationis, primo huiusce nouae viae apertae veſtigio effectae, mathematicis longe grauiſſimam viſam eſſe oportuiſſe, eoque obliuioni fuiſſe ereptam. Primo, qui *triangulum aequilaterum* demonſtrauit (ſiue *Thales*

dictus fuerit, ſiue vtcumque), clarius lumen illuxit; namque reperit, non ea, quae in figura videret, vel etiam ſolum illorum conceptum ſe indagare, quaſique proprietates eorum inde diſcere, ſed iis, quae ipſe ſecundum conceptus ex anticipatione cogitando inderet ac proponeret (per conſtructionem), producere oportere, atque, vt certo aliquid ex anticipatione ſciat, rei nil quidquam ſe debere tribuere, quam quod neceſſario conſequatur ex iis, quae conceptui ſuo conuenienter ipſe in eam indidiſſet.

Longe tardior inceſſit phyſica, priusquam viam artium publicam offenderet; ſiquidem modo ſesquiſeculum eſt, ex quo conſilium ingenioſi *Baconis* de *Verulamio* huic inuentioni anſam dederit, partim etiam, cum iamiam in eius veſtigio eſſent, magis ea frequentaretur, id quod itidem poteſt e ſubita animorum conuerſione enodari. Phyſicam in praeſentia, quatenus in principiis *empiricis* conſtituta eſt, conſiderabo.

Cum *Galilei* globos in obliqua planitie cum pondere a ſe ipſo lecto demiſerat, vel *Torricelli* pondere onerarat aëra, quod antea cogitaſſet aequale columnae aqueae ſibi notae, vel ſequiori tempore *Stahlius* metalla in calcem mutarat, rurſusque hanc in metalla, detrahendo iis aliquid addendoque *); tum phyſicis vniuerſis lux exorta eſt. Comprehenderunt, rationem ea tantum perſpicere, quae ipſa ex conſilio producit, eamque cum principiis iudiciorum ſuorum ex legibus conſtantibus praeire debere et naturam cogere, vt ad quaeſtiones ſuas reſpondeat, non vero ſe ab ea ſola quaſi ductitari pati oportere; alioquin enim fortuitae, ad nullum antea deſcriptum ordinem inſtitutae obſeruationes neuti-

*) Hoc loco haud accurate ſequor filum hiſtoriae methodi experimentalis, cuius prima initia quoque haud ita nota ſunt.

quam in lege quadam neceſſaria cohaerent, quod tamen ratio et expetit, et opus habet. Rationem cum principiis, ex quibus ſolis conuenientia phaenomena poſſunt legum inſtar valere, vna manu tenentem oportet, altera experimentum, ad illas excogitatum, adire naturam, vt ab ea edoceatur, non ad modum tironis, cui, quae magiſtro placent, vniuerſa dictantur, ſed inſtar iudicis conſtituti, qui, ad quaeſtiones propoſitas vt reſpondeant, teſtes cogit. Atque ita adeo phyſica tam vtilem conuerſionem rationis ſuae conſilio acceptam fert, iis, quae ipſa ratio naturae infert, conuenienter, ea in illa quaerendi (non illi adfingendi), quae ſibi ſunt ab ea diſcenda, et de quibus per ſe ipſa nihil quidquam intelligeret. Quo factum eſt demum, vt phyſica certum iter ſcientiae inſtitueret, cum per tot ſecula non niſi palpaſſet.

Metaphyſica, quae cernitur in cognitione rationali contemplatiua prorſus ſolitaria, omnem omnino inſtitutionem empiricam ſuperante, et ſolis quidem conceptibus (non, vti matheſis, adhibitis iis ad viſionem), vbi proinde ratio ſui ipſius eſſe tiro debet, tanto fortunae fauore huc vsque haud gauiſa eſt, vt certam poſſit ſcientiae viam ingredi; quamuis ea caeteris omnibus vetuſtior ſit, manſuraque foret, etiamſi reliquae cunctae prorſus abriperentur voragine vniuerſa delentis barbariei. Namque in ea perpetuo haeret ratio, ſi vel leges, quae vulgariſſima experientia confirmat, perſpicere cupit ex anticipatione. In illa ſexcenties via repetenda eſt, quoniam haud eo, quo tendimus, illam ducere videmus, et quod conſenſum attinet ſectatorum illius in adſertionibus, tantum illa ab eo abeſt, vt potius palaeſtra ſit, quae proprie videatur deſtinata ad vires ludicro conflictu exercendas, in qua nullus vmquam pugil potuerit vel minimo loco potiri, ſtabilemque poſſeſſionem in vi-

ſtoria ſua conſtituere. Igitur nullum dubium eſt, rationem eius huc vsque meram fuiſſe palpationem, et quod peſſimum videtur, in ſolis conceptibus.

Ecquae ergo cauſa eſt, quod nulla hic ſcientiae certa via potuerit inueniri? Eane fortaſſe eſſe non poterit? Cur natura rationem noſtram indefeſſo ſtudio onerauit, viae iſtius in cauſa ſua grauiſſima indagandae? Iam vero non eſt, quod rationi noſtrae confidamus, cum in parte curioſitatis noſtrae grauiſſima nos non ſolum deſerat, verum etiam ſpe lactet, tandemque fallat. Sin autem illa via hucusque modo praetermiſſa ſit; quonam vti poterimus indicio, vt inueſtigatione redintegrata ſperemus, nos aliis, qui ante nos fuerint, fore feliciores?

Exiſtimauerim, exempla matheſeos et phyſices, quae conuerſione ſubito confecta id, quod nunc ſunt, euaſere, ſatis eſſe digna notatu, vt partem conuerſionis modi cogitandi, quae iis tam ſalutaris fuit, neceſſariam inueſtigemus, easque, quantum comparatio illarum, vtpote cognitionum rationalium, cum metaphyſica patitur, hac in re certe periclitando imitemur. Huc vsque ſumtum eſt, cognitionem noſtram vniuerſam ex rebus ipſis ſeſe effingere, ad easque componere debere, verum omnes conatus de iis ex anticipatione per conceptus quidquam decernendi, quo cognitio noſtra augeatur et creſcat, iſta ſumtione periere. Quamobrem faciamus periculum, anne in quaeſtionibus metaphyſicis melius nobis ſuccedat, ſi ſumſerimus, res ipſas noſtris debere notitiis obſequi, quod ipſum iam melius cum poſſibilitate cognitionis illarum ex anticipatione conuenit, quae de rebus ante debet quidpiam ſtatuere, quam nobis offerantur. Atque huiusce rei eadem ratio eſt, quae primi illius conſilii fuit *Copernici*, qui, cum intelligeret, nil quidquam profici in explicandis corporum coeleſtium motibus, ſi

omnem ſtellarum vim atque cateruam agi circum ſpectatorem poneret, tentauit, anne melius ſuccederet, ſi ſumeret, circumagi ſpectatorem, ſed ſtellas quieſcere. In metaphyſica, ratione *viſionis* rerum obiectarum, ſimiliter poterit tentari. Si viſione exprimi deberet ac referri rerum obiectarum natura, haud intelligo, quo tandem modo queamus quidpiam earum perſpicere; contra ea vero ſi res (qua ſenſibus ſubiecta) conformet ſeſe et componat ad naturam facultatis noſtrae intuitiuae, facile, quo iſtud fieri queat, modum potero cogitare. Quoniam vero in viſionibus hiſce, ſi naturam debeant induere notitiarum, conſiſtere haud poſſum atque immorari, ſed eas tamquam repraeſentationes ad aliquid, quod iis ſubiectum ſit, oportebit, referam, illudque his conſtituam, relinquitur, vt aut ſumere poſſim, *conceptus*, quibus conſtitutionem illam conficiam, ſequi id, quod ſubiectum viſioni eſt, tumque in eadem difficultate haereo, ratione modi, quo ex anticipatione quidquam de iis poſſim ſcire; aut res ipſas pono, viſionibus propoſitas, ſiue, quod idem eſt, *experientiam*, per quam nobis oblatae ſunt ad videndumque conceſſae, conceptibus his obſequi, continuo faciliorem exitum conſpicio, nam ipſa experientia in formis eſt cognitionis, quae opus habet intelligentia, cuius normam prius, neceſſe eſt, quam res mihi propoſita oblataque fuerit, proinde ex anticipatione ſumam, quae in conceptibus ex anticipatione exprimitur, quibus proinde res omnes experientiae obnoxiae ſeſe accommodare, cum iisque congruere neceſſario debebunt et conuenire. Earum quidem rerum, quae a ſola ratione, idque neceſſario, cogitantur, ſed talium, quales certe ab ratione cogitando informantur, experientiae nuſpiam obuiarum ſubiectarumque, ſi cogitationem moliare (nam ſane debebunt cogitari),

regulam hanc, velut lapidem quemdam Lydium, reperies probatam, nos nil quidquam in rebus ipſis ex anticipatione cognoſcere, niſi id, quod prius iis, indiderimus *).

Hoc periculum ex ſententia ſuccedit, et priori parti metaphyſices, quae ſcilicet in conceptibus verſatur ex anticipatione, quorum, quae ipſis reſpondeant, obiectae res illis conuenienter poſſunt per experientiam offerri, certum ſcientiae iter pollicetur. Ex hac enim mutatione modi cogitandi poſſibilitas commode poterit cognitionis ex anticipatione explicari, et, quod maius erit, leges, ex anticipatione fundamento conſtitutae naturae, vtpote complexui rerum experientiae propoſitarum, argumentis inſtrui idoneis poterunt, quod vtrumque ad rationem huc vsque frequentatam fieri non potuit. Sed ex hac deductione facultatis noſtrae ex anticipatione cognoſcendi in priori metaphyſices parte mirabile quoddam vniuerſoque illius fini, qui poſteriori parti propoſitus eſt, conſectarium promanat, vt videtur, vehementer noxium, ſcilicet vt numquam poſſimus vl-

*) Haec methodus ex phyſico expreſſa proinde in eo conſiſtit, vt elementa rationis purae quaerantur in iis, *quae experimento confirmari poſſint aut conuelli*. Atqui ad probanda rationis purae enunciata, praeſertim ſi ſupra terminos, quae poteſt eſſe, experientiae tententur, non poteſt experimentum fieri rerum ipſis ſubiectarum (quemadmodum in phyſica): ergo fieri duntaxat in *conceptibus* poterit ac *decretis*, ex anticipatione ſumtis, ſcilicet dum ea ita conſtituimus, vt eaedem res obiectae *partim* qua ſenſibus ſubiectae et intelligentiae in vſum experientiae, *partim* autem tamen qua res, quae tantummodo cogitantur, ſolitariae fere atque vltra terminos experientiae tentanti rationi propoſitae, proinde a duabus diuerſis partibus queant conſiderari. Si igitur accidit, vt, rebus hoc illo duplici reſpectu contemplatis, conuenientiae locus ſit cum principio rationis purae, ſed eodem reſpectu pugna rationis ſecum ipſius neceſſaria exſiſtat, experimento veritas illius diſtinctionis probatur.

tra terminos, quae poteſt eſſe, experientiae peruenire, quod ipſum tamen potiſſimum huic arti propoſitum videtur. Atque in hoc ipſo experimentum ineſt probationis contrariae in explorando vero conſectarii reſpectu cognitionis noſtrae rationalis ex anticipatione, vt nimirum ſola phaenomena ſpectet, contra rem ipſam in ſe ſpectatam per ſe veram quidem, ſed a nobis haud cognitam, in medio relinquat. Id enim, quod neceſſario nos pellit, vt terminos experientiae omniumque phaenomenorum transeamus, *abſolutum* eſt, quod in rebus per ſe ipſis neceſſario ratio et iure optimo ad vniuerſa poſtulat, quae ex conditione aliqua pendent, eoque ſeriem conditionum vult abſolutam. Quodſi ergo accidit, vt, ſi ſumſeris, cognitionem noſtram empiricam rebus obſequi qua rebus per ſe ipſis, abſolutum *ſine repugnantia nullo modo cogitari* queat; contra, ſi poſueris, noſtram repraeſentationem rerum, vti nobis proponuntur, ſeſe non effingere ex his, qua rebus per ſe ipſis, ſed has res potius, qua viſa ſiue phaenomena, componere ſe ad noſtrum cogitandi modum, vt *repugnantia ceſſet*; vtque proinde abſolutum haud in rebus, quatenus eas nouimus (nobis eae proponuntur), ſed ſane quidem in iis, quatenus eas haud nouimus, qua res per ſe ipſas, inueniendum videatur: patet, quod initio periculi cauſa ſumſeramus, verum eſſe *). Iam, vniuerſo progreſſu in campo eorum, quae vim virtutemque ſen-

*) Hocce experimentum rationis purae ſimillimum eſt experimento *chemicorum*, quod nonnumquam periculum vocant *reductionis*, vniuerſe autem *rationem ſyntheticam*. *Analyſis metaphyſici* cognitionem puram ex anticipatione ſeparat in elementa duo valde diſſimilia, nempe in cognitionem rerum, qua phaenomenorum, et vero etiam rerum per ſe ipſarum. *Dialectica* vtramque rurſus coniungit ad *conſpirationem* cum idea rationali neceſſaria *abſoluti*, videtque, hanc conſpirationem non fieri, niſi illa diſtinctione, quae proinde vera eſt.

ſus ſuperant, rationi contemplatiuae denegato, ſemper nobis integrum erit, vt experiamur, aune in cognitione eius practica inueniantur data, quibus conceptus ille rationalis abſoluti transſcendens poſſit conſtitui, atque ita, ex ſententia metaphyſices, vltra terminos vniuerſae, quae eſſe poteſt, experientiae cum cognitione noſtra, ſed duntaxat reſpectu practico poſſibili ex anticipatione pertineri. Atque in eiusmodi tractandi modo ratio contemplatiua nobis ſemper locum ſaltim ad eiusmodi amplificationem comparauit, etiamſi illum vacuum pateretur, nobisque igitur etiamnum licet, quin ad hoc prouocati ſumus, vt datis eius practicis illum, ſi poſſimus, expleamus *).

In illo periculo, quae huc vsque conſueta fuit, rationem metaphyſices immutandi, eoque, vt ad exempla geometrarum et phyſicorum totam illius conuerſionem inſtituamus, continetur negotium huiusce critices rationis purae. Eſt ea libellus de via ac methodo, non ſyſtema ſcientiae ipſius; ſed nihilominus totum monogramma illius deſcribit, cum ratione terminorum et carcerum illius, tum vniuerſae articulationis. Hoc

*) Sic legibus centralibus motuum corporum coeleſtium illi, quod *Copernicus* initio duntaxat vt hypotheſin ſumebat, plena certitudo efficiebatur, ſimulque vis illa inuiſibilis aedificium mundi copulans (attractionis *Newtonianae*) probabatur, quae aeternum abſcondita manſiſſet, niſi ille auſus fuerit, pugnante quadam quaſi, ſed tamen vera ratione, motus obſeruatos non in rebus oblatis coeli, ſed in earum ſpectatore anquirere. Similem illam huiusce hypotheſeos conuerſionem modi cogitandi in critica pertractatam, hac in praefatione etiam qua hypotheſin propono, quamuis in ipſa tractatione ex natura noſtrarum repraeſentationum ſpatii temporisque conceptibusque intelligentiae elementaribus, non hypothetice, ſed apodictice probetur, eo tantum conſilio, vt prima pericula eiusmodi mutationis, quae ſemper hypothetica ſunt, notentur.

enim proprium eſt rationis purae contemplatiuae, vt ſuam ipſius facultatem, pro modo vario, quo res ſibi ad cogitandum proponit, dimetiri, ipſosque varios quaeſtionum ſibi proponendarum modos, plene enumerare, atque ita vniuerſam ſyſtematis metaphyſices formam delineare et queat et debeat; ſiquidem, ratione prioris, in cognitione ex anticipatione nihil poteſt rebus obiectis attribui, niſi quod ſubiectum cogitans ex ſe ipſo promat, et reſpectu poſterioris, habita ratione principiorum cognoſcendi, ea ſolitaria in ſeſe conſiſtens vnitas eſt, in qua quodque membrum, vti in corpore organico, omnium reliquorum cauſa, vniuerſa autem vnius cuiuspiam cauſa adſunt, nullumque certo principium in *aliqua* adfectione ſumi poteſt, niſi illud ſimul ſit in adfectione *perpetua* ad vniuerſum rationis vſum examinatum. Contra ea vero, quod raro accidit, nullique alii ſcientiae rationali, in rebus obiectis verſanti, poteſt obtingere (nam *logicae* propoſita eſt duntaxat forma cogitandi vniuerſe), contingit metaphyſicae, vt, in certam ſcientiae viam hacce critica adducta, vniverſum campum cognitionum ad ſe pertinentium penitus complecti, et proinde opus ſuum perficere, poſteriſque tamquam ſedem quamdam principem nullo vmquam tempore augendam, vtendum deponere poſſit, quoniam in ſolis principiis et circumſcriptionibus vſus eorum verſatur, quae illis ipſis conſtituuntur. Ac hancce perfectionem ea, qua ſcientia conſtitutiua, proinde tenetur obſtricta, de eaque dici poſſe neceſſe eſt: nil actum reputans, ſi quid ſupereſſet agendum.

At vero, inquies, quaenam ſunt illae diuitiae, quas per eiusmodi metaphyſicam critica depuratam, ſed eo quoque in ſtatum conſtantem adductam poſteris relinqui

opinemur? Leui huiusce operis perluſtratione putaueris animaduerti, vtilitatem illius non niſi *negatiuam* eſſe, ac ſane quidem haec vna eius vtilitas videtur. Quae vero mox in *poſitiuam* mutatur, ſimulatque intellexeris, principia, quibuscum ratio contemplatiua terminos ſuos audet transire, re ipſa haud *amplificationem*, ſed, propius ſpectata, *contractionem* noſtri rationis vſus conſequi, propterea quod reuera terminos facultatis ſenſitiuae, ad quam ea pertinent, ad vniuerſa dilatare minantur, atque ita vſum rationis purum (practicum) prorſus expellere. Quocirca *critica*, quae illam coërcet et limitat, eatenus quidem *negatiua* eſt, ſed, quoniam ea re ſimul impedimentum tollit, quod poſteriorem vſum circumſcribit, aut adeo minatur delere, reapſe vtilitatem *poſitiuam* habet et longe grauiſſimam, ſimul atque perſuaſus fueris, vſum eſſe rationis purae practicum abſolute neceſſarium (moralem), in quo ea neceſſario vltra ſenſus terminos ſeſe amplificet augeatque, quo quidem nulla ope indiget rationis contemplatiuae, ſed tamen a vi eius reciproca tuta eſſe debet, ne in repugnantiam ſecum ipſa incidat. Huic muneri *criticeſ* ſi *poſitiuam* vtilitatem denegares, idem faceres, ac ſi diceres, politia nullam vtilitatem poſitiuam adferri, quoniam praecipuum illius munus ſit, vt vi, ciuibus a ciuibus metuendae, obex obiiciatur, quo ſuas quisque res poſſit libere ac ſecure curare. Spatium tempusque in ſolis formis eſſe viſionis ſenſitiuae, proinde duntaxat in conditionibus exſiſtentiae rerum, qua phaenomenorum, nobis porro nullos conceptus eſſe intelligentiae, ideoque et nulla prorſus cognitionis rerum elementa, quam quatenus his conceptibus offerri viſio poſſit, quae illis reſpondeat, itaque nos nullam poſſe cognitionem habere cuiuspiam rei obiectae, qua rei per ſe ipſius, ve-

rum modo quatenus ſubiecta ſit viſioni ſenſitiuae, id eſt, qua phaenomenon, in parte critices analytica probatur; ex quo ſane vniuerſae, quae eſſe poſſit, cognitionis rationalis contemplatiuae conſequitur ad ſolas res experientiae obuias circumſcriptio. Nihilominus, quod bene notandum eſt, praeterea nobis liberum ſeruatur, vt easdem res obiectas etiam qua res per ſe ipſas, vt haud *cognoſci*, certe tamen *cogitari* poſſe liceat *). Namque alioquin inde ſententia cogeretur abſurda, eſſe viſum ſiue phaenomenon poſſe, neque quidpiam tamen, quod videatur. Iam ſumamus, diſtinctionem illam rerum per criticam neceſſariam, qua experientiae obnoxiarum, et earundem, qua rerum per ſe ipſarum, eſſe prorſus nullam factam, efficeretur, vt decretum colligationis cauſarum, ideoque mechanismus naturae in conſtitutione illius de omnibus omnino rebus qua cauſis efficientibus neceſſe ſit valere. De eademque natura ergo, veluti de anima humana, non poſſem dicere, voluntatem eius liberam eſſe, eamdem et neceſſitati phyſicae eſſe ſubiectam, hoc eſt, non liberam, niſi in apertam repugnantiam inciderem; propterea quod in vtraque ſententia animam in *eadem ſignificatione* acceperam, nimirum qua rem in vniuerſum (qua rem per ſe ipſam), neque, ſine praeuia critica, ſecus accipere poteram.

*) Ad rem quandam *cognoſcendam* requiritur, vt eius poſſibilitatem poſſim probare (ſiue id ad teſtimonium experientiae fiat ex eius exſiſtentia, ſiue ex anticipatione per rationem). Sed *cogitare* poſſum, quaecumque voluerim, ſi modo mihimet ipſi haud repugnem, id eſt, ſi modo conceptus meus in cogitatione verſetur poſſibili, quamuis nemini cauere queam, an in complexu omnium poſſibilitatum huic etiam res obiecta quaedam reſpondeat, necne. Vt autem eiuscemodi conceptui valor obiectiuus (poſſibilitas realis, nam illa prior ſola fuit logica) poſſit attribui, plus requiritur. Sed iſtud plus, haud ita neceſſe eſt, vt in fontibus cognitionis theoreticis quaeratur, poteſt etiam ineſſe in practicis.

Quodſi autem critica haud peccauerit, cum rem obiectam *duplici ſignificatione* eſſe ſumendam docet, nimirum aut qua phaenomenon, aut qua rem per ſe ipſam; ſi deductio conceptuum intellectualium vera ſit, proinde et decretum effectionis cauſarum res ſpectet ſolas priori ſenſu acceptas, nempe quatenus ſubiectae ſunt experientiae, ſed eaedem poſteriori ſenſu ſumtae non ſint illi decreto obnoxiae, ſequetur, vt eadem voluntas in phaenomeno (actione, quae ſub adſpectum cadit) vtpote legi phyſicae neceſſario conſentanea ſit, atque eatenus *haud libera*, et tamen ex altera parte, tamquam ad rem pertinens per ſe ipſam, illi haud obnoxia, proinde vt *libera* cogitetur, ita vt nulla in ea re pugna eueniat. Quamvis autem animam meam, ab hac poſteriori parte ſpectatam, nulla ratione contemplatiua (nedum obſervatione empirica), queam, proinde nec libertatem qua proprietatem cuiuſpiam naturae, cui effecta tribuam in mundo ſenſibili, *cognoſcere*, idcirco quia hoc ſecundum exſiſtentiam ſuam, nec tamen in tempore determinatum cognoſcere deberem (quod fieri non poteſt, ſi quidem conceptui meo nullam poſſum viſionem ſubiicere), tamen potero libertatem *cogitare*, id eſt, in eius repraeſentatione ſaltem nulla ineſt repugnantia, ſi vtriusque diſtinctio critica modi cogitandi (ſenſibilis et intellectualis) et inde promanans circumſcripta conceptuum purorum intelligentiae, proinde et decretorum hinc orientium, locum inueniat. Fac igitur, philoſophia morali neceſſario ſupponi libertatem (ſenſu ſtrictiſſimo) qua proprietatem voluntatis noſtrae, propterea quod decreta practica in ratione noſtra ſita originaria qua *data* illius ex anticipatione ſint, quae haud ſuppoſita libertate eſſe prorſus non poſſent, ſed rationem contemplatiuam probaſſe, hanc nullo modo cogitari poſſe, neceſ-

ſario illa ſumtio, ſcilicet moralis, ei cedere debebit, cuius contrarium manifeſtam in ſe continet repugnantiam, proinde libertas, cum eaque moralitas (huius enim contrario nulla pugna ineſt, niſi iam libertas ſumatur), *mechaniſmo naturae* locum concedere. Verum, cum ad philoſophiam nihil amplius opus ſit, quam vt ne libertas ſecum ipſa pugnet, ideoque, quamuis eam inutile ſit perſpicere, certe queat cogitari, mechaniſmo naturali eiusdem actionis (in alia relatione ſumtae) nullum eam prorſus impedimentum obiicere: doctrina moralitatis locum obtinet, ſuumque item et phyſica, id quod non fuiſſet, niſi antea de ignorantia noſtra ineuitabili nos edocuiſſet, et vniuerſa, quae theoretice *cognoſcere* poſſimus, ad ſola phaenomena reuocaſſet. Eadem haec expoſitio vtilitatis poſitiuae decretorum rationis purae criticorum reſpectu cogitationis de *deo*, *ſimplicique natura animae* noſtrae poteſt oſtendi, quae autem, vt breuitati conſulam, praetermittam. Quamobrem nec *deum*, nec *libertatem*, nec *immortalitatem* in gratiam neceſſarii vſus practici rationis meae *ſumere* poſſum, niſi ſimul rationi contemplatiuae arrogantiam notitiarum transſcendentalium *adimam*, quoniam, vt has nanciſcatur, iis vti decretis cogitur, quae propterea, quod ad ſolas res pertinent experientiae, quae poteſt eſſe, ſubiectas, ſi nihilominus adhibeantur ad ea, quae non poſſunt experientiae obnoxia eſſe, reuera haec ſemper transmutant in phaenomena, atque ita vniuerſam *amplificationem* rationis purae *practicam* pro impoſſibili declarant. Itaque *ſcientia* tollenda fuit, vt *fidei* locus eſſet, et dogmatismus metaphyſices, id eſt, opinio praeiudicata absque critica rationis purae in ea progrediendi, verus fons eſt vniuerſae profanitatis moralitati repugnantis, qui ſemper admodum dogmaticus videtur.

Igitur ſi haud ita difficile eſſe poſſit, vt metaphyſica ſyſtematica ad praecepta critices rationis purae conſtituta, poſteris relinquatur, haud exiguum iſtud munus erit; ſiue ſolam rationis culturam per certum iter ſcientiae in genere, comparatam cum palpatione inani leuique circumuagatione eius ſine critica, ſpectaueris, ſiue ad meliorem temporis collocationem iuuentutis curioſae, quae in dogmatismo conſueto tam mature et tanto opere exercitatur, vt de rebus, quas non intelligit, atque in quibus perinde, ac quiuis alius, numquam quidquam perſpiciet, commode argutetur, aut adeo inuentionem aucupetur nouarum cogitationum opinionumque, atque ita ſtudium ſolidioris doctrinae negligat; maxime vero, ſi commodum incomparabile ſub rationem vocetur, vniverſis, quae contra moralitatem religionemque mouentur, dubiis modo *Socratico*, nimirum argumento euidentiſſimo ignorantiae aduerſariorum, in omne tempus poſterum finem imponendi. Namque vlla quaepiam metaphyſica vsque quaque in mundo fuit, eritque et porro fere; cum eaque vero et dialectica rationis purae, quippe quae ei naturalis ſit, in ea deprehendetur. Igitur prima et grauiſſima philoſophiae cura eſt, vt, obturato errorum fonte, vniuerſa contagio noxia illi adimatur.

In hac graui mutatione artium in campo confecta, *iacturaque*, rationi contemplatiuae in poſſeſſione ſua huc vsque putatitia facienda, omnia nihilominus cum re humana communi et vtilitate, a mundo huc vsque ex doctrinis rationis purae percepta, in eodem ſtatu ſalutari manent, in quo vmquam fuere, iacturaque duntaxat *monopolium* attingit *ſcholarum*, neutiquam vero *ſalutem generis humani.* Quaero ex obſtinatiſſimo quoque dogmatico, an argumentum pro anima noſtra poſt mortem duratura ex ſimplicitate ſubſtantiae, an ratio pro adferenda

voluntatis libertate contra mechanismum vniuerſalem ex ſubtilibus illis, quamuis imbecillis atque inualidis, diſtinctionibus ſubiectiuae et obiectiuae neceſſitatis practicae, an vero, quod pro exiſtentia dei adfertur, ex conceptu naturae omnium perfectiſſimae (rationis mutabilium fortuitae, et neceſſitatis motoris cuiusdam primi), an, inquam, haec omnia, a ſcholis profecta, vmquam potuerint ad populum pertinere, in eiusque perſuaſione vel minimam vim exſerere? Quae cum haud facta ſint, neque vmquam poſſint exſpectari, ob imbecillitatem intelligentiae hominum communis ad contemplationem tam ſubtilem; cumque potius, quod primum attinet, quam in quoque homine animaduertimus, naturae conſtitutio numquam rebus hac in vita obuiis (quippe ad initia vniuerſae deſtinationis ipſius parum idoneis) potuerit explere ſpem *vitae futurae*, ratione ſecundi ſola officiorum clara oſtenſio vniuerſis oppoſita appetitionibus conſcientiam *libertatis*, et denique, quod tertium ſpectat, admirabilis ordo, pulchritudo et prouidentia, vbicumque in natura rerum emicantes, ſolae fidem in ſapientem magnumque *mundi auctorem*, perſuaſionem ad populum permanantem, quatenus ea in rationibus poſita eſt, efficere debuerit: non ſolum haec poſſeſſio manet inconcuſſa, ſed creſcit eo potius dignitate, quod ſcholae nunc edocentur, vt ne altiorem ſibi amplioremque perſpicientiam in ea re arrogent, quae communem humani generis curam attingit, atque ad quam magna illa (aeſtimatione noſtra digniſſima) multitudo aeque facile poteſt pertinere, quaeque proinde monet, vt ad culturam harum vniuerſis comprehenſu facilium reſpectuque morali idonearum rationum ſolam nos componamus. Quamobrem mutatio ad ſolos pertinet petitiones arrogantes ſcholarum, quae lubenter ea in re (quemadmodum alias

ſure in multis rebus aliis) ſolos ſe veritatum earum aeſtimatores primosque condos videri voluerint, quarum cum populo duntaxat vſum communicant, ſed clauem ſibi ſeruantes (quod mecum neſcit, ſolus vult ſcire videri). Nihilominus tamen aequiori iuri philoſophi contemplantis prouiſum videtur. Is enim ſemper ſolus manet depoſitarius ſcientiae populo, quamuis ignoret, vtiliſſimae, nimirum critices rationis; quippe quae numquam poterit popularis fieri, nec vero etiam ea re indiget; ſi quidem, quo minus populus argumenta ſubtiliter texta pro veri partibus vtilibus obtrudi ſibi patitur, eo etiam minus dubia aeque ſubtilia contra allata ei in mentem veniunt; contra ea, quoniam ſchola perinde, atque quisque homo ad contemplationem ſeſe attollens, neceſſario in vtraque incidit, illi in officio eſt, vt, iure rationis contemplatiuae diligenter examinato, ſemel pro ſemper offenſioni praeueniat, quae citius ſeriusue ipſi populo ex controuerſiis capienda erit, in quas metaphyſici (et qua tales tandem fere etiam clerici) ſine critica neceſſario ſeſe implicant, quaeque ipſas poſtea doctrinas eorum adulterant. Hac igitur ſola et materialismi, et fatalismi, et atheismi, et diffidentiae profanae, et fanatismi, et ſuperſtitionis, quorum virus ad vniuerſos poteſt penetrare, tandemque etiam et idealismi, et ſcepticismi, qui magis ſcholis ſunt peſtiferi, radices ipſae poſſunt praecidi. Si regimina vmquam arbitrentur, ſeſe doctorum hominum negotiis immiſcere debere, curae eorum ſapienti, qua et literis proſpicere cupiunt et hominibus, longe conuenientius foret, vt libertati eiusmodi critices fauerent, qua ſola poſſunt, quibus ratio excolitur, labores firmiter conſtitui, quam vt ridiculo ſcholarum despotismo patrocinentur, quae de discrimine publico clamorem tollunt, ſimulatque, quas texerunt, aranearum telae

ſcindantur, quarum tamen numquam ad populum notitia peruenerat, quarumque proinde iacturam is numquam etiam poteſt percipere.

Critica haud *tractationi dogmaticae* eſt rationis in cognitione pura ſua, qua ſcientia, contraria (quippe quae ſemper ſit dogmatica, neceſſe eſt, id eſt, ea, quae e certis atque indubitatis principiis ex anticipatione ſtrenue probet), ſed *dogmatiſmo*, hoc eſt, arrogantiae, in ſola cognitione pura ex conceptibus (philoſophica) ſecundum principia, quemadmodum dudum ratio conſueuit, non explorato, nec modo, nec iure, quo ea potita ſit. Quocirca dogmatismus cernitur in modo procedendi rationis purae, *nulla praeuia critica ſuae ipſius facultatis.* Haec oppoſitio proinde nec tenuitati garrulae, iniuria nomine popularitatis inſignitae, nec adeo ſcepticismo, qui totam metaphyſices cauſam euertit, debet patrocinari; potius critica in apparatu cernitur neceſſario ac praeuio ad promouendam ſolidiorem metaphyſicam qua ſcientiam, quae neceſſario dogmatice debet, maximeque ſyſtematice, proinde ſcholaſtice (haud populariter) pertractari, quippe quae requiſita non poſſunt remitti, propterea quod ea pollicetur, prorſus ex anticipatione, proinde prorſus ex ſententia rationis contemplatiuae, res ſuas ſe geſturam. In exſequendo conſilio, a critica praecepto, hoc eſt, in futuro metaphyſices ſyſtemate, aliquando nobis inſtituenda via eſt ſeuera celeberrimi *Wolfii*, ſummi omnium dogmaticorum philoſophi, qui primus exemplo fuit (eoque exemplo auctor exſtitit ingenii hucusque nondum exſtincti diligentiae in Theodiſcis), quomodo conſtitutione legitima principiorum, diſtincta conceptuum determinatione, tentato argumentorum rigore, vitatisque ſaltibus audacibus in conſequentibus, certum debeat

iter ingredi ſcientiae, qui praeterea talem, qualis eſt metaphyſica, inprimis potuiſſet ita conſtituere, ſi modo ei in mentem veniſſet, per criticam organi, nempe rationis purae, ante ſibi campum praeparare; qui defectus quidem non tam ipſi, ſed potius modo cogitandi dogmatico aetatis tribuendus videtur, et de quo philoſophi et eius et omnium priorum temporum, non erat, quod ſe inuicem reprehenderent. Qui methodum illius, et tamen vna quoque procedendi modum critices rationis purae reprobant, nihil aliud poſſunt ſpectare, quam vt vincula prorſus abiiciant *ſcientiae*, laborem in luſum, certitudinem in opinionem, philoſophiamque conuertant in philodoxiam.

Quod hanc alteram editionem attinet, merito occaſionem praetermittere nolui, vt difficultates obſcuritatemque, quoad eius fieri poſſet, dispellerem, quae permultis calumniis fere anſam dederint; in quas ſubtiliſſimi homines, fortaſſe haud ſine culpa mea, in hoc libro diiudicando incurrere. In ſententiis ipſis earumque argumentis, itemque in forma haud minus, quam in plenitudine deſcriptionis, nil quidquam, quod mutari deberet, inueni; id quod partim diuturno examini, cui eam ſubieceram, antequam vniverſitati doctorum hominum proponerem, tribuendum videtur, partim naturae ipſius rei, nempe rationis purae contemplatiuae, quae veram in ſe articulationem continet, in qua vniuerſa in organo verſantur, nimirum cuncta propter vnum adſunt, et quodque ſingulum per vniuerſa, proinde minimum vitium, ſiue in errore cernatur, ſiue in defectu quodam, in vſu debet neceſſario ſeſe oſtendere. Hanc immutabilitatem atque conſtantiam et porro quoque hoc ſyſtema, opinor, obtinebit. Hac fretus fiducia iure ducor haud arrogantia quadam, ſed ſola euidentia, quam experimentum efficit aequalita-

tis confectarii in euentu inde ab elementis minimis vsque ad totum rationis purae, atque in regreſſu a toto (namque et hoc in ſe per finem illius vltimum in practico datum eſt) ad quamque partem, propterea quod periculum vel minimae partis immutandae continuo repugnantias non ſolum ſyſtematis, ſed communis rationis humanae adferre videtur. Verum in *exhibitione* permulta adhuc ſuperſunt, in qua quidem hac noua editione emendationes tentaui, quae partim praue intellecta aeſtheticces, in primis in conceptu temporis, partim obſcuritatem deductionis conceptuum intellectualium, partim defectum putatitium euidentiae idoneae in argumentis decretorum intelligentiae purae, partim denique calumniam paralogismorum pſychologiae rationali exprobratorum tollere debeant. Hactenus quidem (nimirum duntaxat ad extremum caput primum dialectices transſcendentalis) nec longius mutationes pertinent in modo proponendi *) a me factae, ſi quidem et tempus deerat, et ratione caeterorum nil quidquam occurrebat, quod ab vſu peritis et aequis aeſtimatoribus praue intellectum foret, qui tamen ipſi, quae ad eorum monita regeſſerim, ſuis quaeque locis inuenient, vt proinde haud opus ſit eos cum merita laude citare.

*) Proprium incrementum, et tantummodo in ratione probandi, illud poſſem dicere, quod in noua confutatione *idealismi* pſychologici, ſeuerumque (et vnice, opinor, poſſibile) argumentum pro realitate obiectiua viſionis externae pag. 182. acceſſit. Vtcumque inſons reputetur idealismus ratione finium metaphyſices eſſentialium (qui reapſe is non eſt), tamen ſemper offenſioni manebit philoſophiae communique rationi humanae, ſi exſiſtentiam rerum extra nos (a quibus tamen vniuerſam notitiarum materiam vel ipſius ſenſus intimi hauſtam habemus,) ad *fidem* ſolam accipere cogamur, et, ſi cui animum ſubit de ea dubitare, nullum ei idoneum poſſimus argumentum opponere.

CONSPECTUS
Critices rationis purae.

Inſtitutio. pag. 1

I. De diſcrimine cognitionis purae et empiricae. 1

II. Poſſeſſione gaudemus certarum quarumdam ex anticipatione notitiarum, neque intelligentia communis vmquam iis vacua eſt. 3

III. Philoſophia ſcientiae indiget, poſſibilitatem, principiaque et ambitum omnium cognitionum ex anticipatione determinantis. 5

IV. De diſcrimine iudiciorum analyticorum et ſyntheticorum. 9

V. In omnibus ſcientiis rationis theoreticis iudicia ſynthetica ex anticipatione vt principia inſunt. 11

VI. Quaeſtio generalis rationis purae. 15

VII. Idea et deſcriptio ſcientiae cuiusdam ſingularis ſub titulo critices rationis purae. 19

Critice rationis purae. 23

I. Doctrina elementaris transſcendentalis. 23

Pars prior. Aeſthetice transſcendentalis. 25

§. 1. Definitiones. 25

Sectio prior. De ſpatio. 27

§. 2. Expoſitio metaphyſica huius conceptus. 27

§. 3. Expoſitio transſcendentalis conceptus de ſpatio. 30

Concluſiones ex ſuperioribus conceptibus. 31

Sectio poſterior. De tempore. 34

§. 4. Expoſitio metaphyſica conceptus temporis. 34

§. 5. Expoſitio transſcendentalis conceptus temporis. 35

§. 6. Concluſiones ex his conceptibus. 36

§. 7. Illuſtratio. 39

§. 8. Scholia generalia ad aeſtheticam transſcendentalem. 43

Finis aeſthetices transſcendentalis. 52

Pars poſterior. Logica transſcendentalis. 58

Inſtitutio. Idea logicae transſcendentalis. 53

I. De logica in genere. 53

II. De logica transſcendentali. pag. 56

III. De deſcriptione logices vniuerſalis in analyticam et dialecticam. 58

IV. De deſcriptione logices transſcendentalis, in logicam transſcendentalem et dialecticam. 61

Tomus prior. Analytica transſcendentalis. 62

Liber prior. De analytica conceptuum. 63

Cap. I. De filo Ariadnaeo vniuerſorum conceptuum intellectualium purorum aperiendorum. 64

Sectio I. De vſu logico intelligentiae in genere. 64

Sectio II. §. 9. De functione logica intelligentiae in iudiciis. 66

Sectio III. §. 10. De conceptibus intellectualibus puris ſeu categoriis. 71

§. 11. Meditationes curioſae, quae de tabula categoriarum poſſunt inſtitui. 76

§. 12. De capite quodam philoſophiae transſcendentalis veterum. 79

Cap. II. De deductione conceptuum purorum intelligentiae. 81

Sectio I. §. 13. De principiis deductionis transſcendentalis in genere. 81

§. 14. Tranſitio ad deductionem transſcendentalem categoriarum. 86

Sectio II. Deductio transſcendentalis conceptuum purorum intelligentiae. 89

§. 15. De poſſibilitate conditionis in genere. 89

§. 16. De vnitate ſynthetica originaria apperceptionis. 91

§. 17. Decretum vnitatis ſyntheticae apperceptionis ſummum eſt principium vniuerſi vſus intelligentiae. 93

§. 18. Quid vnitas obiectiua conſcientiae ſui ipſius ſit. 95

§. 19. Forma logica iudiciorum omnium conſiſtit in vnitate obiectiua apperceptionis omnium iis complexorum conceptuum. 96

§. 20. Omnes viſiones ſenſitiuae categoriis ſubſunt, vt conditionibus; quibus ſolum poſſunt varia in vna conſcientia congregari. 98

§. 21. Scholion. 98

§. 22. Categoriarum nullus alius vſus eſt ad rerum cognitio- 1

nem, quam applicatio earum ad res experientiae propoſitas. pag. 100

§. 23. Continuatio. 101

§. 24. De applicatione categoriarum ad res ſub ſenſus ſubiectas in genere. 102

§. 25. Subiectum cogitans non poteſt per ſolam conſcientiam cognoſci. 107

§. 26. Deductio transſcendentalis vſus experientiae vniverſe poſſibilis conceptuum intellectualium purorum. 108

§. 27. Conſectarium huius deductionis conceptuum intellectualium. 112

Epitome huius deductionis. 114

Liber poſterior. Analytice decretorum. 115

Inſtitutio. De facultate iudicandi transſcendentali in genere. 116

Caput primum. De ſchematiſmo conceptuum purorum intellectualium. 119

Caput ſecundum. Syſtema omnium decretorum intelligentiae purae. 126

Sectio prima. De decreto omnium iudiciorum analyticorum ſupremo. 128

Sectio ſecunda. De decreto ſupremo iudiciorum ſyntheticorum. 130

Sectio tertia. Deſcriptio ſyſtematica omnium decretorum intelligentiae purae ſyntheticorum. 133

1) Axiomata viſionis. 136

2) Anticipationes perceptionis. 139

3) Analogiae experientiae. 149

A. 1. *Analogia.* Decretum conſtantiae ſubſtantiarum. 151

B. 2. *Analogia.* Decretum ſucceſſionis temporis ex lege cauſſalitatis. 156

C. 3. *Analogia.* Decretum ſimultaneorum, ex lege effectionis mutuae, ſiue commercii. 171

4) *Poſtulata* cogitationis empiricae in genere. 177

Confutatio idealismi. 182

Scholion vniuerſale ad ſyſtema decretorum. 191

Caput tertium. De ratione rerum omnium in phaenomena et noumena diſtinguendarum. 195

Appendix. De amphibolia conceptuum reflexionis per vſum intelligentiae empiricum cum transſcendentali permutatum. pag. 208

1) *Identitas* et diuerſitas. 210

2) *Conuenientia* et pugna. 211

3) *Internum* et externum. 212

4) *Materia* et forma. 212

Scholion ad amphiboliam conceptuum reflexionis. 213

Tomus poſterior. Dialectica transſcendentalis. 230

Inſtitutio.

1) De ſpecie transſcendentali. 230

2) De ratione pura vt ſede ſpeciei transſcendentalis. 233

A. De ratione in genere. 233

B. De vſu logico rationis. 236

C. De vſu rationis puro. 238

Liber prior. De conceptibus rationis purae. 241

Sectio prima. De ideis in genere. 242

Sectio ſecunda. De ideis transſcendentalibus. 248

Sectio tertia. Syſtema idearum transſcendentalium. 256

Liber poſterior. De concluſionibus dialecticis rationis purae. 260

Caput I. De paralogismis rationis purae. 261

Confutatio argumenti Mendelsſohniani pro conſtantia animi. 271

Finis enodati paralogiſmi pſychologici. 279

Scholion generale tranſitionem ſpectans a pſychologia rationali ad cosmologiam. 280

Caput II. Antinomia rationis purae. 283

Sectio 1. Syſtema idearum cosmologicarum. 285

Sectio 2. Antithetice rationis purae. 292

Pugna I. idearum transſcendentalium.

Mundus finitus eſt et infinitus. 296

Pugna 2. idearum transſcendentalium.

Omnia in mundo ſimplicia ſunt et compoſita. 304

Pugna 3. idearum transſcendentalium.

Omnia eueniunt ex libertate et neceſſitate. 312

Pugna 4. *idearum transſcendentalium.*
Natura eſt abſolute neceſſaria, et omnia ſunt fortuita. pag. 318

Sectio 3. De inuitamento rationis in hac pugna ſua. 326

Sectio 4. De quaeſtionibus rationis purae transſcendentalibus, quatenus neceſſe eſt eas abſolute enodari poſſe. 335

Sectio 5. Deſcriptio ſceptica quaeſtionum cosmologicarum per omnes quatuor ideas transſcendentales. 341

Sectio 6. De idealismo transſcendentali, vtpote claue dialectices cosmologicae enodandae. 344

Sectio 7. Deciſio critica pugnae cosmologicae rationis ſecum ipſius. 349

Sectio 8. Principium regulatiuum rationis purae reſpectu idearum cosmologicarum. 356

Sectio 9. De vſu empirico principii regulatiui rationis, reſpectu omnium idearum cosmologicarum. 361

I. *Solutio* idearum cosmologicarum de totalitate compoſitionis phaenomenorum in toto mundano. 362

II. *Solutio* ideae cosmologicae de totalitate diuiſionis totius cuiusdam dati in viſione. 366

Scholion finale ad ſolutionem idearum mathematice transſcendentalium, et praemonitum ad ſolutionem idearum dynamice transſcendentalium. 369

III. *Solutio* idearum cosmologicarum de totalitate derivationis euentorum mundanorum e cauſis. 372

Illuſtratio ideae cosmologicae libertatis coniunctae cum neceſſitate phyſica vniuerſali. 375

IV. *Solutio* ideae cosmologicae de totalitate dependentiae phaenomenorum, quoad exſiſtentiam in genere. 389

Scholion finale ad vniuerſam antinomiam rationis purae. 393

Caput III. Ideale rationis purae. 394

Sectio 1. De ideali in genere. 394

Sectio 2. De ideali transſcendentali. 397

Sectio 3. De argumentis rationis contemplatiuae, ad exſiſtentiam concludendi entis ſummi. 405

Tria duntaxat argumentorum genera pro exſiſtentia dei fieri per rationem contemplatiuam poſſunt. 410

Sectio 4. De impoſſibilitate argumenti ontologici pro exſiſtentia dei. 411

Sectio 5. De impoſſibilitate argumenti cosmologici pro exſiſtentia dei. pag. 418

Patefactio atque enodatio ſpeciei dialecticae in omnibus argumentis transſcendentalibus pro exſiſtentia entis neceſſarii. 426

Sectio 6. De impoſſibilitate argumenti phyſico-theologici. 430

Sectio 7. Critice vniuerſae theologiae ex principiis rationis contemplatiuis. 437

Appendix. De vſu regulatiuo idearum rationis purae. 445

De fine vltimo dialectices naturalis rationis humanae. 462

II. *Methodologia transſcendentalis*. 487

Caput 1. Diſciplina rationis purae. 490

Sectio 1. Diſciplina rationis purae in vſu dogmatico. 492

Sectio 2. Diſciplina rationis purae reſpectu vſus polemici. 509

De impoſſibilitate compoſitionis ſcepticae rationis purae ab ſe ipſius diffidentis. 522

Sectio 3. Diſciplina rationis purae reſpectu hypotheſium. 529

Sectio 4. Diſciplina rationis purae reſpectu argumentorum. 538

Caput 2. Canon rationis purae. 546

Sectio 1. De fine vltimo vſus puri rationis noſtrae. 548

Sectio 2. De ideali ſummi boni vt ratione finis vltimi determinandi rationis purae. 552

Sectio 3. De opinione, ſcientia et fide. 563

Caput 3. Architectonice rationis purae. 571

Caput 4. Hiſtoria rationis purae. 584

INSTITVTIO.

I.

De diſcrimine cognitionis purae atque empiricae.

Quidquid animo cernimus et ratione intelligimus, illud omne dubium non eſt, quin idem *cum* vſu et experientia capere primordia videatur. Quid eſt enim, quo facultas cognoſcendi ad vim ſuam exſerendam poſſit excitari, niſi iis rebus, quae obiectae ſenſibus et quadam quaſi impulſione oblatae extrinſecus vel ſponte viſa efficiant, vel mentis vim ita moueant, vt iis comparandis, copulandis, ſeiungendis rudem illam atque indigeſtam rerum ſenſu perceptarum materiam in formam cognitionis rerum mens eam redigat atque componat, quam experientiam appellamus? Patet inde itaque, nullam in nobis cognitionis partem ineſſe, quae *tempore* experientiae praecurrat, potiusque planum eſt, cognitionem *cum* hac omnem incipere.

Quamquam autem omnis cognitio noſtra *ſimul cum* experientia exſiſtit, inde tamen non efficietur, vt cunctae rerum notitiae *ex* vſu experientiaque naſcantur. Namque fieri poteſt, vt vel ipſa, quam vſu fueris et experientia nactus, conflata cognitio ſit complexaque cum ex iis, quae viſa ſint et accepta ſenſibus, tum ex iis, quae ſenſuum pulſa excitataque impreſſionibus ex ſe ipſa mens ſponte promat, licet id, quod proxime ab mente ſola proficiſcatur, diſcernere non ab eo poſſis, quod ſenſus vi virtuteque perceptum habebas, dum diuturnus vſus animum intenderit, ad illudque ſeiungendum exacuerit.

Qui locus attingit quaeſtionem, altiore certe indagatione digniſſimam, nec primo ſtatim quaſi adſpectu vel repudiandam, vel conficiendam. Nam quaerat aliquis, an vere talis quaedam cognitionis forma reperiatur, quae tantum abſit, vt ex vſu et experientia pendeat, vt potius libera ab omni ſenſuum impreſſione videatur. Cuiusmodi quidem notitias hauſtas *a priori* dicimus, easque diſtinguimus ab empiricis, quae *a poſteriori*, id eſt ab vſu et experientia, tamquam e ſuo quodam fonte, promanant.

Interim tamen iſtud verbum parum ſatis definitum eſt atque idoneum ad vim omnem poteſtatemque quaeſtionis propoſitae apte accurateque deſignandam. Permultas enim conſtat cognitiones eſſe, quae, vt ab experientiae ſint fontibus profectae, capi tamen etiam a priori dicantur, propterea quod eas non proprie quidem ab experientia proximeque, at ex generali quadam regula deriuemus, quam tamen eamdem ab experientia depromtam habemus. Sic, vt hoc vtar, cum hominem dicimus a priori potuiſſe, cuius fundamenta ſubduxerat, domus ruinam noſſe, nihil intelligi aliud volumus, niſi non illi ipſius ruinae experientiam fuiſſe exſpectandam. Sed ſciri omnino iſtud a priori non poterat: ſiquidem corpora grauia eſſe, et proinde, fulcro ſublato, pondere ſuo deorſum ferri ac ruere, ſane ante debebat experientia oſtendi.

Quamobrem in reliqua oratione notitias *a priori* hauſtas eas dicemus, quae non modo ab hac vel illa, ſed ab omni omnino parte experientiae ſimpliciter abſoluteque liberae videntur. Atque his quidem contrariae ſunt cognitiones empiricae, id eſt tales, qualium tantummodo a poſteriori, ſiue per experientiam, copia poterit fieri. In notitiis autem a priori hauſtis formatisque illae, quibus nil quidquam immixtum ineſt empirici, *purae* vocantur et liquidae: velut notio, quae vnam quamque ponit a cauſa mutationem proficiſci, in iis eſt, quae a priori enunciantur, nec in puris tamen et liquidis, quoniam non aliunde poteſt, niſi e ſola experientia, mutationis notio hauriri.

II.

Eſſe in nobis certas notitias omni ſenſu experientiaque priores, ipſamque intelligentiam popularem numquam iis carere.

Sed hoc loco certa quaedam ac propria quaerenda nota erit, qua pura et liquida cognitio a concreta iſta atque empirica diſcerni recte poſſit et internoſci. Iam vſu quidem et experientia accidit, vt veritatem rerum, quas ſic vel aliter conſtitutas videmus, non item earum neceſſitatem, vnde eas non eſſe ſecus comparatas poſſe intelligas, edoceamur. Itaque ſi primum euenerit, vt enuncietur aliquid, quod idem in ſe vim habere comprehenſam *neceſſitatis* cogitetur, id erit omne *a priori* enunciatum: quod cum praeterea non ſit ab aliquo profectum deriuatumque, quod ipſum valeat tamquam neceſſarium, tum iſtud erit *ſimpliciter a priori* reputandum. Deinde fieri non poteſt, vt, quae ab vſu ſint experientiaque profecta, iudiciis tam late patens, quae vere proprieque vniuerſa attineat, ineſſe ratio videatur, ſed ſumta tantum et ad inductionis formam effecta, adeoque, quam dicunt, *comparatiua*, qua proprie, quod ab hac vel illa regula diſcedat, quantum id quidem experientia conſtet, nil apparere quidquam enuncietur. Si quod igitur enunciatum cogites omnia omnino ſpectans ab omnique, cuius eſſe copia poſſit, exceptione vacuum, illud non ex vſu poterit et experientia hauſtum eſſe et conformatum, ſed ſimpliciter abſoluteque a priori anteceptum atque inſignitum. Ita fit, vt empirica vniuerſitas iſta in ſola valoris gradatim ad libidinem aucti ex eoque, quod in plerisque cauſis animaduerſum fuit, ad id, quod in cunctis obtineat, effecti magnitudine verſetur; velut in effato, quod omnia corpora ponit grauitate ſua ad perpendiculum ferri. Quorum autem iudiciorum talis ratio atque natura eſt, quae *vere proprieque* ad *vniuerſa* pertineat, iis fontem eſſe cognitionis peculiarem, id eſt facultatem cognoſcendi *a priori*, ſiue ex anticipatione tribuendum, hac ipſa pleniore *vniuerſi* ratione monemur. Hinc itaque efficitur, vt vis tum *ne-*

ceſſarii, tum *vniuerſi* in notis ſit certis atque indubitatis cognitionis *a priori* ductae formataeque, quae inuicem tam arcte ſint inter ſe coniunctae copulataeque, vt ab altera disiungi nequeat altera neque diuelli. In quibus vero ad vſum transferendis cum ſubinde eueniat, vt eorum facilius circumſcriptionem empiricam poſſis, quam, quae iudiciis ineſt, rationem fortuitam oſtendere, non numquam etiam, quam iudicio cuidam tribuimus, vniverſalitas apertius queat eiusdem neceſſitate doceri, ſatius erit, his ambabus notis, quarum quaeque per ſe certa et indubitata eſt, ſingulis vti ſimplicibus et ſolitariis.

Cuiusmodi quidem *iudicia* tum *neceſſaria*, tum proprie *vniuerſalia*, ideoque *a priori pura* et liquida, in intelligentia humana vere ineſſe, facili negotio poterit euinci. Namque ſi, quod ex artium formis petatur, exemplum quaeras, id ſingula Mathematicorum effata inſpicienti occurret: ſin ex vulgari vſu intelligentiae communis depromtum cupias aliquod; decretum illud, quod quamque mutationem cauſam enunciat requirere antegreſſam, eſſe argumento poteſt; in quo quidem conceptu cauſae notio effecti neceſſario nexi aptique, et regulae ſimpliciter abſoluteque vniuerſalis tam aperte ac perſpicue continetur, quae, ſi, quod HUMIO placebat, a frequentiore copulatione eius quod fit, cum eo quod eſt antegreſſum, et inde profecta notionum inuicem copulandarum conſuetudine ac proinde a neceſſitate, quae tota, quam vocant, ſubiectiua ſit, eam deriuare velis, omnis omnino peritura videtur. Sed non eſt, quod a talibus exemplis praeſidium petamus: poteſt enim ex ipſa natura rei adeoque, quod vocant, ex anticipatione doceri, effata pura omni vſu experientiaque priora quaſi naturales atque inſitas in animis noſtris notiones ineſſe, quippe quibus poteſt ſolis fieri, vt experientiae vim ſimus et facultatem habituri. Namque vnde ſua, quaeſo, de qua inter omnes conueniret, firmitas et euidentia ipſi conſtaret experientiae, ſi, quas ea ſequitur, ſingularum legum itidem rurſum ab vſu profecta atque empirica et proinde fortuita ratio videretur?

quo quidem poſito, cogeretur ſane, vt ne in ſummis il-lae enunciatis haberi poſſe viderentur. Verum hoc loco ſatis fuerit, vſum purum facultatis cognoſcendi noſtrae, quaſi rem in facto poſitam, adiunctis iſtius notis; oſtendiſſe. Neque vero *iudiciorum* tantum quaedam prima atque antecepta videntur, ſed ex conceptibus quoque nonnullas animis impreſſas eſſe intelligentias et inchoatas, ſenſusque atque experientiae ratione priores, in promtu eſt docere. Quodſi enim, quem ex vſu hauſtum atque experientia habes, in conceptu *corporis* ſingula, quae ſub ſenſum cadunt, mente et cogitatione ſuſtuleris, vt colorem, vt duritiem mollitiemue, vt gravitatem, et vel ipſam rationem imperuiam, quam impenetrabilitatem dicunt, tamen, quod corpus ante impleverat, ſpatium remanebit nulla vmquam cogitatione delendum. Nec vero in conceptu empirico cuiusque rei propoſitae, ſiue illa corporea ſit, ſiue non, ſi omnia attributa, omnes adfectiones ex vſu atque experientia perceptas ſeiunxeris, ea item poterit ab agitante mente tolli exſtinguique, qua vt illam vel tamquam eſſentiam (ſiue ſubſtantiam), vel id quod inhaereat eſſentiae cogitemus; quamquam haec notio pluribus circumſcripta modis continetur, quam ea, qua res quaedam ſubiecta denotatur. Igitur neceſſitate illa, qua ea ſeſe nobis notio obtrudit, coacti, neceſſe eſt, fateamur, eam in noſtra facultate cognoſcendi vſum omnem et experientiam antegreſſa, hoc eſt *a priori* ſiue ex anticipatione, eſſe fundatam.

III.

Philoſophiae opus eſt ſcientia, quae notitiarum omnium ſenſu et experientia priorum tum poſſibilitatem, tum principia atque initia, tum ambitum denique aperiat atque conſtituat.

Quae quidem omnia quamuis grauiſſima ſint, tamen illud longe erit grauius, quod certas in nobis notitias deprehendimus, quibus ſit, vt relicto omni, cuius quidem eſſe copia poſſit, experientiae fundo, ex notionibus, quibus nuspiam quaepiam res eſſe ſubiecta poteſt ſenſibus famulis percipienda, iudiciorum noſtrorum vl-

tra omnes eorum terminos proferri ambitus videatur.

Atque in his ipſis conceptibus, qui res ſpectant extra mundum ſenſibilem poſitas, vbi nec duci experientia poſſumus, nec regi, inueſtigationes rationis noſtrae verſantur, quas, quo grauiores illae quidem ſunt digniores-que, eo etiam praeſtantiores et excellentiores, eoque maiorem altioremque, quem propoſitum habent, ſcopum putamus, tantique eas aeſtimamus, quanti neutiquam quidquam facimus eorum, quae mens poteſt phaenomenorum in regione cognoſcere, atque adeo cum ipſo errandi discrimine cuncta potius periclitamur, quam vt, quae tanti interſunt, inueſtigationes mittamus, neque quod ratio quaedam dubitandi cauſam adferat, neque aliqua contemnendi ac reiiciendi. Quarum quidem quaeſtionum rationis purae, quae nullo modo poſſunt euitari, vna deum attinet, reliquae ad animorum tum liberam tum immortalem naturam referuntur. Illa vero doctrinae pars, cui quaeſtionum illarum proprie propoſita ſolutio eſt, metaphyſica vocatur, et tenet illa quidem initio dogmaticam viam, neque explorat prius atque examinat potentiam rationis impotentiamue, parne illa ſit atque idonea huic tanto tamque arduo negotio, an iners atque aliena, ſed illud ipſum negotium fidenter aggreditur conficiendum.

Ac naturae quidem nihil magis conſentaneum videtur, quam vt, cum territorium experientiae migraueris, non illico ex notitiis ſtatuas, quae vnde hauſeris neſcias, et ad fidem auctoritatemque decretorum, quorum tete primordia lateant, aedificium exſtruere, niſi antea, quibus id ſuffultum teneatur, fundamenta diligenter cognita habeas atque perſpecta. Nec proinde minus auerſum ab natura atque alienum fuerit, quam, vt dudum agitari quaeſtio de via debuiſſet, qua tandem poſſit ad omnes iſtas cognitiones, quas hauſtas a priori dicimus, aditus inueniri, et quam late illae quidem pateant, quam vim habeant, qui valor illis ſit, quodue pretium ſtatuendum, anquiri. Ac profecto quidem haec ita ſecundum naturam erunt, vt illi nihil magis accommoda-

tum videatur; ſi modo naturae vocabulo eam vim poteſtatemque ſubiicias, vt id, quod recta ratio fieri poſtulat, deſignet. Sin autem id dicas, quod plerumque fit, naturae congruenter fieri, tum ſane largiendum erit, nihil item naturae accidiſſe conuenientius, nihil minus ab ea discrepantius, quam vt haec quaeſtio omiſſa diu neglectaque obſoleſceret. Cum enim cognitionum illarum, veluti ea pars quae mathematicorum ratione continetur, certa dudum ſit atque euidens agnita, fit vt in caeteris quoque eadem clara atque indubitata ratio, de qua inter omnes conueniat, haberi poſſe opinemur, quamuis maxime illae quidem abhorrere natura ſua ab mathematicorum comprehenſione videantur. Nec vero, quum ſemel carceres experientiae transgreſſus fueris, quidquam erit, quod amplius metuas, te per experientiam iri exploſum. Namque tanta ineſt vis in appetitu proferendi terminos cognitionis, vt non poſſis, niſi in aliquid offenderis, quod ipſum ſibi manifeſte repugnet, in progreſſu tuo cohiberi. Sed, ne abs te diſſentias, facile efficies, ſi caute in fictionibus tuis verſabere, quamuis ideo minime poſſit, quod falſum erit, veri naturam induere. Iam quantum ratio poſſit ab omni ſenſu experientiaque abducta ac ſeuocata augeſcere, quamque longe progredi in cognitione ex anticipatione parta ductaque, exemplo eſſe egregio mathematicorum ratio poteſt. Quae quidem in rebus verſatur notitiisque, ſed ex ea parte, quatenus in viſione poſſunt ſine contuitu proponi: verum hoc facile negligitur, propterea quod viſio iſta a priori poteſt oſtendi, ac proinde a mero conceptu puro ac genuino vix discernitur. Itaque fit, vt cupiditati cognitionis amplificandae, tali argumento de vi et potentia rationis captae atque occaecatae, regio patere infinita videatur. Sic quondam Plato, relicto mundo ſenſibili, quo tam arctis incluſam carceribus intelligentiam videbat, idearum tamquam pinnis in inani intelligentiae purae ſpatio periclitabatur; velut columba leuis, quae libero volatu, quem reluctantem ſentit, aëra ſecans longe ſecum actum iri praeclarius in ſpatio ab omni aëre vacuo exiſtimet. Neque enim animaduer-

tit philoſophus, nullam ſeſe, vtcumque vires contenderet, viam lucrari, cui inſiſteret: ſi quidem, quo quaſi ſuffultus niteretur, atque in quod vim ſuam facultatemque conferret, vt mentem quaſi loco moueret, nil fixi quidquam certique habebat. Sed ea plerumque ſors eſt rationis humanae in quaerendis inueſtigandisque rebus ab oculorum conſuetudine ſeiunctis prorſus atque remotis, vt, quam fieri poſſit, maturius aedificium perficiat atque abſoluat, et poſtea demum, probe illud ſit, nec ne, conſtitutum, ſatis praepoſtere exploret. Tum autem varios vndique titulos ſolemus ac praetextus conquirere, quibus de firmitate aedificii nosmet conſolemur, vel etiam feram eiusmodi atque ancipitem explorationem repudiemus. Id vero, quod, dum aedificamus, ab omni nos metu ac ſuſpicione liberat, nobisque doctae cuiusdam ſubtilitatis ſpecie imponit, in eo cernitur, quod operae, quam ratio impendit, permagna pars, et fortaſſe maxima, in conceptibus rerum, quas iam cognitas habebamus, explicandis diſcutiendisque verſatur. Quo quidem efficitur, vt copia notitiarum augeamur eiusmodi, quae, quamuis id tantummodo, quod in conceptibus, licet obſcurius, cogitaueris, explicetur atque illuſtretur, tamen ſaltem quoad formam nouis cognitionibus aequiparentur, cum tamen, quos perceptos habemus, conceptus, ſi materiam eorum complexumue reſpicias, nil quidquam ampliores reddantur, ſed tantum clariores efficiantur. Quae quidem via cum veram ex anticipatione profectam cognitionem largiatur, quae tuto progreſſu et commodo gaudeat, fit, vt hac oſtentatione illuſa ratio ex quaſi quadam ſubreptione haud animaduerſa ad ſententias deferatur maxime ſeiunctas atque diſcrepantes, dum conceptibus datis atque propoſitis alios ratio, idque ex anticipatione, adnectit prorſus alienos et aduentitios, ita quidem, vt, quo illa ſit eos adepta, modum plane ignores, neque iſtius originis indagandae cura vmquam animum occupet. Quamobrem e re eſſe arbitror, ſtatim in principio huius tractationis de diſcrimine duplicis huiusce generis videndi veri paullo accuratius diſſerere.

IV.

De iudiciorum analyticorum et ſyntheticorum diſcrimine.

Eſt omnium iudiciorum mentis, ſi, quo ſubiectum cum attributo comparetur, modum ſpectaueris, ratio duplex (ſi ſolam aientium partem conſideres; tum enim ad formam negantium facilis applicatio erit). Aut enim attributum B ſubiecto A continetur, tamquam aliquid, quod iam inſit notioni A, quamuis latenter: aut attributum B totum eſt extra notionem A poſitum, quamuis coniunctum cum illa atque connexum ſit. Ac ſuperioris quidem generis iudicium *analyticum*, poſterioris *ſyntheticum* appellabimus. Itaque *analytica* iudicia (de aientium parte loquimur) ea erunt, in quibus, quae ſubiecto attributa ſunt, coniuncta cum eo *ex vno atque eodem* (ex identitate) cogitamus: ſed ea, in quibus illa complexio copulatioque ſubiecti cum attributo ſuo non ex vno atque eodem mente concipitur, *ſynthetica* iudicia nominamus. Atque enunciata quidem, quae priore loco deſcripſimus, poterunt etiam *illuſtrantia* dici, vti poſterioris generis *amplificantia*: neque enim in illis quidquam per attributi rationem ad conceptum ſubiecti accedit, ſed ſubiecti conceptus explicando diſpeſcitur in conceptus, qui quaſi partes in ea, quamquam obſcurius, cogitati continentur. Contra ea vero poſterioris formae haec ratio atque natura eſt, vt conceptui ſubiecti aliquod attributum addatur, quod nullo modo ſit in illo cogitatione depictum atque agitatum, quodue nulla prorſus explicatione iſtius elici potuiſſet atque euolui. Velut ſi enuncies: omnia *corpora* ſunt *extenſa*; iudicium analyticum tuleris. Neque enim, quo extenſionem tamquam illi adiunctam reperias, opus erit, vt conceptum corporis migres ac deſeras, ſed ſatis erit, vim virtutemque conceptus illius ſi explicaueris, hoc eſt, ſufficit, vt, quae ſemper illi cogitantur ineſſe, variorum nobis conſcii ſimus, quo attributum in iis inueniamus. Eſt ergo enunciatum iſtud in analyticis. Contra ea vero ſi pronuncies: omne *corpus graue* eſt; tum ei, quod corpori tribuis, longe quiddam aliud ineſt, atque in ſolo corporis conceptu

omnino cogitatur. Cuiusmodi igitur attributi adiectione iudicium ſyntheticum efficietur.

Iam *empirica iudicia*, quatenus de fonte ſunt experientiae hauſta, cuncta erunt ſynthetica. Nam abſurdum eſt, analyticae ſententiae experientiam velle, quaſi quoddam fundamentum, ſubſternere, ſi quidem ad eam ferendam non eſt, quod conceptum deferas vel transgrediare, adeoque haud indigeas teſtimonio experientiae. Corpus eſſe extenſum, perquam euidenter ac firmiter ex anticipatione enunciatur, neutiquam ex experientia. Ante enim, quam ad experientiam accedas, omnes leges, quibus effici poteſt, vt ſic enuncies, complexas conceptu habes, vnde attributum poſſis ad decretum repugnantiae elicere, eoque ipſo eſſe tibi conſcius queas neceſſitatis, qua cogaris ita pronunciare, quam, multum aberit, vt experientia ſit vmquam oſtenſura. Quamquam autem e contrario grauitatis attributum minime complectimur conceptu corporis generatim ſpectati, tamen illo conceptu res deſignatur experientiae ſubiecta ex parte quadam atque obuia, cui proinde et alias eiusdem experientiae partes poſſis adiungere. Etenim conceptus corporis antea poterit analytice, hoc eſt, ex notis extenſi, ſolidi, eminentis et ſimilium, quae cuncta in eo conceptu comprehenſa complexaque cogitantur, cognoſci. Iam vero augetur cognitio et creſcit, dumque experientiam ſpectamus, vnde iſtum corporis conceptum ſeiunxeramus, coniunctam ſemper cum notis illis grauitatem quoque animaduertimus, quam deinde conceptui illi, tamquam attributum aliquod, ſynthetice annectimus. Itaque hinc cogitur, vt, quo grauitatis attributum cum conceptu corporis iungi queat ſynthetice et copulari, ope ſolius experientiae efficiatur: quamquam enim hi conceptus neutiquam ita ſint inuicem iuncti nexique, vt vno alter teneatur complexus et comprehenſus, tamen vt partes cuiusdam totius, nimirum experientiae, quae ipſa quidem in copulatione viſionum ſynthetica cernitur, iunctae inuicem aptaeque, quamquam tantum fortuito, videantur.

Sed in iudiciis ſyntheticis ex anticipatione totum iſtud adminiculum deeſt. Namque ſi conceptum A migrare debeam ac relinquere, vt alium B cum illo coniunctum poſſim cognoſcere; quid, quaeſo, erit, cui innitar, quoue, vt ea ſyntheſis eſſe queat, efficiatur? neque enim perluſtranda patet regio experientiae. Ponamus enunciatum hoc: quidquid fit, cauſam ſui habeat, neceſſe eſt. In conceptu quidem eius quod fit, cogito ſane aliquid eſſe, cui quoddam tempus praecedat, et id genus alia; et inde analytica poſſunt iudicia elici atque emergere. Sed conceptus cauſae prorſus extra illam notionem poſitus eſt, et indicat aliquid, quod ab eo, quod fit atque exſiſtit, ſit diuerſum, ac proinde in hac poſteriore repraeſentatione nullo modo continetur. Quo igitur iure potero ei, quod omnino fit, tribuere aliquid plane ab eo diuerſum, notionemque cauſae, illo haud complexam quidem et comprehenſam, et tamen vere illi atque adeo neceſſario adiunctam, cognoſcere? Quae tandem erit ignota illa atque recondita ratio, $=x$, cui mens innititur, quum extra notionem A attributum alienum quidem putat offendere, quod nihilominus coniunctum cum illa exiſtimat? Experientia eſſe non poterit; ſi quidem enunciatum illud non ſolum cum vniuerſalitate latius patente, verum etiam neceſſitatis ratione, adeoque prorſus ex anticipatione, atque e ſolis notionibus hanc alteram notionem ſuperiori adiunxit. Atque in iſtis decretis ſyntheticis, hoc eſt iis, quibus creſcit cognitio atque augeſcit, omne conſilium vertitur cognitionis noſtrae a priori ſiue ex anticipatione efformandae: nam analyticorum ratio eſt illa quidem grauiſſima et ſumme neceſſaria, ſed non, niſi vt eam notionum perſpicuitatem conſequamur, quae ad certiorem ampliorémque ſyntheſin, quae noua nos cognitionis acceſſione augeat, requiritur.

V.

In omnibus diſciplinis rationis theoreticis iudicia ſynthetica a priori ſiue ex anticipatione tamquam principia inſunt.

1. Ac mathematica quidem iudicia omnia et ſingula in ſyntheticis ſunt. Id quod aciem doctorum ho-

minum, qui operam ſuam in explicanda excutiendaque hominis ratione ponerent, huc vsque videbatur fugere; atque adeo exſpectationi eorum vel maxime aduerſari; quamquam illud quidem extra omnem controuerſiam poſitum, atque eorum, quae inde conſequuntur, ponderibus grauiſſimum eſt. Quoniam enim videbant, argumentationes Mathematicorum pro eo, ac natura eorum poſtulat, quae ex neceſſaria ratione efficiuntur, cuncta ex effato repugnantiae fieri, accidit, vt decreta quoque ex pugnantium effato perſpici poſſe, ſibi perſuaderent. In quo falli ſe paſſi ſunt. Nam poteſt quidem enunciatio ſynthetica ad normam effati pugnantium comprehendi, neque tamen ex ſe ipſa ſola, ſed ita, vt enunciatum ſyntheticum aliud ponatur, cui eſſe conſequens poſſit.

Ac principio quidem notandum eſt, enunciata proprie mathematica ſemper verſari in iudiciis neutiquam empiricis, ſed a priori atque ex anticipatione formatis: nam rationem neceſſariam enunciant, quae non ex vſu poteſt atque experientia intelligi. Quodſi cui haud largiendum videbitur, age, rationem noſtram intra fines matheſeos purae contineamus, quae per ipſam notionem ſuam ab empirica ratione vacua, notitias ex anticipatione pura tota complectitur.

Ac primum quidem putaueris, enunciationem, quae ponit $7+5=12$ totam analyticam eſſe, quae ex conceptu ſummae e ſeptenario et quinario numero conflatae ad normam effati repugnantium efficiatur. Verum, quum accuratius contemplaueris, patebit, conceptum ſummae e ſeptenis et quinis collectae nil quidquam complecti, niſi vtriusque numeri coniunctionem in vno, quo quidem minime cogitatur, qui numerus iſte vnus ſit, qui vtrumque contineat. Neque enim numeri duodeni conceptus eo ipſo iam cogitatione depictus erit, quod ſeptenos quinosque inuicem iunctos complexosque mente informaueris, neque illo conceptu eius, quae fieri poſſit, ſummae diſſecto quantumuis atque reſoluto duodenum numerum vmquam reperies. Opus eſt potius, vt conceptus iſtos egrediare, ad viſumque con-

fugias, alterutri reſpondens, velut ad digitos quinos, aut, quod Segnerus in Arithmetica fecit, puncta quina, et ita paullatim numeri quinarii in viſo propoſiti ſingula ad ſeptenarii conceptum adiungas. Itaque ſumto primum numero ſeptenario, et ad conceptum quinarii quinis manus digitis, qui viſione ſunt percepti, adiutus, ſingula, antea ad numerum quinarium efficiendum complexa, iam pedetentim in illo viſo ad numerum ſeptenarium adiicimus, atque ita duodenum exſiſtere videmus. Vidimus quidem, in conceptu totius $= 7 + 5$. hunc 7 ad 5 addi debere; ſed hanc ſummam numerum aequare 12, nequaquam videbamus. Inde fit, vt enunciatio arithmetica ſemper in ſyntheticis eſſe videatur. Id quod confirmatius erit ac dilucidius, quo maiores numeros adhibueris: tum enim perſpicue intelliges, quantumuis notiones verſes ac torqueas, tamen per ſolam earum explicationem, niſi viſionibus adiutos, numquam nos ſummam inuenturos.

Neque vero quodpiam vmquam Geometriae purae enunciatum in analyticis erit. Velut, lineam rectam duobus punctis interiectam eſſe breuiſſimam, ſynthetica pronunciatio eſt. Si quidem in conceptu recti neutiquam quidquam quantitatis ineſt, et eo quaedam ſubiecta qualitas continetur. Itaque conceptus breuiſſimi totus ad eum accedit, neque vlla poteſt explicatione atque analyſi ex lineae rectae conceptu elici atque euolui. Ergo manifeſtum eſt, hic viſione opus eſſe, qua quidem ſola fieri poterit ſyntheſis.

Sed ſunt in iis, quae ſumunt Geometrae, enunciata quaedam proprie analytica, quae in ſolo pugnantium effato nituntur. Verum haec, tamquam ea quae ipſa ex ſe connexa ſunt (enunciationes identicae), non poſſunt pro decretis atque principiis adhiberi, ſed ex ea parte tantum, qua complent atque perficiunt viae docendi atque methodi compagem illam, quaſique catenam: Velut $A = A$, totum ſibimet ipſum aequale eſt, vel $(a + b) > a$, hoc eſt, totum maius eſt qualibet ſua parte. Ac vel his ipſis, vt ex ſolis conceptibus pendeant, tamen locus in mathematicorum ratione propterea tantum conceditur,

quoniam in viſione poſſunt deſcribi atque proponi. Sed ambiguitas verbi in cauſa eſt, quare plerumque putemus, attributum talium iudiciorum apodicticorum iam noſtro conceptu contineri, et proinde iudicium analyticum eſſe, propterea quod conceptui propoſito attributum quoddam cogitatione adiungendum erit, quae quidem neceſſitas iam ipſi conceptui adhaeret. Sed hoc loco non quaerimus, quid cogitatione debeamus ad propoſitum conceptum adnectere, ſed quid vere eo complexum, quamuis obſcurius, cogitemus: quo quidem inueſtigato exploratoque patebit, attributum conceptibus illis quidem neceſſario adhaerere, at in ipſo tamen conceptu non quod inſit cogitari, ſed viſione quadam ſiue contuitu intercedente, qui ad conceptum debeat accedere.

2. Iam vero *phyſica* iudicia ſynthetica ex anticipatione formata, tamquam decreta atque principia continentur. Eius generis exemplo poſitae ſint enunciationes hae: in omnibus mutationibus mundi corporei quantitatem materiae eandem manere et immutabilem; vel in quouis motu communicando actionem et reactionem ſemper eſſe aequalem cogi. Namque in hoc vtroque conceptu neceſſitatem ineſſe, adeoque a priori ortos, apparet, ſed etiam in ſyntheticis enunciatis eos verſari. Si quidem conceptu materiae non quae perpetua ſit, ſed quae in ſpatio, quod capit, appareat, cogitamus. Ita fit, vt vere conceptum materiae transſiliamus, vt, quod in eo complexum haud cogitabamus, a priori cogitando addamus. Vnde efficitur, vt illa enunciatio neutiquam analytica, verum ſynthetica ſit, nihilominus tamen a priori atque ex anticipatione cogitetur. Id quod etiam in caeteris enunciatis purae partis phyſices locum habebit.

3. In *metaphyſica* denique, ſi vel pro arte accipiatur illa quidem tentata tantum huc vsque, ſed per naturam rationis humanae neceſſaria, notitias ineſſe, quae antecapiantur et praeſumantur, ſyntheticas oportebit. Neque enim ea id agit, vt perceptiones praeconceptas excutiat enodetque, atque ita ἀναλυτικῶς illuſtret, ſed;

cupimus etiam cognitionis noſtrae, a priori, quod dicunt, fines proferre, vbi opus eſt, vt decretis vtamur eiusmodi, quibus fiat, vt ad conceptum datum atque propoſitum, adiiciatur aliquid, quod eo nondum contineretur. In quo quidem loco ſubinde accidit, vt iudiciis ſyntheticis praeſumtis et anteceptis eo vsque progrediare, quo te non ſequi poſſit experientia. Exemplo ſit haec pronunciatio: mundus aliquando, neceſſe eſt, primordia ceperit, et quae ſunt generis eiusdem. Itaque relinquitur, vt metaphyſica, certe ex fine quem propoſitum habet, ſingulis enunciatis ſyntheticis, quae antecapiantur, efficiatur.

VI.

Quaeſtio vniuerſalis rationis purae.

Ac permultum quidem effecerimus, ſi multarum quaeſtionum vim et frequentiam ad vnius poſſimus quaeſtionis formulam reuocare. Ita enim et nobis deliberandi labor, definitus ſic accuratius et circumſcriptus, reddetur facilior, et iudicandi aliis omnibus, qui ſub examen vocabunt, rectene nos partibus noſtris perfuncti videamur, nec ne. Sed locus, qui vere proprieque rationi purae propoſitus eſt, attingit hanc quaeſtionem: *quomodo iudicia ſynthetica praeſumi et antecapi poſſunt?*

Quare metaphyſices tam lubrica huc vsque atque ambigua, et vero etiam maxime inconſtans et pugnarum plena conditio eſſet, potiſſimum in cauſa eſt, quod haec quaeſtio, et vel ipſum, opinor, quod analytica inter et ſynthetica iudicia intercedit, diſcrimen nullius animo prius occurrerat. Itaque vel ex hac quaeſtione rite aperta ſolutaque, vel ab exquiſita ratione aliqua atque indubitata, quae doceat, non poſſe oſtendi, qui fiat id, quod ea quaeſtio poſtulat euinci, ſors omnis metaphyſices aut ſtaturae aut caſurae pendebit. DAVIDES quidem HUMIUS vnus ex philoſophis proxime ad hanc quaeſtionem acceſſit. Verum nec ſatis definite illam quidem et circumſcripte mente agitabat, nec tam late patentem, ſed ſoli effato colligationis cauſarum (principio cauſalitatis) cum effectis συνθετικῶς inhaerens, elici putabat,

eſſe non poſſe, vt tale enunciatum aliquod antecapiatur. Atque ex eius rationum momentis conſequeretur porro, doctrinam omnem illam, quam verbo metaphyſices notamus, meram opinionem eſſe cognitionis putatitiae vi virtuteque rationis partae eorum, quae vere ex vſu atque experientia hauſta et mutuata, ſpeciem a conſuetudine ſint neceſſitatis adepta. Sed in hanc ſententiam, omnem vim rationemque philoſophiae funditus tollentem, numquam incidiſſet philoſophus, ſi, quam modo propoſuimus, vniuerſam illam quaeſtionem ob oculos collocatam habuiſſet, potiusque illi planum fuiſſet, fieri non poſſe, vt ad huius argumenti ſui conclusionem matheſis pura ſit, quam certum eſt enunciata ſynthetica praeconcepta complecti. Sed in iſtam ne ſe praecipitaret, mentis bonitate atque acumine cautum fuerat. Iam in enodatione quaeſtionis ſuperioris ineſt etiam modus, quo eſſe vſus queat rationis purae in inchoandis abſoluendisque omnibus doctrinae partibus, quibus cognitio rerum theoretica a priori, vt aiunt, ſubiecta eſt, adeoque duplicis iſtius loci explanatio:

Primo *qui eſſe poſſit matheſis pura?*

Deinde *qui eſſe copia poſſit phyſices purae?*

De qua quidem vtraque doctrinae forma, quum vere data ſit, ſane fas erit quaerere, *quomodo* illa eſſe poſſit? Nam eſſe vtramque poſſe, inde, quod ea vere eſt, ſatis argumenti videtur. *) Ac metaphyſicam eſſe illam quidem omnino poſſe, ſuo quisque iure dubitet, propterea quod eam hucusque adeo parum progreſſam nouimus, vt, ſi, quem illa ſibi proprie propoſitum habet, finem conſideres, et cum vna quaque metaphyſicae di-

*) Erunt fortaſſe, qui phyſicam puram vere eſſe, dubitent. Verum is, qui ad enunciata illa varia, quae in principio phyſicae empiricae ſolent tractari, animum aduerterit, velut eandem ſemper eſſe quantitatem materiae; eſſe quamdam in corporibus vim, quam dicunt, inertiae; actionem et reactionem eſſe aequalem, et ſimilia; is facile erit perſuaſus, quampiam illis phyſicam puram (ſiue rationalem) contineri, quae, vt peculiaris doctrina, pleno ſuo vel anguſtiori ambitu, vel latiori ſeparatim proponi digna videatur.

ſciplinae formula compares, nullam etiamnunc vere exſtare, iudicandum videatur.

Sed illa cognitionis pars tamquam data quodammodo atque conceſſa accipi debet, atque, vt haud artificialis, at naturalis quaſi quaedam et inſita in animis noſtris metaphyſica erit. Si quidem ratio humana, non vanitate ducta multarum rerum ſcientiae, ſed peculiari quodam quaſi indigentiae ſenſu ac deſiderio excitata citato gradu ad eas quaeſtiones progreditur, quae nullo poſſunt vſu rationis empirico, nulliſque inde ſumtis decretis explicari: ex quo manifeſtum eſt, in ſingulis hominibus, in quibus ſimulatque ratio ad inueſtigationem contemplationemque rerum occultarum ſeſe exſerat, aliquam metaphyſicam et eſſe, et fuiſſe, et vero etiam in poſterum futuram. Ita fit, vt nunc etiam de hac quaeratur:

Qui eſſe naturalis metaphyſica poteſt? hoc eſt, qui fit, vt quaeſtiones naſcantur, quas ratio pura proponit, quaſque vt, quam fieri poſſit, optime ſuo ipſius indigentiae ſenſu ſoluendas exſtimuletur?

Quum autem huc vsque fruſtra tentata ſit quaeſtionum ſolutio, quarum quidem non poterat ratio ſuperſedere, velut vtrum mundus initia ceperit, an ſit aeternus, et quae ſunt de genere eodem, nec fieri poſſet, quin ſemper pugnantia deprehenderes; ſequetur, vt in metaphyſica illa naturali, hoc eſt, facultate rationis purae, vnde quidem ſemper aliqua, qualis illa cumque ſit, metaphyſica exſiſtet, haud acquieſcamus, ſed ad certam illam atque indubitatam rationem vt perducere poſſimus, oportebit, ſiue ſcientiae rerum ſiue inſcientiae, adeo vt vel de rebus, quas ea quaerit atque inueſtigat, vel de vi et potentia rationis, vel eius impotentia et imbecillitate reſpectu earum ſtatuendi iudicet, ac proinde rationem noſtram genuinam et ſimplicem vere augeat atque amplificet, aut, quibus ea ſe teneat, fines ac terminos conſtituat. Atque haec poſtrema, quae ex vniuerſa illa quaeſtione exſiſtit, quaeſtio haec erit: *quomodo eſſe poteſt metaphyſica artificialis?*

His igitur expoſitis intelligitur, artem criticam rationis tandem neceſſario ducere ad ſcientiam; contra ea vero, ſi ea δογματικῶς, neglecta arte critica, vtare, fieri non poterit, quin ad vanas atque inanes opiniones, quibus aliae poſſint aeque ſpecioſae opponi, et proinde in ſcepticorum errores delabare.

Atque haec ſcientia quoniam non in rebus verſatur rationi ſubiectis atque propoſitis, quarum quidem infinita varietas eſt, ſed in ſe ipſa et quaeſtionibus ex ſe natis, quae non ab natura rerum a ſe diuerſarum, ſed per ſuam ipſius naturam ipſi propoſitae ſunt, mole ſua laborare haud poterit aut terrere. Quae ſi vim ſuam ratione rerum experientiae forte obuiarum plenius cognouerit, facile poterit ambitum et fines vſus ſui, vltra terminos experientiae tentati, plene recteque definire.

Omnes ergo ac ſingulos conatus, quibus hucusque δογματικῶς, ſiue ex decretis praeſumtis atque anteceptis metaphyſica tentata eſt, vanos atque irritos et tamquam infectos iudicare et poſſumus et debemus. Quae enim in hac vel illa diſciplina metaphyſica ex enunciatis analyticis efficiuntur, ſcilicet mera perceptionum ſolutio atque enodatio a ratione anteceptarum, ea non ipſum finem attingunt, ſed tantum ad apparatum verae pertinent metaphyſices, cui quippe propoſitum eſt, vt cognitio ex notitiis anteceptis atque praeſumtis augeatur et creſcat. Atque huic quidem negotio impar illa minusque idonea eſt, quum tantum oſtendat, quae his perceptionibus contineantur, non autem, qua via perceptionibus illis anteceptis atque inchoatis potiare, vt inde vſum illarum legitimum ratione eorum, quae omni cognitioni ſubiecta ſunt, omnino poſſis definire. Parum quoque opus erit modeſtiae, vt omnes illas poſtulationes mittas, cum, quae nec negari poterunt, neque in via dogmatica euitari, repugnantiae rationis in ſe, omnem, quae huc vsque exſtitit, metaphyſices formulam auctoritate dudum priuaſſent. Quo maior autem requiretur conſtantia et grauitas, vt ne iis, quae vel intus negotium difficile reddunt, vel extrinſecus obſiſtunt, deterreare, et vt artem potius atque ſcientiam rationi hominum ſumme

neceſſariam, cuius ſtirpes ſingulae amputari illae quidem poſſunt, ſed radices non poterunt, alia tractandi via et vulgari prorſus contraria colas et foueas, quo incrementa illa capiat et fecunda creſcat atque augeſcat.

VII.

Idea et diuiſio artis peculiaris, quae critica rationis purae dicatur.

Ex iis omnibus, quae hactenus dicta ſunt, idea efficitur artis cuiusdam peculiaris, quam criticam rationis purae dicamus. Etenim ſi ratio in facultate cernitur ſubminiſtrandi initia ac principia cognitionis anteceptae, ſiue a priori profectae; cogitur, vt ratione pura et ſimplici illa ipſa initia teneantur cognitionis praeſumtae atque anteceptae, inchoataeque. Itaque organon rationis purae complexu efficeretur initiorum, quibus cunctae purae notitiae praeconceptae capi atque acquiri poſſint, et perfici abſoluique. Plena autem perfectaque eiusmodi organi ad vſum applicatione doctrina (σύστημα) rationis purae complexa teneretur. Atque in hoc quidem quum poſci nimium videatur, et adhuc dubium ſit, an hoc in genere, vel in quibusnam partibus, creſcere queat cognitio noſtra atque augeri; artem tantum criticam rationis purae, fontiumque atque originum illius, et terminorum et limitum, tamquam artem praeuiam et praeparantem (προπαιδευτικὴν) doctrinae rationis purae conſideremus. Ac talis quidem ars dici non doctrina deberet, ſed critica rationis purae, cuius proinde vſus in indagatione et inueſtigatione rerum occultarum vere tantum, quem vocant, negatiuus, ideoque non ad augendam, ſed ad corrigendam rationem noſtram aptus, ad eamque liberam ab errorum opinionibus praeſtandam. Id quod iam permultum lucri foret. Iam vero omnes eas notitias liceat transſcendentales dicere, quae non tam in rebus ipſis propoſitis atque obiectis, quam potius in modo cognoſcendi eas res nobis proprio et naturali, quatenus is praeſumi et antecapi poteſt, omnino verſantur. Atque eiusmodi perceptionum doctrina dici poſſet philoſophia transſcendentalis. Verum et haec

longe maioris molis foret ac ponderis, quam vt initio poſſet et fundamento ſcientiae ſeruire. Namque quia talis doctrina vtramque cognitionem anteceptam plenam perfectamque, et analyticam et ſyntheticam, complecti deberet, latius ea pateret, quam conſilium noſtrum poſtulat atque permittit, cum analyſi vti tantum nobis liceat, quatenus ea ſumme neceſſaria, vt omnem initiorum principiorumque συνθέσεως praeſumtae atque anteceptae, quippe quam ſolam ſpectamus, ambitum atque compagem perſpiciamus. Atque in hac inquiſitione et tractatione, quam proprie non doctrinam, ſed criticam transſcendentalem dicere poſſis, eo quod notitias ſpectat non augendas, ſed emendandas, nobisque eſſe pro obruſſa debet, ad quam omnem cognitionem praeconceptam vel probemus, vel reprobemus, omnis noſtra opera verſabitur. Itaque talis ratio critica, ſi fieri poterit, praeparatio erit, quaſique praeludium organi, quod ſi minus ſucceſſerit, ſaltem canonis, ex cuius praeceptis doctrina plenior philoſophiae purae, ſiue ad augendam, ſiue ad limitandam cognitionem ea faciat, cum ἀναλυτικῶς, tum συνθετικῶς poſſet proponi. Iſtud enim fieri poſſe, quin tale ſyſtema non ita late poſſe patere, vt illud ſperes abſolutum iri, inde iam poterit colligi, quod hic non inexhauſta illa rerum natura, ſed mens de natura rerum iudicans, et vel haec ipſa ratione cognitionis anteceptae, quaſi materia, quam tractet, ei ſubiecta videtur, cuius quidem copia atque vbertas, quia non eſt quaerenda extrinſecus, nobis non poterit recondita atque tecta manere, et, quantum ſuſpicari poſſis, ſatis tenuis erit, vt plene perfecteque colligatur, riteque examinetur, et iuſtum illius pretium ſtatuatur. Multo minus cenſura hic librorum poterit doctrinarum rationis purae exſpectari, et critica ipſius facultatis rationis purae. Haec ſola, ſi fundamento fuerit, pro lapide Lydio erit, ad quem librorum, tum veterum, tum recentiorum valorem ac pretium recte queas ſtatuere. Alias vero iniquitas et narrantis, et iudicantis vanas atque irritas aliorum ſententias ſententiis ſuis aeque vanis atque irritis, vel probat vel reſpuit.

Sed philoſophia transſcendentalis cernitur in idea doctrinae, cuius formam plenam atque integram deſcribere debet critica rationis purae ἀρχιτεκτονικῶς, h. e. ex initiis et notionibus, ita quidem, vt fidem praeſtet de bonitate et firmitate eorum omnium, quibus, ex ſua quaſi materia, totum illud aedificium exſtruatur. Eſt illa ergo doctrina omnium initiorum et principiorum rationis purae. Quare autem haec ars critica haud ipſa iam dici philoſophia transſcendentalis poſſit, in cauſa eſt, quod plenam totius cognitionis humanae anteceptae, quam, vt abſolutam doctrinam efficeret, analyſin complecti deberet. Iam haec ipſa ratio critica conceptus primos quaſique animo inſitos, quibus, de qua hactenus diximus, cognitio anticipata continetur, omnes quidem ac ſingulos recenſeat, neceſſe eſt, atque enumeret. Sed a plena perfectaque horum conceptuum analyſi, et a recenſione omnibus partibus expleta eorum, qui ex illis ducti ſunt deriuatique, merito ſibi temperat. Neque enim fini atque conſilio analyſis illa conueniret, quia ipſi non eadem difficultas ineſt, quae deprehenditur in ſyntheſi, ad quam proprie ars tota critica pertinet. Tum vero etiam ſimplicitati formae ordinisque delineati contrarium foret, ſi in tuenda plena illa ratione ἀναλύσεως eiusque deriuatione verſetur, qua reſpectu conſilii facile poterat ſuperſederi. Interea haec analyſis, eiusque deriuatio ex notionibus praeſumtis aliquando largiendis facile poteſt expleri, ſi modo et adſint demum plena initia συνθέσεως, nec deſit aliquid, quod pro fine conſilioque neceſſario requiratur.

Igitur ars critica rationis purae, ad quam pertinet, quidquid philoſophia transſcendentali continetur, in pleniſſima abſolutiſſimaque idea verſatur philoſophiae transſcendentalis, neque iam ipſa haec eadem doctrina eſt, ſi quidem illa tantum modo in analyſi progreditur, quantum ad diiudicandam cognitionem praeconceptam requiritur.

Sed in partitione artis eiusmodi prima cautio erit, ne locum in ea inueniant conceptus ex vſu rerum et experientia petiti, vtque ideo prorſus ſimplex et genuina

ſit cognitio anticipata. Igitur, quamquam ſumma decreta morum, eorumque notiones primae in notitiis anteceptis verſantur, tamen illa locum in philoſophia transſcendentali non habebunt, eo quod conceptus iucundi et iniucundi, appetitionum, propenſionum, et quae ſunt generis eiusdem, qui cuncti ſunt ex vſu et experientia hauſti, non ipſa quidem quaſi fundamenta praeceptorum ponit, ſed in notione tamen officii, velut obſtaculum, quod vinci debeat, aut tamquam ſtimulum, quo non liceat vti pro ratione agendi, in formandam doctrinam morum ſimplicem et puram transferri debet. Ex quo quidem manifeſtum eſt, philoſophiam transſcendentalem in formis eſſe philoſophiae anteceptae ſolius indagantis. Omnia enim, quae ad actionem ſpectant, quatenus impulſiones continet, attingit tactus, qui in fontibus ſunt cognitionis ab vſu experientiaque profectae.

Itaque ſi partitionem huius artis ex notione doctrinae vniuerſe ſpectatae, inſtitues, critica illa, quam hic proponimus, artem debebit cum elementarem, tum artificii et viae rationis genuinae puraeque complecti. Ac ſua cuique horum capitum denuo ſubiecta partitio foret, quorum tamen fundamenta et cauſae hoc loco nondum poſſunt commode adferri. Illud modo ad inſtitutionem praefationemque pertinere videtur, duabus e ſtirpibus cognitionem humanam progerminare, natis fortaſſe e radice communi illa quidem, ſed nobis ignota, ſenſum dico, et intelligentiam, quorum illo res nobis dantur et obiiciuntur, hac autem cogitatione depinguntur. Quatenus ergo in ſenſu inſunt repraeſentationes praeſumtae, quae legem continent atque conſtituunt, qua res nobis dantur et offeruntur, ad Philoſophiam is transſcendentalem pertinebit. Sed Aeſtheticatransſcendentalis in priori parte artis elementaris locum haberet, quoniam, quibus ſolis fit, vt cognitioni humanae res ſubiectae proponantur, leges iis antecedunt, quibus eae mente agitantur.

ARS CRITICA

RATIONIS GENVINAE ET PVRAE.

I.

ARS ELEMENTARIS TRANSSCENDENTALIS.

ARTIS ELEMENTARIS

PARS PRIOR.

AESTHETICA TRANSSCENDENTALIS.

§. 1.

Qua illa tandem cumque via, quibusue cumque ſubſidiis atque adminiculis ad res ſibi ſubiectas cognitio referatur, tamen is modus, quo illa proxime ad eas refertur, et quo omnis cogitatio, motusque animi pertinet ac tendit, poſitus in contuitu eſt ſeu viſione. Qui quidem tantum locum habet, quatenus res nobis datur atque obiicitur. Id quod ipſum vero, certe in homine, ita tantum fieri poteſt, vt illa animum quodammodo moueat atque adficiat. Sed vis illa (vulgo receptiuitas) qua ad modum, quo adfici pellique rebus obiectis videmur, repraeſentationes in nobis excitantur, *ſenſus* ſiue *facultas ſentiendi* vocatur. Igitur interueniente ſenſu res nobis dantur et offeruntur, ſed mente et intelligentia eae cogitantur, atque ex hac exſiſtunt conceptus. Omnis autem motus animi mentisque agitatio attingat demum contuitus, adeoque in nobis ſenſum, neceſſe eſt, ſiue iſtud directo fiat, ſiue circuitione quadam atque anfractu, ope certarum notarum; neque enim alia via eſt, qua res vlla nobis poſſit offerri.

Rei vero oblatae effectionem in mente, ſiue facultate repraeſentandi, quatenus nos ea pellimur ac mouemur, *ſenſationem* dicimus. Sed ille contuitus, qui per ſenſationem ad rem obiectam pertinet et refertur, dicitur empiricus, et res illa indefinita, quae viſioni empiricae ſubiecta eſt, *φαινόμενον*, id eſt, viſum, appellatur.

In viſo autem ſiue phaenomeno id, quod ſenſationi reſpondet, ad eamque eſt accommodatum, eius *mate-*

riam dicam; ſed illud, quo efficitur, vt, quae inſunt in viſo, varia illa quidem in certum ordinem redigantur, *formam* viſi, ſeu vim formatricem, liceat appellare. Quum vero id, quo fit ſolo, vt ſenſationum ordo ad certamque formam compoſitio poſſit exſiſtere, non ipſum eſſe poſitum in ſenſatione poſſit, cogitur, vt materia quidem viſorum vſu ſit nobis, ſiue a poſteriori, quod dicunt, oblata, ſed forma illorum omnis animo impreſſa atque antecepta (a priori aiunt) in promtu ſit, neceſſe erit, ideoque ſegregata queat ab omni ſenſatione contemplari.

Ac repraeſentationes quidem, omni ſenſus contagione vacuas, ſimplices et puras dico (ſenſu transſcendentali) Hinc ergo efficitur, vt viſionum ſenſu hauſtarum forma pura omnino antecepta in animo lateat, in qua varia illa, quae viſis continentur, ad certum ordinem conſtituta redactaque intuemur. Atque haec forma pura ſenſus ipſa quoque viſio ſiue *intuitio pura* dicetur. Exempli gratia, ſi a repraeſentatione corporis cuiusdam demas id et ſepares, quod in mente intelligentiaque agitatur, velut eſſentia (vulgo ſubſtantia) vis, ratio diuidua (diuiſibilitatem vulgo dicunt) et ſimilia, itemque ea, quae pertinent ad ſenſum, vt ſoliditas, vt durities, vt color, et quae ſunt generis eiusdem, ex hoc contuitu empirico aliquid demum reliquum erit, nimirum extenſio et figura. Atque hae pertinent ad viſionem puram, quae, ſi vel nulla res ſubiecta ſenſibus offeratur, tamen vt mera ſenſus forma antecepta in animo locum habebit.

Artem initiorum omnium ſenſus anticipatorum Aeſtheticam transſcendentalem dico. *) Erit ergo do-

*) Germani ſoli vocabulo aeſthetices vtuntur, quo deſignent id, quod aliis populis critica ſenſus pulcri vocatur. Eius rei cauſa eſt ſpes fruſtrata, quam quondam conceperat Baumgartenius, vir in re analytica praeſtantiſſimus, qui iudicium pulcri criticum decretis rationis complecti, huiusque regulis doctrinae formulam impertire volebat. Sed fruſtra laborant, qui hoc agunt. Namque hae regulae ſeu notae maximam partem e fontibus hauſtae ſunt empiricis, et proinde

ſtrina eiusmodi, quae priorem partem doctrinae elementaris transſcendentalis abſoluat, quae ex aduerſo poſita ſit ei, qua initia continentur actionis mentis atque agitationis ſimplicis et purae, et Logica transſcendentalis vocatur.

Igitur in Aeſthetica transſcendentali ſenſum ſimplicem faciemus et ſolitarium, ita vt ea omnia ſeparemus ac ſeiungamus, quae mens in eo ex notionibus ſuis cogitatione informat, ita, vt nil niſi viſio empirica relinquatur. Deinde etiam ab hac poſteriori cuncta ſeparabimus, quae ſenſationem ſpectant, vt nihil niſi viſio ſimplex puraque, et ſola viſorum forma relinquatur; id quod ſolum erit, quod ſenſus poteſt ex anticipatione largiri. Atque ex hac quaeſtione elucebit, binas eſſe formas puras viſionum a ſenſu profectarum, tamquam initia cognitionis praeſumtae et anticipatae, nempe ſpatium et tempus, in quibus contemplandis inueſtigandisque nunc verſabimur.

SECTIO PRIOR
AESTHETICES TRANSSCENDENTALIS
DE SPATIO.

§. 2.

Expoſitio metaphyſica huius conceptus.

Interueniente ſenſu externo (quae animi eſt noſtri proprietas) res obiectae nobis in mente obuerſantur extra

vti iis numquam poteris pro definitis legibus ex anticipatione profectis, ad quas iudicium pulcri ſeſe debeat componere, potiusque hoc pro obruſſa erit, ad quam illarum veritas exploretur. Quamobrem e re erit, ſi hoc verbo ad eam rem non amplius vtare, ſed ſerues illi arti potius, quae doctrina vera eſt (quo quidem etiam propior acceſſeris et linguae veterum, et ſententiae, in quibus diuiſio cognitionis in αἰσθητὰ καὶ νοητὰ valde celebrabatur); vel hoc vocabulum communiter adhibeas ad philoſophiam rationes ex anticipatione ſumtas contemplantem, ita vt aeſthetica partim in ſenſu transſcendentali, partim pſychologico ſumatur.

nos poſitae, eaeque cunctae in ſpatio. In quo quidem figura illarum, magnitudo, et ad ſe inuicem adfectio definita eſt, vel definiri poteſt. Ac ſenſu quidem interno, quo ſe ipſe animus ſuamue conditionem internam videt et intuetur, non efficitur viſio ipſius animi, tamquam eius, quod oblatum obiectumque ſit; certa tamen ac definita forma eſt, qua ſola fit, vt interni ſtatus eſſe viſio poſſit, ita vt omnia, quae rationes determinantes attingunt, ſecundum adfectiones temporis repraeſententur. Ac tempus quidem non poſſumus tamquam aliquid, quod extra nos ſit poſitum, intueri, nec ſpatium, quod in nobis videatur. Quid ſpatium igitur? quid tempus erit? Num illa ſunt naturae, quae vere ſint et appareant? Anne in rebus ſunt ſolum determinantibus, aut adfectionibus rerum, iisque eiusmodi, quae rebus ipſis competant, etiamſi ſenſu non percipiantur? An vero in ratione determinantium ſunt tali ponenda quae ſoli viſionis formae, ideoque naturae adhaereant animi ſingulari, et, quam vocant, ſubiectiuae, quorum ſine interuentu nil quidquam tribui rei cuicumque poſſit? De quo quid ſtatuendum ſit, vt intelligamus, primo conceptum ſpatii exponemus. Expoſitionem autem dico perſpicuam, quamquam haud plenam et perfectam, repraeſentationem eorum, quibus conceptus efficitur; ſed expoſitio erit metaphyſica, ſi complectitur ea, quae conceptum proponunt tamquam ex anticipatione datum atque oblatum.

1. Ac ſpatium quidem non in conceptu empirico verſatur, qui a rebus externis vſu atque experientia perceptis ſeparatus ſeiunctusque videatur. Namque, vt ſenſationes certas ad aliquid, quod extra me, hoc eſt in alio ſpatii loco ſit, quam eo, quem ipſe capio, poſſim referre, itemque, vt res extra me et alias inuicem pone alias, ideoque et extra ſeſe inuicem conſtitutas, ac proinde non ſolum diuerſas, ſed in diuerſis locis poſitas cogitatione depingere poſſim, repraeſentatio ſpatii, ſicut fundamentum aliquod, prior in animo lateat, neceſſe eſt. Hinc itaque efficitur, vt repraeſentatio ſpatii non ex adfectionibus viſi ſiue phaenomeni externi per vſum et ex-

perientiam adſumta mutuataque videatur, ſed huius ipſius experientiae copia non, niſi per hanc, quam diximus, repraeſentationem eſſe queat.

2. Porro vero ſpatium repraeſentatio neceſſaria eſt anticipata, quae vnicuique viſioni externae, tamquam fundamentum aliquod, ſubiacet. Neque enim vmquam, nullum ſpatium eſſe, cogitare poteris, quamquam, nullas in eo res ineſſe, poſſis cogitare. Atque hoc quidem ſpatium tamquam ea conditio conſideratur, qua efficiatur, vt eſſe viſa poſſint, non tamquam adfectio a viſis pendens, adeoque erit repraeſentatio ex anticipatione profecta, quae viſis externis neceſſario ſubſtrata videatur.

3. Nec vero ſpatium conceptus erit, quem vocant, discurſiuus, ſiue generalis, cui omnino ſint adfectiones rerum ſubiectae, ſed potius viſio pura. Primo enim non poſſumus niſi vnum ſpatium cogitare, et, quum de pluribus ſpatiis loquimur, tum partes tantum volumus vnius eiusdemque ſpatii intelligi. Neque hae partes vnum illud vniuerſum ſpatium tamquam particulae, quibus quidem iunctis efficiatur, vt eius eſſe compoſitio queat, antecedere poſſunt, et eſſe priores, ſed tantum in eo cogitantur. Eſt illud vnum per naturam ſuam, quaeque illi inſunt, varia illa, et proinde ipſe conceptus generalis ſpatiorum in vniuerſum, terminis et cancellis efficitur. Itaque hinc cogitur, vt ratione illius viſio ex anticipatione nata (quae haud empirica ſit) cunctis eius conceptibus pro fundamento videatur. Iam omnia enunciata Geometrarum, velut in quouis triangulo duo latera ſimul ſumta tertio maiora eſſe, numquam ex conceptu lineae et trianguli, ſed ex viſione, eaque anticipata ἀποδεικτικῶς, ſiue cum perſuadendi neceſſitate deriventur.

4. Denique cogitatur ſpatium tamquam quantitas infinita data atque oblata. Iam quiuis quidem conceptus cogitari debet tamquam repraeſentatio, quae in infinita vi diuerſarum repraeſentationum, tamquam nota illarum communis, complexa ſit, quasque proinde contineat.

Sed nullus conceptus, qua talis, ſic cogitari poteſt, vt vim repraeſentationum infinitam complectatur. Nihilominus ſic ſpatium cogitamus: nam partes ſpatii in infinitum omnes ſimul ſunt. Ergo prima repraeſentatio ſpatii in viſione verſabitur ex anticipatione orta, non in notione conceptuue.

§. 3.

Expoſitio transſcendentalis conceptus ſpatii.

Expoſitionem transſcendentalem dico enodationem conceptus, tamquam cauſae et principii, vnde eſſe alias ſyntheticas notitias poſſe, a priori queat intelligi. Quod quidem conſilium poſtulat, 1) vt eiusmodi notitiae e conceptu dato vere promanent, 2) vt hae notitiae tum demum poſſint eſſe, quum data quaedam enodationis ratio ſumta fuerit.

Geometria doctrina eſt proprietates ſpatii συνθετικῶς et tamen ex anticipatione definiens. Quid repraeſentatio ſpatii eſſe debebit, vt talis illius eſſe cognitio poſſit? Originarie viſio ſit, neceſſe eſt: neque enim ex ſolo conceptu euolui pronunciata poterunt, quae conceptum ſuperent atque migrent, quod tamen in Geometria fit (Inſtit. V.). Verum haec viſio antecepta debebit, hoc eſt, prior omni perceptione atque animadverſione rei oblatae, in nobis deprehendi, proinde pura, non empirica viſio eſſe. Enunciata enim geometrica cuncta ſunt ἀποδεικτικὰ, h. e. cum conſcientia neceſſitatis coniuncta. Velut hoc pronunciatum: Spatii non niſi tres dimenſiones ſunt. Quae quidem enunciata non ipſa eſſe iudicia empirica poſſunt, nec inde concludi.

Qui autem fit, vt externa eſſe viſio in animo poſſit res ipſas oblatas antegreſſa, in qua conceptus harum determinari poſſit ex anticipatione? Manifeſtum eſt, id fieri non aliter poſſe, quam quatenus ea tantum in ſubiecto ineſt, tamquam ratio formalis, qua poſſit illud a rebus oblatis pelli atque adfici, eoque repraeſentationem earum proximam, hoc eſt viſionem nanciſci, et proinde tamquam ſola forma ſenſus externi.

Ergo hac noſtra enodatione fit, vt, quomodo Geometria, tamquam cognitio ſynthetica ex anticipatione, eſſe poſſit, intelligamus. Atque haec nota eſt, qua quaeque explicandi ratio, quae hoc non oſtendit, ſi vel maxime illi ſimillima ſit, a noſtra certo poſſit dignoſci.

Conſectaria e ſuperioribus conceptibus.

a) In ſpatio nulla prorſus repraeſentatur proprietas rerum quarumpiam, nec vti per ſe ſunt, neque in adfectionibus ad alias, hoc eſt, nulla earum ratio determinans, quae in rebus oblatis ipſis inhaereat, quaeque maneat, ſi omnis lex viſionis, quam dicunt, ſubiectiua tollatur. Nullam enim determinantium rationem, nec abſolutam, nec comparatam, ante res ortas, quibus eae competunt, adeoque haud ex anticipatione poteris intueri.

b) Spatium nihil eſt aliud, quam forma omnium viſorum ſenſuum externorum, h. e. lex ſingularis, et, quam aiunt, ſubiectiua ſenſus, qua ſola eſſe viſio externa poteſt. Quoniam facultas ſubiecti, qua fit, vt a rebus oblatis pellatur et moueatur, neceſſario antecedit omnes et ſingulas harum rerum viſiones, intelligi poterit, quomodo forma omnium viſorum ante omnes perceptiones veras, adeoque ex anticipatione in animo eſſe data poſſit, et quo pacto ea, vt pura viſio, in qua omnes res obiectae determinari debent ac definiri, initia adfectionum earum omni experientia priora queat continere.

Itaque non, niſi vt homines, de ſpatio, de naturis extenſis, et id genus aliis loqui poſſumus. Quodſi a lege hac ſubiectiua diſceſſeris, qua fit ſola, vt viſiones externas nanciſcamur, pro eo ſcilicet atque a rebus obiectis pellimur ac mouemur, ſpatii repraeſentatio inanis erit. Hoc attributum rebus tantum conceditur, quantum conſpiciuntur, hoc eſt, ſubiectae ſenſibus ſunt. Forma illa perpetua huius facultatis, quam vim ſentiendi vocamus, lex neceſſaria omnium adfectionum, in quibus res tamquam extra nos poſitae conſpiciuntur, et ſi illam

ab his ſeiunxeris, viſio pura, quae ſpatium appellatur. Quoniam non licet ſingulares leges facultatis ſenſitiuae accipere pro legibus, quibus fiat, vt res ipſae eſſe poſſint, dici quidem poterit, ſpatio res omnes comprehendi, quae extrinſecus a nobis conſpiciantur, non autem omnes, vti ſunt in ſe ſpectatae, ſiue conſpiciantur, ſiue non, aut a quocumque velis. Neque enim de viſione aliarum naturarum cogitantium iudicare poſſumus, neque ſtatuere, an iisdem eae legibus adſtrictae teneantur, quibus noſtra circumſcripta viſio eſt, quaeque ratione noſtri valorem vniuerſalem habent. Si circumſcriptionem iudicii conceptui ſubiecti iungimus, tum iudicium ſimpliciter abſoluteque locum habet. Sed enunciatio: res omnes aliae pone alias in ſpatio ſunt, locum habet cum adiunctione, ſi hae res tamquam obuiae et oblatae viſioni ſenſus noſtri accipiantur. Quodſi autem conditionem conceptui adiunxero ſic: omnes res, tamquam viſa externa alia pone aliam in ſpatio ſunt, tunc haec regula vniuerſalis erit et ſine adiunctione accipienda. Atque ita expoſitiones noſtrae euincunt realitatem (h. e. valorem obiectiuum) ſpatii, quoad ea omnia extrinſecus, tamquam res oblatae, nobis poſſunt obuerſari, ſed ſimul etiam idealitatem ſpatii quoad res per rationem vti ſunt conſideratas, id eſt, non habito reſpectu conditionis facultatis noſtrae ſentiendi. Itaque tuemur realitatem ſpatii empiricam (quoad omnem, quae quidem eſſe poſſit, experientiam externam) quamquam idealitatem eius transſcendentalem concedimus, quippe qua illud nihil eſt, ſimul atque miſeris conditionem, qua omnis eſſe experientia poſſit, idque tamquam aliquid, quod rebus ita vt ſunt pro fundamento ſubſtratum videatur.

Eſt autem praeter ſpatium nulla alia et ad aliquid externum relata repraeſentatio, quae poſſit a priori atque ex anticipatione obiectiua dici. Neque enim ab vlla earum poſſunt enunciata ſynthetica ex anticipatione deriuari, quemadmodum ab viſione in ſpatio §. 2. Inde nulla prorſus idealitas proprie illis competit, quam in eo quidem, cum repraeſentatione ſpatii conueniunt, quod ad ſolam conditionem ſubiectiuam formae ſenſus perti-

nent, velut viſus, auditus, tactus, per ſenſationes colorum, ſonorum et caloris, quibus vero, quum in meris ſenſationibus, nec vero viſionibus, verſentur, per ſe nulla res oblata poteſt obiectaque, minime ex anticipatione, cognoſci.

Atque haec eo tantum conſilio monemus, vt caueamus, ne quis putet, adſertam ſpatii idealitatem exemplis illuſtrari poſſe, quae minime ad id ſufficiant, nimirum cum colores, ſapores et ſimilia, non tamquam qualitates rerum, ſed vt merae mutationes ſubiecti iure conſiderantur, quae adeo in diuerſis hominibus eſſe diverſae poſſunt. Tum enim id, quod originarie ipſum merum viſum eſt ſiue phaenomenon, velut roſa, ſenſu empirico ſumtum, pro re accipitur, quae per ſe et talis re ipſa ſit, qualis videtur, quod tamen, quoad colorem cuique oculo aliter videri poſſit. Contra ea vero conceptu transſcendentali viſorum in ſpatio, tamquam ratione quadam critica monemur, nihil omnino quidquam eorum, quae in ſpatio conſpiciuntur, in re verſari, quae, ita vt ſit, ſenſibus indicetur, neque ſpatium formam rerum eſſe per ſeſe ipſis propriam, ſed res, vti per ſe ſunt, prorſus eſſe nobis ignotas, eaque omnia, quae nobis oblata extrinſecus atque obiecta dicimus, nihil eſſe aliud, niſi meras repraeſentationes facultatis ſentiendi noſtrae, cuius forma ſpatium ſit, quibus vero quod re ipſa reſpondeat, rem ipſam dico talem, qualis per ſe eſt, forma illa neque cognoſcitur, neque cognoſci poteſt, quod vero ipſum etiam in experientia numquam inquiritur.

AESTHETICES TRANSSCENDENTALIS

SECTIO POSTERIOR

DE TEMPORE.

§. 4.

Expoſitio metaphyſica conceptus temporis.

Ac tempus quidem 1) non cernitur in conceptu empirico, ab vlla vmquam experientia ſeparato atque abſtracto. Namque quae ſimul ſunt, quaeque aliud poſt aliud ſequuntur, ipſa non caderent in noſtram perceptionem, niſi repraeſentatio ſpatii ex anticipatione, ſicut aliquod fundamentum, foret ſubſtrata. Hoc ſolo poſito cogitari poteſt, alia vno eodemque tempore, hoc eſt, ſimultanea eſſe, alia diuerſis temporibus, hoc eſt, ita, vt aliud aliud ſequatur.

2) Iam tempus in repraeſentatione neceſſaria verſatur, qua viſiones omnes quaſi fundamento nituntur. Neque enim ratione viſorum omnino tempus ipſum tolli poteſt, quamuis, quae in tempore ſunt, viſa facile poſſis delere. Hinc ergo ſequitur, tempus eſſe datum ex anticipatione. Atque in illo ſolo fit, vt vere eſſe viſa cuncta poſſint. Haec omnia omnino tolli cogitatione poſſunt atque exſtingui; ſed tempus ipſum (tamquam vniuerſa illa conditio, qua eſſe illorum copia poſſit) tolli non poterit.

3) Ac per hanc quidem neceſſitatem anticipatam fit, vt eſſe decreta poſſint de adfectionibus temporis apodictica, vel effata (ἀξιώματα) de tempore vniuerſo. Sic temporis non niſi vna dimenſio eſt: diuerſa tempora non ſimul ſunt, ſed ſe inuicem ſequuntur: quemadmodum in ſpatiis diuerſis alterum non alterum ſequitur, ſed cum altero ſimul eſt. Haec decreta non poſſunt ex fonte experientiae deriuari: neque enim ea rationem vel proprie vniuerſam largiretur, neque ἀποδεικτικῶς certam. Poſſemus tantum dicere: ſic docet illud vniuerſa perceptio; neutiquam vero: ſic neceſſe eſt eſſe. Atque

haec decreta pro regulis ſunt, quibus efficitur, vt omnino eſſe experientia poſſit, docentque nos de illa, non per illam.

4) Porro vero tempus non eſt conceptus diſcurſiuus quem vocant, ſiue vniuerſalis, ſed forma ſimplex et pura viſionis ſenſus. Ac diuerſa quidem tempora partes modo ſunt temporis vnius atque eiusdem. Sed repraeſentatio, qua res ſingularis aliqua dari poteſt et proponi, in viſione verſatur. Nec vero ex conceptu vniuerſali deriuari poterit ſententia, quae tempora diuerſa pronunciat non eſſe poſſe ſimultanea. Haec enunciatio ſynthetica eſt, quae ideo non poteſt e conceptibus enaſci. Relinquitur ergo, in viſione illam ac repraeſentatione temporis proxime contineri.

5) Atque infiniti denique temporis nulla vis eſt alia, quam vt oſtendat, omnem definitam quidem quantitatem temporis, circumſcriptionibus effici tantum poſſe vnius, quod pro fundamento ſit. Proinde prima atque originaria repraeſentatio temporis, tamquam nullis terminis circumſcripta nec definita, data ſit, neceſſe eſt. Cuius autem partes ipſae, et quaeque rei cuiusdam quantitas, non niſi cancellis circumſcriptae repraeſentari poſſunt, tota repraeſentatio, data non eſſe per conceptus poterit, quippe quibus ſolae repraeſentationes partium continentur, ſed propria illis et proxima ſubeſſe viſio debebit.

§. 5.

Expoſitio transſcendentalis conceptus temporis.

Sed hoc loco lectores poſſum ad §. 4. n. 3. ablegare, vbi, quod proprie transſcendentale eſt, breuitatis cauſa, in locis expoſitionis metaphyſicae propoſui. Quibus hic addere liceat, conceptum mutationis pariter ac motus (qui cernitur in mutatione loci) eſſe tantum poſſe per repraeſentationem temporis, atque in eadem ipſa repraeſentatione, ita, vt, niſi haec repraeſentatio in viſione (interna) ex anticipatione foret, nullus, qualis ille cumque ſit, conceptus docere poſſet modum, quo eſſe muta-

tio poſſit, id eſt copulationis attributorum ex repugnantia ſibi inuicem contrariorum in vna eademque re; vel ut: eſſe rem aliquam in loco aliquo, et eamdem non eſſe eodem in loco. Solum in tempore ambae ex repugnantia contrariae determinationes in vna re, nimirum alia poſt aliam, poſſunt deprehendi. Itaque hic noſter conceptus oſtendit, qui eſſe poſſit tanta ſyntheticarum notitiarum anteceptarum copia, quantam vniuerſa illa motus doctrina, quae non minus fecunda eſt, proponit.

§. 6.

Conſectaria ex his conceptibus.

1. Tempus non eſt aliquid, quod per ſe ſit, neque quod rebus inſit atque inhaereat tamquam determinatio obiectiua, quodque proinde reliquum fiat, ſi ab omni conditione viſionis ſubiectiua mentem ſeuoces. Quodſi enim per ſe foret illud, cogeretur, vt aliquid vere eſſet, ſine re vera tamen. Sin autem temporis ratio cerneretur in eo, quod rebus ipſis inhaereret tamquam determinatio, quam dicunt, obiectiua, tum res oblatas, quarum quippe determinatio foret, antecedere poſſe, neque adeo enunciatis ſyntheticis ex anticipatione agnoſci et conſpici. Id quod autem commode locum inueniet, ſi tempus in nulla re alia poſitum ſit, quam in conditione ſubiectiua, qua fiat, vt omnium in nobis viſionum eſſe copia poſſit. Tum enim haec forma viſionis intimae ante res ipſas oblatas, et proinde ex anticipatione, poterit repraeſentari.

2. Neque vero quidquam aliud tempus erit, quam forma ſenſus intimi, hoc eſt, viſionis noſtri ipſius, noſtrique ſtatus interni. Namque in determinationibus viſorum eſſe tempus non poterit, neque ad figuram, vel ſitum aut alia id genus pertinere; e contrario determinat illud ac definit rationem et ordinem repraeſentationum in ſtatu noſtro interno. Ac propterea, quod haec viſio interior nullam figuram ſpeciemue efficit, cupimus hunc defectum comparationibus proportionibusue (Grae-

ci *ἀναλογίας* vocant) explere, ſucceſſionemque temporis linea depingimus in infinitum progrediente, cuius varietate ſeries efficiatur, quae tantum vnius ſit dimenſionis, et ita ex attributis huius lineae concludimus ad omnia temporis attributa, excepto tamen hoc, quod partes lineae ſimul ſint, ſed temporis partes ſemper ſe inuicem alteram altera ſequatur. Ex quo facile intellectu eſt, repraeſentationem temporis ipſam in viſione verſari, ſi quidem omnes illius adfectiones exprimi poſſunt in viſione externa.

3. Iam vero tempus in lege formali anticipata omnium omnino viſorum cernitur. Ac ſpatium quidem, tamquam forma genuina et pura omnium viſorum externorum, quatenus illud lex eſt antecepta, ſolis viſorum externorum finibus circumſcriptum tenetur. Quia vero e contrario omnes repraeſentationes, ſiue illis res externae ſubiectae ſint, ſiue non, per ſe ipſae, tamquam adfectiones animi, ad intimum ſtatum pertinent; hic ſtatus autem intimus lege formali viſionis internae, ac proinde temporis continetur, efficitur, vt temporis ratio in lege verſetur omnium omnino viſorum anticipata, et quidem in proxima lege atque abſoluta viſorum intimorum (animorum) eoque ipſo per adfectionem etiam externorum. Quodſi ex anticipatione dicere poſſis: omnia viſa externa in ſpatio ſunt, et ad adfectiones ſpatii ex anticipatione determinata; pariter poteris ex initiis ſenſus intimi vniuerſe pronunciare: omnia omnino viſa, id eſt, res omnes, quae ſub ſenſum cadunt, in tempore ſunt, et neceſſario adfectionibus temporis ſubiectae tenentur.

Si mentem a modo abduxeris, quo nosmet ipſos intuemur intus, huiusque viſionis ope omnes quoque viſiones externas facultate repraeſentandi complectimur, et proinde res oblatas capias ita, vti per ſe ſint, tempus nihil erit. Illi tantum obiectiua ratio competit ratione viſorum ſeu phaenomenorum; ſi quidem haec in rebus poſita ſunt, quas tamquam ſenſibus ſubiectas agnoſcimus: ſed ea ratio obiectiua non amplius illi competit,

ſimulatque cogitationem a facultate ſenſitiua viſionum noſtrarum, adeoque ab illo repraeſentandi modo auocaveris, qui nobis peculiaris eſt et naturalis, et de rebus omnino atque in vniuerſum dixeris. Itaque tempus tantum lex eſt ſubiectiua noſtrarum (humanarum) viſionum, quae ſemper a ſenſibus proficiſcuntur, id eſt, quatenus a rebus nos pellimur ac mouemur, in ſe vero ipſum ſpectatum, extraque ſubiectum ſentiens poſitum, nihil erit. Nihilominus illud tamen, ratione omnium viſorum, ideoque et rerum omnium, quae nobis eſſe obuiae per experientiam poſſunt, neceſſario ex ratione obiectiuum erit. Non poſſumus pronunciare: res omnes in tempore ſunt; ſi quidem in conceptu rerum in vniverſum ab omni modo earum intuendarum cogitationem abducimus, ſed viſio propria lex eſt, qua fit, vt tempus ad repraeſentationem rerum oblatarum pertinere videatur. Quodſi igitur eam legem conceptui iunxeris, et pronunciaueris ita: omnes res, quatenus in viſis ſunt (ſiue res viſioni ſenſitiuae oblatae) in tempore ſunt; tum decretum iſtud ſane erit obiectiue verum atque ex anticipatione vniuerſale.

Igitur, quae hactenus dicta ſunt, euincunt veritatem ſeu realitatem ſpatii empiricam, nempe oſtendunt, omnino re ipſa atque in vniuerſum (obiectiue) locum tempus habere, ratione eorum omnium, quae vmquam poterunt ſenſibus noſtris proponi. Quumque viſio noſtra ſemper poſita in ſenſu ſit, fieri non poteſt, vt vmquam nobis in experientia res obiiciatur, quin ea lege complexa temporis videatur. E contrario contendimus, nullam prorſus realitatem abſolutam in tempus cadere, quippe qua, nullo reſpectu habito viſionis noſtrae ſenſitiuae, ſimpliciter rebus, tamquam quaedam illarum conditio vel attributum aliquod, adhaereat. Tales enim, quae in res ipſas per ſe, vti ſint, cadant, numquam poterunt per ſenſus offerri atque proponi. Igitur idealitas temporis transſcendentalis in eo cernitur, vt, ſi a ſingularibus, quas dicunt, ſubiectiuis viſionis ſenſuum legibus cogitationem abduxeris, nihil prorſus illud ſit, neque rebus ipſis in ſe ſpectatis, miſſa illarum ad noſtram viſionem

adfectione, vel quod inſit in iis atque ſubſiſtat, vel quod illis adhaereat, poſſit acceuſeri. Interim tamen haec idealitas ſpatii perinde atque temporis non erit cum captionibus et ſubreptionibus ſenſuum quaſique praeſtigiis conferenda; ſi quidem viſis ipſis, quibus haec attributa inhaerent, ſumimus realitatem obiectiuam ineſſe, quae hic prorſus non locum habet, praeterquam, quatenus empirica eſt, id eſt, quoad illa rem ipſam accipit pro mero phaenomeno: qua de re videantur ea, quae ſectione ſuperiori monuimus, nempe pag. 33.

§. 7.

Dilucidatio.

Contra hanc theoriam, quae realitatem temporis empiricam concedit, ſed abſolutam et transſcendentalem impugnat, vno quaſi agmine conſurrexere docti homines atque acuti, qui idem dubium ſinguli mecum communicarent, ita vt inde ſuſpicarer, fieri non poſſe, quin cuique lectorum talis inueſtigationis conſuetudine haud imbuto hoc idem ſe dubium offerat. Sic enim nobis occurrunt: mutationes re ipſa ſunt: id quod viciſſitudine conſtat ipſarum repraeſentationum noſtrarum, licet cuncta viſa externa velis eorumque mutationes negare. Atqui mutationes eſſe tantum in tempore poſſunt: ergo tempus re ipſa erit. Quibus facile poterit reſponderi. Equidem totum argumentum concedo. Eſt enim profecto re ipſa tempus, nempe ipſa forma viſionis intimae. Proinde realitatem ſubiectiuam habebit experientiae internae, id eſt, re ipſa habeo repraeſentationem temporis, meorumque modorum et determinationum in eo. Ergo re ipſa tempus, non tamquam res ſubiecta illud quidem, ſed vt repraeſentandi modus mei ipſius, tamquam rei ſubiectae atque oblatae ſpectandum erit. Si vero egomet ipſe, aliaue natura memet, ſine hac lege ſenſus, poſſem intueri; tum iisdem modis, quos nobis iam tamquam mutationes animo informamus, cognitio exſiſteret, in qua repraeſentatio temporis et proinde etiam mutationis prorſus non foret. Manebit ergo illius realitas empirica, quae conditio ſit cunctarum partium

noſtrae experientiae. Sed ſimplex atque abſoluta realitas ex iis, quae ſupra attulimus, tempori non poteſt concedi; nihilque illud aliud eſt, quam forma viſionis internae. *) Quodſi enim ex illo ſingularem legem ſuſtuleris facultatis noſtrae ſentiendi, etiam conceptus temporis euaneſcet, ideoque non in rebus ipſis oblatis haeret atque obiectis, ſed in ſolo homine eas contemplante.

Cur autem hoc dubium tam frequenter, idque ab iis, moueretur, qui nihilominus non habebant, quod euidenter poſſet idealitati ſpatii opponi, eius rei cauſa haec erat. Scilicet haud ſperabant, abſolutam ſpatii realitatem poſſe ſeſe ἀποδεικτικῶς docere, quia ex adverſo poſitam ſibi videbant rationem idealiſmi, qua rationibus, quae vim adferant in docendo, quaeque facile adhaereſcant, monſtrari non poteſt, res externas eſſe re vera et apparere; contraque proxime per conſcientiam planum apertumque eſt, exſtare res ſenſibus noſtris intimis ſubiectas, ſcilicet memet ipſum, meumque ſtatum et conditionem. Illae eſſe poſitae in inani ſpecie poterant, hae, ad eorum opinionem, indubitato in veritate apparere. Nec vero perpendebant, vtrasque, ita vt non opus ſit dubitare, an, tamquam repraeſentationes in rerum natura videantur, tamen ſolummodo ad rationem phaenomenorum pertinere, quae dupliciter cadere ſub deliberationem poſſunt, vel ita, vt res oblata obiectaque in ſe ſpectetur (nulla ratione habita modi, quo eam intueare, cuius natura ob eam ipſam cauſam ſemper dubia manebit); vel ſic, vt formam reſpicias viſionis, cui illa ſubiecta eſt, quae quidem forma non in ipſa re in ſe conſiderata, ſed in homine quaeri debet, cui illa ſe intuendam praebet, nihilominus tamen phaenomeno huius rei oblatae obiectaeque vere ac neceſſario competit.

*) Dici quidem poterit: repraeſentationes meae ſe inuicem, alteram altera, ſequuntur; ſed iſtud hanc modo vim habet: nosmet ſumus conſcii earum in conſecutione temporis, id eſt, ad formam ſenſus externi. Inde vero non efficitur, vt tempus ſit aliquid, quod per ſe ſit, vel quod rebus, tamquam quaedam adfectio, adhaereat.

Quae cum ita ſint, effectum eſt, e tempore, et ſpatio duos effici fontes cognitionis, vnde poſſint variae notitiae ſyntheticae ex anticipatione hauriri, vti inprimis ratione notitiarum ſpatii et adfectionum illius exemplo eſt egregio matheſis pura. Vtrumque enim coniunctum forma eſt omnium ſenſus viſionum, eoque fit, vt inde naſci poſſint enunciata ſynthetica ex anticipatione. Sed hi fontes notitiarum anteceptarum eo ipſo, quod merae ſenſus leges videntur, fines ſibi, in quibus ſe teneant, terminosque conſtituunt, nimirum ſic, vt ad res obiectas referantur, tamquam viſa ſpectatas, non vt res ipſas ita, vt ſunt, oſtendant atque declarent. Illae quidam quaſi campus ſunt vſus eorum, atque in quo locum habent, extra quem eorum nullus eſſe vſus poterit. Caeterum hac ſpatii temporisque realitate fit, vt tuta maneat atque indubitata cognitio, quae ex experientia hauritur: perinde enim certi de illa ſumus et confidimus, ſiue rebus ipſis per ſe ſpectatis, ſiue ſoli noſtrae viſioni earum rerum neceſſario adhaereant. Contra ea vero, qui abſolutam ſpatii temporisque realitatem defendunt, ſiue illa tamquam ſubſiſtentia ponant, ſiue inhaerentia, eos cum ipſis experientiae principiis, neceſſe erit, pugnare. Qui enim ſpatium tempusque ponunt in re abſoluta, quae ſubſit ac ſubſiſtat, quod plerumque faciunt mathematico-phyſici, illi ſtatuant, oportebit, duo, quae per ſe ſint, aeterna atque infinita, quae dicuntur, non-entia (ſpatium et tempus), quae in natura rerum ſint (licet nihil re ipſa ſit) quo omnia, quae in veritate appareant, contineantur. Sin vero alteram ſequantur rationem eorum, qui ſpatium et tempus rebus perhibent inhaerere, quorum a partibus ſtant aliqui ex metaphyſico-phyſicis, quibus adeo ſpatium tempusque eſſe in adfectionibus videntur viſorum cogitatione ab experientia ſeparatis atque ſecretis, in eaque ſeparatione confuſe (pone ſe inuicem aliaque poſt alia) repraeſentatis; vſum locumque debebunt eorum, quae a mathematicis ex anticipatione praecipiuntur ratione eius, quod in veritate apparet (velut in ſpatio), certe vim ἀποδεικτικῶς certam, impugnare; quippe quae non ex

vſu rerum et experientia (a poſteriori) peti, ſpatiique et temporis conceptus ex anticipatione, nil praeter ſpecies inanes atque idola phantaſiae ſunt, quorum origo quaeri re vera debeat in experientia, ita, vt ex adſectionibus illorum mente et cogitatione ſeparatis phantaſia finxerit aliquid atque informarit, quod eorum quidem rationem vniuerſam complectatur, ſed ſine terminis illis et circumſcriptionibus locum inuenire non poſſit, quibuscum natura ea copulauit. Qui ſuperiores partes ſequuntur, hoc quidem proficiunt, vt decretis mathematicis campum viſorum reddant liberum. E contrario, ſi mens hunc campum vult transgredi, his ipſis conditionibus ſit, vt vehementer implicentur. Qui vero poſteriori rationi fauent, aliquid commodi quidem habebunt in eo, quod ſpatii temporisque repraeſentatione haud impediuntur, quo minus de rebus, non tamquam viſis illis quidem ac phaenomenis, ſed quoad illarum adſectionem ad intelligentiam iudicent. Sed neque, quo eſſe notitiae mathematicae ex anticipatione poſſint, modum docere poterunt, ſi quidem vera carent, quae ad res oblatas adhiberi queat et referri, viſione antecepta; neque enunciata experientiae cum decretis illis coniungere, vt neceſſarius inde contextus efficiatur. In noſtra autem theoria de vera primarum formarum iſtarum natura, vtraque difficultas ſublata eſt.

Tandem vero aeſtheticam transſcendentalem plura continere elementa, his duobus (ſpatium dico tempusque) non poſſe, inde manifeſtum eſt, quia caeteri conceptus omnes ad ſenſum pertinentes, vel ipſius motus conceptus, qui vtrumque coniungit et copulat, aliquid empirici requirunt. Motus enim perceptionem requirit eius, quod poſſit moueri. Sed in ſpatio, in ſe ſpectato, nil quidquam ineſt, quod moueri queat: igitur, quod moueri poteſt, aliquid ſit, neceſſe eſt, quod per experientiam in ſpatio deprehendatur, quodque proinde datum empirice atque propoſitum videatur. Pari ratione aeſthetica transſcendentalis conceptum mutationis non poterit in datis et propoſitis ex anticipatione cenſere: neque enim tempus ipſum mutatur, ſed id, quod in

tempore eſt. Ergo ad id requiritur, vt percipiatur, eſſe quidpiam, cuius adfectiones ſuccedant ſibi inuicem et ſubſequantur, ideoque opus erit experientia.

§. 8.

Scholia generalia ad Aeſtheticam transſcendentalem.

I. Ac primo quidem neceſſe erit, vt mentem noſtram, quantum fieri poſſit, perſpicue declaremus, et quae de principiis atque natura cognitionis, quae ſenſibus famulis hauritur, omnino noſtra ſententia ſit, aperiamus, vt ab omni iſtius calumnia praecaueamus.

Igitur mens noſtra haec fuit: omnem viſionem noſtram non niſi in repraeſentatione phaenomenorum verſari; res porro, quas intuemur atque conſpicimus, non habere propriam quandam declarationem eius, quod videtur, ita, vt id ipſum per ſe ſint, prout eas intuemur et contemplamur, neque adfectiones illarum tales ſint, quales nobis videntur, adeo, vt, ſi nosmet ipſos, vel ſaltem ſingularem conditionem atque naturam ſenſuum omnino ſuſtuleris, omnis illa conditio, adfectionesque illae omnes rerum in ſpatio et tempore obuerſantium, atque adeo ſpatium ipſum tempusque, euaneſcant, et, quatenus viſa ſunt, non per ſe, ſed tantum in nobis eſſe poterunt. Qualis autem natura rerum ſit per ſeſe, atque ita, vti ſunt, ſpectatarum, ſecretarumque ab omni accipiendi facultate (receptiuitate) ſenſus noſtri, omnem vim mentis noſtrae notionemque ſugere videtur. Nihil enim quidquam nouimus, praeter noſtrum illas percipiendi modum, qui nobis quidem peculiaris eſt, neque tamen vnicuique naturae, quamuis ſingulis hominibus, ineſſe neceſſario debebit. Atque ad illum modum noſtrum, quem dico, omnis noſtra ſpectat oratio. Spatium et tempus in formis ſenſus verſantur, ſed ſenſatio generatim in materia. Ac forma quidem ſola poterit ex anticipatione cognoſci, hoc eſt, omni perceptione prior eſt, eamque propterea dicimus viſionem puram; ſed ſenſatio illud eſt in cognitione noſtra, quo efficitur, vt ea cognitio adſumta (a poſteriori), id eſt viſio empirica di-

catur. Formae facultati ſentiendi noſtrae abſolute et neceſſario adhaerent, cuiuscumque generis ſenſationes videantur; ſed ſenſationum permagnae eſſe varietates poſſunt. Quodſi autem has viſiones noſtras ad tantam perſpicuitatem poſſemus perducere ac perpolire, quanta poteſt eſſe maxima, tamen hoc ipſo naturae rerum per ſe ſpectatarum haudquaquam propius accederemus. Neque enim non niſi noſtrum videndi modum, id eſt, noſtram ſentiendi rationem, plenius cognoſceremus, eamque ipſam tantummodo ad illas animis noſtris inſitas, quaſique innatas ſpatii temporisque adfectiones; ſed quid res ipſae per ſe ſint, vel abſolutiſſima phaenomenorum cognitio, quae data nobis et propoſita ſunt, numquam nobis oſtenderet.

Itaque adulterant et corrumpunt conceptum ſenſuum et viſorum, omnemque inſtitutionem eorum inanem atque inutilem reddunt, qui noſtram omnem ſentiendi rationem cerni perhibent in confuſa repraeſentatione rerum, qua ea ſola contineantur, quae his rebus ipſis per ſe ſpectatis competant, ſed ita, vt congerantur et accumulentur notae et repraeſentationes ſingularum partium, quae nequeant cum conſcientia diſtingui atque internoſci. Nam diſtincta repraeſentatio ab indiſtincta non niſi logice differt, nec attinet materiam. Sine dubio conceptus *iuris*, quo vtitur intelligentia communis, ea continet omnia, quae ſubtiliſſima perſcrutatio ex eo poterit euoluere, quamquam in vſu vulgari et actionem rerum ſpectante variarum, quae in hoc conceptu inſunt, repraeſentationum non conſcii ſumus. Propterea autem dici non poterit, conceptum vulgarem ad ſenſum pertinere, merumue viſum complecti; neque enim neutiquam ius poteſt conſpici oculisue videri, ſed conceptus illius latet in mente, et qualitatem depingit actionum, nempe moralem, quae iis per ſe tribuenda videtur. Contra ea vero conceptu corporis in viſione nil quidquam continetur, quod rei cuipiam per ſe ſpectatae poſſit attribui, ſed merum phaenomenon rei cuiusdam, modusque, quo fit, vt pellamur illo et adficiamur, atque haec vis accipiendi (receptiuitas) in facultate cognoſcen-

di vis ſenſitiua vocatur, quae quidem a cognitione rei ipſius per ſe ſpectatae, quantumuis phaenomenon illud penitus oculorum acie penetraueris, nihilominus tantum, quantum a terra coelum, abhorrebit.

Igitur philoſophia Leibnitio-Wolfiana omni quaeſtioni atque inueſtigationi de natura atque origine notitiarum illarum locum contemplationis prorſus ſiniſtrum adſignauit, dum diſcrimen illud, quod inter vim ſentiendi intercedit, et intelligendi rationem mere logicum fecit, quod manifeſtum eſt transſcendentale eſſe, nec ſolam formam diſtincti et indiſtincti, ſed ipſam originem earum et materiam attingit, ita vt ſenſu quidem naturam rerum per ſe ſpectatarum non ſolum indiſtinctam, ſed plane nullam cognoſcamus, et ſimulatque ſingularem naturam noſtram conditionemue ſuſtulerimus, rem illam repraeſentatam cum qualitatibus, quas viſio ex ſenſu illi attribuerat, nuspiam gentium inuenias, nec invenire queas, cum eadem illa, quae in nobis ineſt, ſingularis conditio formam illius, tamquam viſi, determinat et definit.

Alias quidem in viſis ſiue phaenomenis diſtinguimus ea, quae continentia ſunt cum ipſa illorum viſione, et in omni omnino humano ſenſu locum habebunt, ab iis, quae tantum fortuito illi competunt, ſiquidem haec non in adfectione facultatis ſenſitiuae vniuerſa, ſed tantum in ſingulari ſtatu vel fabricatione huius illiusue ſenſus locum habet. Ac ſuperioris generis cognitio dicitur ea, quae rem obiectam atque oblatam ita proponit, vti ea per ſe eſt, ſed poſterioris generis tantum illius viſum. Quod quidem diſcrimen ſolum empiricum eſt. Quodſi (quod plerumque fit) in eo ſubſiſtas, atque viſionem empiricam non item (quod fieri deberet) pro toto viſo accipias, ita, vt nihil quidquam in eo deprehendatur, quod ad vllam rem per ſe ſpectatam pertineat, omne noſtrum hoc diſcrimen transſcendentale euaneſcet, et tamen tum putabimus, res per ſe ita, vt ſunt, nos cognoſcere, quamquam vbique (in mundo corporeo) vel vsque ad profundiſſimam perſcrutationem rerum oblatarum, non

niſi in phaenomenis verſamur. Sic itidem quidem merum phaenomenon in pluuia ſolari dicemus, hanc ipſam pluuiam autem rem per ſe; id quod etiam recte fit, quatenus poſteriorem conceptum tantum phyſice accipimus, pro eo, quod in vniuerſa experientia; ex vario quantumuis ad ſenſus ſitu, tamen in viſione ſic et non aliter definitum videatur. Quodſi autem illud empiricum ſumſeris in vniuerſum, et haud curata conuenientia eius cum cuiusuis hominis ſenſu, quaeſieris, num illud etiam rem per ſe (non ſtillas dico, quippe quae iam, quoad viſa, in rebus empiricis verſantur) oſtendat, tum quaeſtio de contagione repraeſentationis cum re oblata erit transſcendentalis, neque ſolum hae ſtillae in meris viſis ſunt, ſed vel ipſa illarum figura rotunda, atque adeo ſpatium, in quo decidunt, non ſunt aliquid per ſe, ſed meri modi, vel fundamenta viſionis ſenſitivae noſtrae, ſed res oblata transſcendentalis nobis incognita manet.

Altera deinceps res aeſthetices transſcendentalis noſtrae in eo eſt, vt ne ſolum tamquam hypotheſis ſpecie ſua aliquam ſibi gratiam conciliet, ſed tam certa atque indubitata ſit, quam vmquam poſtulari in theoria poſſit, quae pro organo vti debeas. Vt autem hanc eius certam firmamque rationem planam faciamus, aliquem caſum eligamus, quo iſtud poni ob oculos poſſit, maiorque lux adferri poſſit iis, quae ſupra §. 3. attulimus.

Fac, ſpatium tempusque res eſſe, quae per ſe ſint, et in legibus, quibus fiat, vt eſſe res per ſe poſſint, patebit primo: de vtroque permulta ἀποδεικτικῶς et συνθετικῶς enunciata, ex anticipatione inueniri, inprimisque de ſpatio, quod hoc loco exempli gratia anquiremus. Cum Geometriae enunciata συνθετικῶς ex anticipatione et cum firmitate apodictica cognoſcantur, ſane quaeri poterit, vnde talia enunciata hauriantur, et quanam in re intelligentia noſtra nitatur, vt ad earum inuentionem aditum reperiat? Ac nulla quidem alia via erit, quam vel per conceptus, vel per viſiones, ambo vero tamquam tales, quales vel antecepti ſint et praeconcepti

(a priori), vel adſumti et aduentitii (a poſteriori). Atque hi poſteriores quidem conceptus ſunt empirici, qui pariter, atque illud, in quo nituntur, viſionem empiricam dico, nullum poſſunt pronunciatum ſyntheticum largiri, praeterquam eiusmodi, quod item mere empiricum, id eſt, enunciatum experientiae videatur, quod ideoque nullam rationem neceſſariam abſoluteque vniverſalem complectatur, quod ipſum tamen in notis eſt omnium pronunciatorum geometrarum. Quae vero prior atque vna via foret, nempe vt ex meris conceptibus, vel viſionibus ex anticipatione, tales cognitiones nobis acquiramus, manifeſtum eſt, eſſe non poſſe, vt e ſolis conceptibus notitiae ſyntheticae exſiſtant, ſed tantum analyticae. Sumas pronunciatum: fieri non poſſe, vt duabus lineis rectis ſpatium includatur, et proinde nulla figura fiat, periculumque facias, ex conceptu linearum rectarum et numeri binarii illud deducendi; vel tribus rectis lineis effici, vt figura eſſe poſſit, et itidem ſic tentes ex meris conceptibus. Fruſtra laborabis, teque coactum ſenties refugium petere, id quod et geometria ſemper facit, in viſione. Tibi ergo rem proponis in viſione: ſed quali? purane viſione ex anticipatione? an forte in empirica? Si in empirica; tum numquam inde enunciatum exſiſtet, quod vniuerſa ſpectet atque vbique locum habeat, quale numquam poterit ab experientia proficiſci. Igitur rem tuam, oportebit, ex anticipatione in viſione proponas, in eaque hoc tuum pronunciatum ſyntheticum conſtituas. Quodſi in te non ineſſet facultas ex anticipatione videndi; quodſi porro haec lex ſingularis quoad formam non ſimul eſſet conditio vniverſalis ex anticipatione, qua ſola fiat, vt eſſe poſſit res huic (externae) viſioni obiecta atque oblata; ſi denique res ea propoſita (triangulum) aliquid foret, quod per ſe ſit, ſine vlla iſtius ad te ipſum adfectione: qui tandem dici poterit, ea, quae in ſingularibus tuae naturae legibus neceſſario inſunt ad triangulum conſtruendum, id eſt, in viſione proponendum, etiam ipſi triangulo ineſſe neceſſario debere? neque enim ad conceptus tuos (trium linearum) nihil nouum (figuram) addere poteris

quod propterea neceſſario in re oblata debeat deprehendi, quippe quae prior cognitione tua, et per eam, data eſt atque propoſita. Itaque niſi ſpatium (pariterque tempus) in ſola forma cerneretur viſionis, qua leges continerentur praeſumtae atque anteceptae, quibus ſolis res eſſe tibi poſſent extrinſecus obuiae oblataeque, quae absque his legibus ſingularibus per ſe nihil ſunt; neutiquam quidquam poſſes de rebus obiectis ex anticipatione συνθετικῶς decernere. Igitur extra omnem dubitationis aleam poſitum, neque ſolum eſſe poteſt, aut etiam veriſimile eſt, ſpatium et tempus, tamquam leges neceſſarias omnis (tum externae, tum internae) experientiae, ſingulares modo et ſubiectiuas in nobis leges eſſe omnium omnino noſtrarum viſionum, vnde res omnes oblatas atque obiectas, pro ea qua ſunt ad illas adfectione in meris viſis poſitas, de quibus proinde etiam, quoad earum formam conſideratis, multa dici ex anticipatione poſſint, minime autem quidquam de re ipſa, quae his viſis atque phaenomenis, quaſi fundamentum quoddam, ſubiecta eſſe poterit.

II. Ad confirmandam hanc ſententiam de idealitate ſenſus tum externi tum interni, proinde omnium rerum ſenſibus ſubiectarum, vt ſolorum viſorum, in primis monuiſſe iuuabit, omnia, quae in cognitione noſtra ad viſionem pertineant (ſi a tactu iucundi et iniucundi voluntateque diſceſſeris, quae haud in cognitione verſantur) ſolis adfectionibus contineri et locorum in viſione (extenſione), et mutatione locorum (motu), et legibus, quibus ea mutatio determinetur (viribus motricibus). Quid vero praeſens in loco ſit atque appareat, quidue praeter loci mutationem in rebus ipſis illo efficiatur, ea re haud proponitur. Atqui ſolis adfectionibus res per ſe ipſa, ita, vti eſt, non cognoſcitur. Ergo iudicandum erit, ſenſum externum, quum eo ſolae repraeſentationes relatiuae dentur exhibeanturque, repraeſentatione ſua tantum rei cuiusdam adfectionem ad nos poſſe, non inteſtina illa, quae obiectae rei per ſe inſint, complecti. Eadem ratio erit viſionis intimae. Neque enim ſolum eo, quod in illa repraeſentationes externorum ſenſuum ve-

ram ac propriam materiam conſtituunt, qua animum noſtrum ornamus, ſed tempus, in quod eas repraeſentationes ponimus, quodque ipſam conſcientiam illarum in experientia antecedit, et tamquam lex formalis modi, quo in animo eas collocamus, quaſi quoddam fundamentum ſubeſt, adfectiones conſequentium et ſimultaneorum eiusque, quod cum conſequentium ratione ſimul eſt (perpetui conſtantisque) complectitur. Iam id, quod, qua repraeſentatio, omnem cuiuscumque rei cogitandae actum antecedere poteſt, in viſione cernitur, et, ſi ea non niſi adfectiones continentur, in forma viſionis, quae, quum nihil repraeſentet, quam quatenus aliquid in animo ponatur, nil quidquam eſſe aliud poterit, quam modus is, quo animus ſua ipſius effectione, quippe poſitione ſuae repraeſentationis, ideoque per ſe ipſe mouetur atque adficitur, id eſt ſenſus intimus ſecundum ſuam formam. Quaecumque per ſenſum repraeſentantur, ea eatenus ſemper viſa erunt, et proinde ſenſus intimus numquam deberet concedi, vel ſubiectum, quod illi oblatum obiectumque eſt, per illum tamquam viſum poſſet repraeſentari, non vti illud de ſe ipſo iudicaret, ſi viſio ſua mera propria effectio, h. e. ab intelligentia profecta ſola (intellectualis) foret. In quo quidem omnis difficultas in eo vertitur, quomodo ſubiectum poſſit ſe ipſum intus intueri. Sed haec difficultas cuique theoriae communis eſt. Conſcientia ſui ipſius (apperceptio) cernitur in ſimplici repraeſentatione τοῦ ego, qua ſi ſola omnis variorum ratio in ſubiecto per ſuam ipſius effectionem data ac propoſita eſſet, viſio intima foret intellectualis. Atque in homine quidem haec conſcientia perceptionem variorum ante in ſubiecto datorum requirit, modusque, quo haec ſine motu ſpontaneo in animo datur, ob hoc diſcrimen, ſenſus dici debebit. Quodſi vis conſcientia ſui potiundi id, quod in animo eſt, apprehendere debeat, neceſſe eſt, vt eo moueatur ea et adficiatur, quippe quo ſolo poteſt fieri, vt ſui ipſius viſionem producat, cuius forma autem, qua prior in mente conſtituta eſt, modum, quo varia in animo ſunt, in repraeſentatione temporis determinat et definit; vbi tum ſe

ipſum animus intuetur, non quomodo ſe ipſe proxime ſpontanee repraeſentaret, ſed ad eam rationem, qua intus adficitur et mouetur, proinde, vti ſibi ipſe videtur, non vti is re eſt.

III. Si dico: in ſpatio et tempore *viſio* tum externarum rerum oblatarum, tum animi viſio ſui ipſius vtrumque repraeſentat pro eo ac ſenſus illo mouentur, id eſt, vti videtur; non id ago, vt eae res oblatae in inani ſpecie verſentur nihilque quam φαντάσματα ſint. Namque in viſo ſemper res obiecta atque oblata, quin vel ipſae, quas illi tribuimus, qualitates, tamquam aliquid, quod vere datum et propoſitum ſit, conſiderantur, ita tamen, vt ea qualitas ex ſola ratione videndi hominis intuentis in comparatione rei datae cum eo pendeat, ea res obiecta, qua phaenomenon, a ſe ipſa vt oblata per ſe diſcernatur. Sic non dicitur, corpora putantur tantum extra memet eſſe, vel anima putatur modo in mei ipſius conſcientia eſſe data, quum dico, qualitatem ſpatii et temporis, cui, qua conditioni, qua eſſe poſſint, conuenienter vtramque pono, in mea intuendi ratione, non in his rebus ipſis per ſe ineſſe. Atque ipſe in culpa verſarer, ſi id, quod ad viſum cenſere deberem, meram vmbram, merumque φάντασμα facerem. *) Nec vero id ſit ex noſtro decreto idealitatis omnium noſtrarum viſionum ſenſus ſpectantium; potiusque, ſi illis reprae-

*) Praedicata phaenomeni ipſi rei obiectae poſſunt attribui, ratione noſtri ſenſus, veluti roſae rubor, vel odor; ſed ſpecies numquam poteſt qua praedicatum oblatae rei attribui, ob eam ipſam cauſam, quoniam, quod rei obiectae tantummodo reſpectu ſenſuum, aut omnino ſubiecti competit, obiectae rei *per ſe* illa attribuit, veluti duae illae anſae, initio Saturno tributae. Quidquid non in obiecta re per ſe ipſa deprehenditur, ſed ſemper in adſectione illius ad ſubiectum, atque a repraeſentatione rei obiectae non poteſt ſeparari, phaenomenon eſt, atque ita praedicata ſpatii temporisque rebus ſenſibus ſubiectis, qua talibus, iure attribuuntur, in eoque nulla ſpecies eſt. Contra, ſi roſae *per ſe* ruborem, Saturno anſas, aut vniuerſis obiectis rebus externis extenſionem *per ſe* attribuam, nulla habita ratione adſectionis determinatae harum rerum obiectarum ad ſubiectum; tum demum ſpecies orietur.

ſentandi formis realitatem obiectiuam tribueris, non euitari poterit, quin cuncta in mera φαντάσματα mutentur. Quodſi enim ſpatium tempusque accipias pro qualitatibus, quae, quatenus eſſe poſſint, in rebus per ſe ipſis debeant inueniri, animoque perluſtres abſurditates, quibus tutu tete ipſe implices, propterea quod duae naturae infinitae, quae neque ſubſtantiae, neque ſubſtantiis aliquid inhaerens, nihilominus tamen in veritate rerum apparentes, quid? quod lex neceſſaria eſſe debeant, qua cunctae res eſſe videantur, quaeque et reliquae fiant, licet, quae re vera ſunt, cuncta ſuſtuleris, tum Berckleio bono viro ignoſcendum erit, ſi omnia corpora putatitia credat, quid? quod, noſtra ipſorum exſiſtentia, quae tali modo ab realitate non-entis per ſe ſubſiſtente, vti tempus, penderet, in meras res putatitias vertetur. Quae abſurda tamen huc vsque nemo defendere auſus eſt.

IV. In theologia naturali, vbi naturam, quam contemplat ea, ſubiectam cogitamus, quae non ſolum nobis eſſe ad videndum propoſita non poteſt, ſed ipſi quoque non poteſt, quae in ſenſus cadat, oblata atque obiecta eſſe, ab omni illius viſione (omnis enim, quae in deo eſt, cognitio in viſione verſetur, neceſſe eſt, non in cogitatione, quippe quae ſemper terminis et cancellis continetur) diligenter temporis ſpatiique leges remouentur. Quo autem iure fieri illud poterit, ſi vtrumque in formis poſueris ipſarum rerum per ſe ſpectatarum, idque in iis formis, quae, tamquam leges, quibus res exſtent ex anticipatione, relinquantur, rebus ipſis demtis et ſublatis: nam qua leges, quibus fiat, vt omnino aliquid ſit, iisdem etiam effici, neceſſe foret, vt deus exſtaret. Itaque, ſi nolis in formis ea obiectiuis, quas dicunt, rerum vniuerſarum ponere, relinquitur, vt formis ſubiectiuis noſtri et extrinſecus et intus videndi modi illa ſtatuas, qui propterea ſenſitiuus dicitur, quod non originarius, id eſt, talis eſt, quo ipſa rei exſiſtentia viſioni datur (qui quidem, quantum intelligimus, in ſolam cadere naturam primam poteſt), ſed ab exſiſtentia rei oblatae pen-

det, proinde eo tantum eſſe poterit, vt facultas repraeſentatiua animi illo adficiatur.

Nec vero neceſſe erit, vt modum in ſpatio et tempore videndi ſolo ſenſu hominis includamus; eſto, vt omnis natura ratioque finita in eo neceſſario debeat cum homine conuenire (quamquam non poſſumus quidquam ea de re decernere), tamen eo, quod in vniuerſis locum habet, non deſinet ad ſenſum pertinere, eadem de cauſa, quoniam viſio deriuatiua eſt, non originaria, proinde non ea, quae ad intelligentiam pertineat (intellectualis), quippe ob eandem cauſam, quam modo attulimus, in ſolam naturam primam cadit, non vero in naturam, quae quoad exſiſtentiam ſuam et viſionem (qua exſiſtentia eius in adfectione ad res datas determinatur) apta eſt et pendet; quamquam, quae modo monuimus, theoriae noſtrae aeſtheticae, non argumenti inſtar, ſed vt illuſtratio, inſeruient.

Concluſio aeſthetices transſcendentalis.

Hic igitur inuenimus vnam ex partibus ad explicandam vniuerſam quaeſtionem philoſophiae transſcendentalis neceſſariis: qui fit, vt συνθετικῶς poſſit ex anticipatione enunciari? nimirum per viſiones puras anteceptas, ſpatium tempusque, in quibus, ſi in pronunciando ex anticipatione conceptum datum transgrediemur, ea omnia deprehendemus, quae non in conceptu illo quidem, ſed in viſione tamen illi congrua ex anticipatione inueniri poſſunt, et cum illo συνθετικῶς copulari, quae quidem enunciata ex eadem cauſa haud latius patent, nihilque quidquam aliud attingunt, quam res ſenſibus ſubiectas, locumque habere in ſolis rebus poterunt, quae eſſe obuiae et propoſitae intelligentiae poſſunt.

ARTIS ELEMENTARIS TRANSSCENDENTALIS

PARS POSTERIOR.

LOGICA TRANSSCENDENTALIS.

INSTITUTIO.

IDEA LOGICES TRANSSCENDENTALIS.

I.

De Logica in genere.

Cognitio noſtra e duobus primis fontibus animi oritur, quorum prior in vi repraeſentationes accipiendi (receptiuitate impreſſionum) cernitur; poſterior facultate continetur rem oblatam atque obiectam repraeſentationibus illis cognoſcendi (ſpontaneitas notionum); illa fit, vt nobis detur res quaedam et offeratur, hac in adfectione ad repraeſentationem illam (prout merum animi motum) cogitatur. Igitur viſiones et conceptus in initiis ſunt et elementis cognitionis noſtrae vniuerſae, ita vt nec conceptus, ſine viſione illis quodammodo congrua et conveniente, nec viſio ſine conceptibus, vllam nobis queant cognitionem largiri. Ambo, et viſio, et conceptus, vel puri ſunt, vel empirici. Empirici dicuntur, ſi ſenſatio (qua vera rei praeſentia ponitur) in iis ineſt: puri autem, ſi in repraeſentatione nulla admixta ſenſatio eſt. Ac ratio quidem poſterior dici poteſt materia cognitionis ſenſibus ſubiectae. Inde viſio pura ſolam formam complectitur, qua fit, vt aliquid videatur, et conceptus purus ſolam formam cogitandi rem in vniuerſum. Solae viſiones, ſolique conceptus eſſe praeſumtae et antecaptae poſſunt, ſed empiricae ſunt cunctae adſumtae et aduentitiae.

Quodſi vim repraeſentationes accipiendi in animo, quatenus quocumque modo mouetur et adfici-

tur, *ſenſum* dicamus ſiue facultatem ſenſitiuam; tum vis ſponte efficiendi repraeſentationes, ſiue ratio cognitionis ſpontanea intelligentia dicetur. Ita fert natura noſtra, vt viſio ſemper attingat ſenſus, id eſt, nil praeter modum contineat, quo pellimur a rebus oblatis ac mouemur. E contrario vis cogitandi rem viſioni ſenſitiuae oblatam et propoſitam, in *intelligentia* cernitur. Neutra harum virium alteri praeferenda eſt. Sine facultate ſenſitiua fieri non poſſet, vt nobis res vlla offerretur, et ſine intelligentia nulla res poſſet cogitari. Motus animi ſine materia vacui ſunt atque inanes, et viſiones ſine conceptibus caecae. Itaque pariter neceſſe eſt, vt conceptus ſub ſenſus reuoces (id eſt, vt rem oblatam iis in viſione adiungas), ac viſiones tuas ad intelligentiam transferas (id eſt, vt conceptibus ſubiicias). Vtraque vis vel facultas functiones ſuas cum functionibus alterius non poteſt permutare. Neque intelligentia quidquam poterit videre, neque ſenſus poſſunt cogitare. Ex ſola vtriusque coniunctione fit, vt cognitio naſcatur. Neque tamen propterea licebit, vt, quod altera ad cognitionem confert, cum eo, quod ab altera proficiſcitur, commiſceatur, potiusque alterum ab altero diligenter ſeparare debebimus atque diſtinguere. Quocirca doctrinam de regulis facultatis ſenſitiuae in vniuerſum, id eſt, aeſtheticam, diſcernimus a doctrina de regulis intelligentiae vniuerſe, hoc eſt, logica.

Ac logica quidem pariter poteſt duplici ratione tractari, vel tamquam logica vſus intelligentiae vniuerſalis vel ſingularis. Illa regulae cogitandi abſolute neceſſariae continentur, ſine quibus nullus eſſe vſus intelligentiae poterit, atque ideo hunc ſpectat, nullo habito reſpectu varietatis rerum, quas illa ſpectauerit. Sed logica vſus intelligentiae ſingularis regulis abſoluitur rite cogitandi de certa forma rerum obiectarum. Illa dici poteſt logica elementaris, haec organon huius illiusue artis. Ac poſterior quidem in ſcholis, tamquam προπαιδευτική artium plerumque praemittitur, quamquam ea in progreſſu rationis humanae vltimum eſt, ad quod illa demum peruenit arte dudum abſoluta; cui vl-

tima manus perficiendae emendandaeque admoueatur. Res ipſas enim, vt probe iam cognitas habeas, neceſſe eſt, ſi regulas velis monſtrare, quibus earum artem queas ac diſciplinam componere.

Logica vniuerſalis vel pura eſt, vel applicata. In illa cogitationem abducimus et auocamus ab omni lege empirica, qua fit, vt intelligentia exerceatur, velut a vi ſenſuum, ab legibus memoriae, a luſu phantaſiae, a poteſtate conſuetudinis, propenſionis, et quae ſunt generis eiusdem, proinde etiam a fontibus opinionum praeiudicatarum, omninoque ab omnibus cauſis, quibus nobis certae notitiae exoriuntur, vel ſupponi poſſunt, quoniam ea intelligentiam ſolummodo attingunt ſub certis rationibus vſus illius, quas vt noſcamus, opus erit experientia. Igitur logica vniuerſalis, ſed pura, verſatur non niſi in initiis ac principiis ex anticipatione, eaque intelligentiae rationisque canon eſt, ſed ratione tantum eorum, quae ad formam ſpectant vſus illarum, quaecumque materia ſit (empirica, an transſcendentalis). Sed logica vniuerſalis tum applicata dicitur, ſi regulas tractat vſus intelligentiae ad leges ſubiectiuas empiricas, quas pſychologia oſtendit. Itaque illa principiis empiricis nititur, licet eatenus vniuerſalis ſit, quod vſum ſpectat intelligentiae ſine rerum oblatarum diſcrimine. Propterea neque canon ea eſt intelligentiae in genere, nec organum artium ſingularium, ſed ſolum καταρκτικὸν intelligentiae communis. Igitur in logica vniuerſali pars illa, qua logica pura abſoluitur, ab ea prorſus ſeparari debet, qua applicata (licet ipſa adhuc vniuerſalis) logica efficitur. Ac prior illa quidem proprie ſola ſcientia eſt, quamuis breuis et ieiuna, ſubtilis tamen, et ea, quam tractatio doctrinae elementaris intelligentiae, artificio ac via ad normamque ſcholae inſtituta, poſtulare videtur. In qua quidem logicis duae ſemper regulae ob oculos debent verſari.

1) Qua logica vniuerſalis ſibi temperat ea atque abſtinet ab omni materia cognitionis intelligentiae, et a varietate rerum ei oblatarum, nullaque in re alia verſatur, quam in ſola forma cogitandi.

2) Qua logica pura nullis ea nititur principiis empiricis, ideoque nil quidquam ea haurit e pſychologia (vti quibusdam fuit perſuaſum), quae proinde canonem intelligentiae non attingit. Eſt ea doctrina, quae in neceſſaria demonſtratione verſatur, omniaque, quae illa continentur, certa ſint, neceſſe eſt, ex anticipatione.

Quam (contra vulgarem huius vocabuli ſignificationem, qua certas exercitationes complectitur ad regulas ab logica pura praeſcriptas) logicam applicatam dico, ea in repraeſentatione cernitur intelligentiae, regularumque vſus illius neceſſarii in re ſingulari (in concreto), nempe ſub conditionibus ſubiecti fortuitis, quae vſum hunc vel impedire poſſunt, vel adiuuare, quaeque cunctae ſunt ἐμπειρικῶς datae. Tractat ea locum de attentione animi, et impedimentis eius et effectis, de ortu erroris, de dubitatione, de haeſitatione, de perſuaſione, et ſimilibus, ad eamque vniuerſalis illa et pura logica adfecta eſt, vt doctrina morum pura, qua ſolae continentur neceſſariae leges morales voluntatis liberae in genere, ad ethicam proprie ſic dictam, quae leges illas ſub impedimentis conſiderat tactuum, propenſionum et perturbationum animorum, quibus plus minusue homines obnoxii videntur, quaeque numquam eſſe doctrina poterit vera et demonſtrata, eo quod pariter, ac logica illa applicata, principiis ea indiget empiricis et pſychologicis.

II.

De logica transſcendentali.

Logica illa vniuerſalis abſtinet, vti oſtendimus, ab omni cognitionis materia, id eſt, ab omni huius adfectione ad rem oblatam atque obiectam, ſolamque formam logicam in adfectione notitiarum ad ſe inuicem, ſolamque formam cogitandi vniuerſe conſiderat atque inquirit. Quoniam autem viſionum duplex ratio eſt, purae ſcilicet, et empiricae (vti aeſthetica transſcendentalis euincit); eſſe etiam diſcrimen poterit inter motum animi purum et empiricum rerum oblatarum. Atque eatenus ſpecies exſtaret logices, in qua haud ab omni cognitionis materia nosmet abſtineremus: namque ea,

quae in ſolis regulis motus animorum puri verteretur, omnes eas notitias excluderet, quae in materia empirica verſarentur. Ea etiam originem ſpectaret notitiarum noſtrarum rerum oblatarum, quatenus ea non poteſt rebus obiectis attribui: contraque logica vniuerſalis originem illam cognitionis haud inquirit, et repraeſentationes, ſive originem ex anticipatione in nobis ipſis ducant, ſiue *ἐμπειρικῶς* datae illae ſint, ad ſolam normam legum conſiderat, ſecundum quas intelligentia illis in adfectione ad ſe inuicem, ſi cogitat, vtitur, et proinde ſolam intelligentiae formam tractat, quae tribui repraeſentationibus poteſt, vnde illae cumque fuerint exortae.

Sed huic loco monitum addere liceat, quod ad vniverſa ea, quae in poſterum dicentur, pertinet, quodque probe debet ante oculos haberi, nempe hoc: non vnamquamque cognitionem ex anticipatione, ſed ſolam eam transſcendentalem dici oportere, qua fit, vt cognoſcamus, quod, quoue modo certae repraeſentationes (viſiones vel conceptus) ex ſola anticipatione adhibeantur, vel eſſe poſſint (cognitio enim transſcendentalis dicitur, quae ipſa eſſe, cuiusue vſus eſſe ex anticipatione poteſt). Proinde neque ſpatium, neque vlla eiusdem adfectio geometrica ex anticipatione erit repraeſentatio transſcendentalis, et ſola illa cognitio, quae monſtrat, illarum repraeſentationum originem neutiquam eſſe empiricam, et modus, quo eſſe poteſt, vt nihilominus ad res experientiae obuias oblatasque ex anticipatione queant referri, dici poterit transſcendentalis. Vſus etiam ſpatii in rebus oblatis obiectisque in genere transſcendentalis foret: ſed ſi ad ſolas res ſenſibus ſubiectas ille pertinet, empiricus vocatur. Igitur totum illud diſcrimen inter transſcendentale et empiricum ad ſolam criticam ſpectat notitiarum, neque adfectiones attingit illarum ad res ipſis oblatas atque ſubiectas.

Itaque ſpe freti, eſſe forſitan conceptus poſſe, qui ad res oblatas atque propoſitas ex anticipatione referantur, non qua purae illae quidem, aut, quae ſenſum ſpectent, viſiones, ſed vt functiones motus puri animorum, quae proinde conceptus, neque tamen ab

origine ducti empirica ſint, neque aeſthetica, ideam iam in anteceſſum nobis informamus doctrinae notitiarum intelligentiae rationisque purae, quibus res obiectas oblatasque prorſus ex anticipatione cogitemus. Eiusmodi autem ſcientia, quae originem ambitumque, et locum talium notitiarum obiectiuum definiret, logica dici transſcendentalis oporteret, eo quod in ſolis legibus intelligentiae rationisque verſabitur, ſed tantummodo, quatenus ad res oblatas obiectasque ex anticipatione referri videtur, non vero, quemadmodum logica vniuerſalis, ſine discrimine tam ad notitias rationis empiricas, quam puras.

III.

De partitione logices vniuerſalis in analyticam et dialecticam.

Vetus illa et dudum celebrata quaeſtio, qua logici cogi in anguſtias putabantur, eoque adigi, vt aut in διαλέξει miſera offenderentur, aut de ignorantia ſua, adeoque de vanitate artis ſuae turpiter faterentur, ea igitur quaeſtio haec erat: *Quid eſt verum?* Definitionem verbi veri, quod in conuenientia concentuque verſetur cognitionis cum re ipſi propoſita atque oblata, damus mittimusque et ſumimus. Sed ſcire cupimus, quae nota vniuerſalis ſit et certa veri cuiuscumque cognitionis.

Permagno iam et neceſſario argumento erit prudentiae intellectuſue, ſi ſcias, quid rationi conuenienter debeat quaeri. Quum enim quaeſtio per ſe abſurda eſt, poſtulatque, ad quae inutile ſit reſponderi, tum ſit, vt non modo ei, qui quaerit, pudor incutiatur, ſed etiam, vt non numquam hoc inſuper incommodi naſcatur, vt incautus auditor ad reſponſa abſurda rapiatur, adſpectusque praebeatur ridiculus eorum, quorum alter (vt veteres dixere) hircum mulgeat, alter cribrum ſupponat.

Quodſi verum in conuenientia cernatur cognitionis cum rebus ipſi oblatis atque obiectis, ſequetur, vt eo res illa ſubiecta ab aliis dignoſcatur: falſa enim cogni-

tio eſt, quae cum re, ad quam refertur, non conuenit, quamquam ea aliquid complectitur, quod locum in aliis rebus poſſit habere. Iam vniuerſalis veri nota ea foret, quae locum haberet in omnibus notitiis, ſine diſcrimine rerum ipſis ſubiectarum. Verum, cum in ea ab omni materia cognitionis (hoc eſt, ab omni adfectione illius ad rem obiectam) cogitationem abducas, verumque illud eam ipſam materiam attingat, manifeſtum erit, fieri non poſſe, atque adeo pugnare, vt notam veri quaeras huius materiae notitiarum, ideoque veri notam non poſſe, quae quidem ſufficiat atque ad vniuerſa ſpectet, oſtendi. Cum ſupra, quae continentur cognitione quadam, illius materiam nuncupauerimus, ſane dicendum erit: vniuerſalis veri nota cognitionis quoad materiam non poterit poſtulari, quoniam illud per ſe repugnat.

Si vero cognitionem ſecundum ſolam formam (miſſa omni materia) conſideres, aeque planum erit: logicam, quatenus vniuerſales et neceſſarias intelligentiae regulas tractat, in his ipſis regulis notas veri proponere debere. Quidquid enim cum his pugnat, falſum eſt, eo quod in eo intelligentia vniuerſalibus illis cogitandi regulis ſuis, ideoque ipſa ſibi repugnat. Illae notae autem ſolam formam veri, id eſt, cogitationis generatim, attingunt, atque eatenus rectae ſunt illae quidem, ſed minus idoneae ac ſufficientes. Quamuis enim eſſe cognitio poſſit formae logicae congruens prorſus atque conueniens, hoc eſt, quae ſibimetipſi non repugnet, tamen eſſe poterit, vt pugnet ea cum rebus obiectis. Hinc ergo efficitur, vt ſola logica veri nota, nempe conuenientia cognitionis cum vniuerſalibus et formalibus legibus intelligentiae rationisque, eſſe quidem conditio ſine non poſſit, ideoque lex negatiua cuiusque veri: verum longius progredi logica non poteſt, neque errorem, quippe qui non formam, ſed ipſam materiam attinet, nulla vmquam regula aperire.

Iam logica vniuerſalis omnem illam effectionem intelligentiae rationisque formalem in elementa ſua reſol-

vit, eaque, vt principia cuiusque logice iudicandi modi de cognitione noſtra proponit. Quae quidem pars logicae dici analytica poteſt, eaque propterea pro obruſſa quadam veri erit ſaltim negatiua: ſi quidem prius omnis cognitio, ſecundum formam, ad eas regulas examinari debebit et aeſtimari, quam eam, quoad materiam, explores, an ratione rei obiectae verum illa complectatur poſitiuum. Quoniam autem ſola forma cognitionis, quantumuis ea cum legibus logices concinat atque conſentiat, nondum ſufficit, ad verum materiale (obiectiuum) illud cognitioni ſuppeditandum, non poteris ſola adiutus logica de rebus oblatis iudicare, vel vmquam quidquam decernere, niſi extra logicam aliunde firmam notitiam earum antea hauſeris, quam deinceps poſſis ad vſum transferre, atque aptare ad leges logicas et colligare, vt totum inde continens exſiſtat, vel potius ad eas probare queas atque examinare. Interim tamen in poſſeſſione artis tam ſpecioſae tantum fraudis ineſt, vt facile putemus, omnibus notitiis noſtris formam aptari intelligentiae, quamuis ratione illarum materiae vacui maxime atque inopes ſimus, ita vt logica illa vniuerſali, quae in ſolo canone verſatur iudicandi, tamquam pro organo quodam vtamur ad decernendum de rebus ipſis, certe cum ſpecie quadam, ideoque re ipſa abutamur. Sed logica illa vniuerſalis, quatenus eam organon putamus, *dialectica* appellatur.

Quantumuis varia ſignificatio eſt, quam veteres huic arti tribuerent, tamen ex vſu, quo hoc verbum acceperunt, facile poteſt intelligi, illam iis nihil fuiſſe aliud, quam logica putatitiorum, quae in arte verſatur ſophiſtica, qua ignorantiae ſuae, atque adeo praeſtigiis de induſtria confictis colorem veri inducerent, ita vt viam doctam illam, ab logica omnino praeſcriptam imitarentur, topicamque ad quamque opinionem vanam adhiberent commendandam. Iam certa atque ſalutaris, quae notetur, cautio erit: logicam vniuerſalem, ſi ea pro organo vtare, ſemper logicam putatitiorum, id eſt, dialecticam eſſe. Nam, quum ea nihil quidquam de materia cognitionis nos edoceat, ſed ſolas leges forma-

les conuenientiae cum intelligentia, neceſſe erit, vt, ſi ea pro organo velis vti, quo notitias augere poſſis latiusque extendere, nugas verboſas ſtrepas, quaeque cupias, cum ſpecie quadam defendas, vel impugnes.

Talis vero inſtitutio excellentiae dignitatique philoſophiae minime conueniet. Propterea nomen dialectices, tamquam critices ſpeciei dialecticae, potius logicae adnumeratum eſt, et tamquam eam et hoc in loco volumus illam intelligi.

IV.

De partitione logices transſcendentalis in analyticam et dialecticam transſcendentalem.

In logica transſcendentali (vt ſupra in aeſthetica transſcendentali ſenſum fecimus ſolitarium) intelligentiam facimus ſolitariam, ſolamque eam cogitationis partem e cognitione noſtra capimus, quae originem in ſola intelligentia habet. Sed vſus cognitionis purae hoc ſolo nititur, tamquam ſua lege: res nobis oblatas eſſe in viſione, ad quas purae notitiae illae poſſint adhiberi. Nam ſine viſione res deſunt obiectae omni cognitioni noſtrae, quae proinde tota manet inanis. Illa pars ergo logicae transſcendentalis, quae elementa tractat purae cognitionis intelligentiae, atque principia, ſine quibus nuſpiam poterit res obiecta cogitari, eſt analytica transſcendentalis, eademque logica veri. Namque illi nulla poteſt cognitio repugnare, quae non omnem ſimul materiam amitteret, id eſt, omnem ad vllam rem obiectam adfectionem, proinde et omne verum. Quoniam autem facile allicimur et mouemur, vt puris iſtis intelligentiae notitiis decretisque ſolitariis, vel ipſos vltra terminos experientiae vtamur, quae quidem ſola nobis poteſt materiam (res oblatas) ſuppeditare, ad quam illi puri conceptus intelligentiae poſſint adhiberi; fit, vt in diſcrimen veniat intelligentia, per vanas argutationes, principiis ſolum formalibus intelligentiae purae vtendi pro materialibus, et ſine diſcrimine de rebus ſtatuendi, quae nobis non datae ſunt atque propoſitae, quaeque forte

nullo modo nobis poterunt obiici atque offerri. Igitur quae proprie eſſe pro canone deberet iudicandi de vſu empirico, ea abutimur, ſi tamquam organon vſus vniuerſalis atque infiniti eam accipimus, cumque pura intelligentia illa audemus de rebus in vniuerſum συνθετικῶς iudicare, adſerere atque decernere. Itaque pars poſterior logices transſcendentalis verſabitur in critica huius dialecticae ſpeciei, et dialectica transſcendentalis dicetur, non tamquam ars quaedam, qua poſſit talis ſpecies δογματικῶς moueri (ars illa quidem frequentiſſima variarum praeſtigiarum metaphyſicarum), ſed tamquam critica intelligentiae rationisque reſpectu vſus earum hyperphyſici, quae fallacem ſpeciem eorum, quae illa ſibi falſo arrogat, aperiat, quasque illa iactat, de inueniendo vero propagandoque, ſpes ope tantummodo decretorum transſcendentalium conſequendas, ad meram diiudicationem intelligentiae purae, curamque reuocet, qua ab ſophiſticis praeſtigiis illi caueatur.

LOGICA TRANSSCENDENTALIS.

SECTIO PRIOR.

ANALYTICA TRANSSCENDENTALIS.

Atque haec analytica in reſolutione, quaſique quadam diſſectione verſatur vniuerſae cognitionis noſtrae antecaptae in elementa cognitionis purae intellectualis. Cuius quidem inueſtigationis cardo omnis hiſce in partibus vertitur: 1) Vt conceptus ſint puri, non empirici. 2) Vt ne viſionem illi ſenſumque attingant, ſed cogitationem et intelligentiam. 3) Vt conceptus ſint elementares, qui a ductis deriuatisque vel inde compoſitis et complexis probe discernantur. 4) Vt tabula illarum plena ſit atque abſoluta, iisque vniuerſus intelligentiae campus prorſus expleatur. Atqui haec perfectio abſolutioque artis cuiusdam ac doctrinae non poterit fidenter accipi ad rationem ſummae cuiusdam ſolis periculis confectae et conſtitutae; proinde ea eſſe non poterit, niſi interueniente idea totius compagis cognitionis anti-

cipatae intelligentiae, atque inde definita conceptuum, quibus ea efficitur,deſcriptione,ideoque ſola continuatione ſua contextuque ad formam ſyſtematis. Intelligentia pura ſeparat ſeſe totam ac ſecernit non ſolum ab omni ratione empirica, verum etiam ab omni adeo ſenſu. Eſt ea ergo quiddam vnum, quod per ſe ſit, ſibique ipſum ſufficiens, nullis externis et aduentitiis additamentis augendum. Proinde ſumma cognitionis illius diſciplinam efficiet vna idea complectendam ac definiendam, ad cuius perfectionem et conſtructionem, quaſique articulationem poſſis, tamquam ad lapidem quendam Lydium, omnium partium cognitionis aptarum illi et conuenientium veritatem probitatemque explorare. Omnis autem haec pars logices transſcendentalis duobus libris abſoluitur, quorum vno conceptus intelligentiae purae, altero illius decreta continentur.

ANALYTICES TRANSSCENDENTALIS

LIBER PRIOR.

ANALYTICE CONCEPTUUM.

Analyticen conceptuum non dico eorum ἀνάλυσιν, conſuetamue illam quaeſtionum philoſophicarum rationem, quae occurrunt, conceptus aperiendi quoad materiam et perſecandi, et ita explicitas illas diſtinctasque reddendi, ſed parum adhuc tentatam illam quidem analyſin intelligo ipſius facultatis intelligendi, quae eo conſilio inſtituitur, vt exploremus, qui eſſe poſſint conceptus ex anticipatione, ita quidem, vt in ſola intelligentia, tamquam in ſolo natali ſuo conquiramus, eorumque purum vſum in vniuerſum ἀναλυτικῶς excutiamus. Hoc enim negotium eſt proprium philoſophiae transſcendentalis; reliqua tractationem logicam conceptuum in philoſophia generatim ſpectare videntur. Igitur conceptus puros vsque ad prima illorum initia quaſique ſtamina in mente humana perſequemur, in quibus latent praeformati, dum interueniente experientia euoluantur, ab eademque mente ab omni, quae ipſis adhaereat, adiunctione empirica liberae in puritate naturali proponantur.

ANALYTICES CONCEPTUUM

CAPUT PRIMUM.

De via inueniendorum purorum conceptuum omnium intelligentiae.

Si quam cognoſcendi facultatem commoueris, pro varia occaſione data, conceptus ſeſe oſtendent, quibus fit, vt ea facultas inſignita dignoſcatur, quaeque, pro eo, atque contemplationem eorum diutius, ſubtiliusue inſtitueris, longiori breuiorique ſcripto queant colligi. Quae quidem inueſtigatio vbi abſoluta fuerit ad exitumque perducta, pro hac tractandi ratione quaſi mechanica, numquam certo poterit definiri. Quos data porro occaſione offendimus, conceptus oſtendunt ſe non ordine compoſitso, ad vnumque quiddam momentum nexos ac deſcriptos, ſed tantummodo ex ſimilitudinibus comparantur, atque ex magnitudine materiae, a ſimplicibus ad magis complexas et coniunctas, ſeriebus collocantur, quae permultum abeſt, vt ad certam quandam diſciplinae formulam, licet quodammodo artificio quodam ac via, perficiantur.

Ac philoſophia transſcendentalis hoc quidem commodi habet, ſed id etiam officii, vt conceptus ſuos ad aliquod principium conquirat; ſi quidem illi ex intelligentia, tamquam ex vnitate abſoluta, puri, nec concreti, oriuntur, et proinde ipſi ad conceptum quemdam, ideamue, inter ſe cohaerere debent. Talis autem continuatio contextusue regulam miniſtrat, ad cuius normam ſuus cuique puro conceptui intellectuali locus, eorumque plenus numerus et abſolutus definiri poſſit, quae quidem omnia alias a libidine caſuque penderent.

Viae transſcendentalis inueniendorum purorum conceptuum intelligentiae omnium

TOMUS PRIMUS.

De vſu logico intelligentiae vniuerſe.

Supra intelligentiae definitionem dedimus mere negantem; nempe eſſe eam cognoſcendi facultatem a ſenſu

Digitized by Google

remotam. Atqui non poſſumus, liberi a ſenſu, viſionis eſſe participes. Igitur intelligentia non eſt facultas videndi, ſiue intuendi. Sed praeter viſionem nullus alius cognoſcendi modus eſt, quam ope conceptuum. Igitur cognitio cuiuslibet intelligentiae, certe humanae, cognitio per conceptus eſt, non videns et, quam dicunt, intuitiua, ſed diſcurſiua. Omnes viſiones, qua ſenſitivae, adfectionibus nituntur, ſed conceptus functionibus. Sed functionem dico vnam illam atque indiuiduam mentis actionem, qua fit, vt variae diuerſaeque repraeſentationes conceptui cuidam communi ſubiiciantur. Igitur conceptus motu animi ſpontaneo nituntur, quemadmodum viſiones ſenſitiuae receptione impreſſionum. Atque horum quidem conceptuum nullus menti alius vſus erit, quam vt iis iudicet. Quum vero nulla repraeſentatio proxime proprieque ad obiectam rem pertineat, praeter viſionem ſolam, efficitur, vt conceptus numquam ad rem oblatam proxime, ſed ad vllam aliam vllius repraeſentationem (ſiue illa viſio ſit, ſiue ipſe iam conceptus) referatur. Itaque iudicium cernitur in cognitione rei obiectae mediata, proinde in repraeſentatione repraeſentationis oblatae rei. In omni iudicio conceptus ineſt ad multa ſpectans, et in his multis etiam datam is repraeſentationem complectitur, quae poſterior quidem proxime ad rem obiectam refertur. Sic in hoc iudicio: omnia corpora ſunt diuidua, conceptus eius, quod in partes ſecari poteſt, ad multos alios conceptus pertinet, atque in his ſingulatim ad corporis conceptum refertur; ſed hic conceptus corporis ad certa viſa quaedam nobis obuia. Proinde hae res obiectae repraeſentantur interuentu conceptus eius, quod ſecari poteſt, ac diuidi. Quocirca omnia iudicia in functionibus verſantur vnitatis in repraeſentationibus noſtris, nimirum dum pro repraeſentatione proxima altior quaedam illam cum pluribus aliis complectens ad cognitionem obiectae rei adhibetur, multaeque, quae eſſe poſſunt, notitiae in vna hoc modo colliguntur. Omnes autem effectiones intelligentiae ad iudiciorum fontem poſſunt reduci, ita vt intelligentiam vniuerſam oſtendere poſſis tamquam

facultatem quandam iudicandi. Eſt ea enim, vti in ſuperioribus vicimus, facultas cogitandi. Sed cogitatio cernitur in cognitione ope inſtituta conceptuum. Conceptus autem, tamquam attributa quorumuis, quae enunciari poſſunt, iudiciorum, ad vllam quandam repraeſentationem referuntur obiectae rei nondum determinatae. Velut conceptus corporis oſtendit aliquid, exempli gratia metallum, quod illo conceptu poteſt cognoſci. Ergo hoc ille ſolo conceptus eſt, quod illo continentur aliae repraeſentationes, quibus fit, vt ad res obiectas is poſſit referri. Igitur in praedicato ille verſatur cuiuspiam, quod pronunciari queat, iudicii, vt hoc modo: quodcumque metallum eſt corpus. Proinde functiones intelligentiae poterunt vniuerſae aperiri, ſi functiones vnitatis in iudiciis plenas atque integras poſſis proponere. Id quod facile effici poſſe proxima ſectio planum faciet.

Viae inueniendorum purorum conceptuum intelligentiae vniuerſorum

SECTIO SECUNDA.

§. 9.

De functione logica intelligentiae in iudiciis.

Si omnem omnino iudicii materiam ſuſtuleris mente atque remoueris, ad ſolamque in eo intelligentiae formam animum intenderis, inuenies, functionem cogitandi in eo locis poſſe quatuor comprehendi, quorum quisque tria momenta complectatur. Quae quidem commode poterunt hac tabula proponi:

1.

Quantitas iudiciorum.
Vniuerſalia.
Specialia (particularia).
Singularia.

2.	3.
Qualitas.	*Adfectio (Relatio).*
Aientia.	Categorica.
Negantia.	Hypothetica.
Infinita.	Disiunctiua.

4.

Modorum (Modalitas).
Problematica.
Adſerentia (Adſertoria).
Neceſſaria (Apodictica).

Quae quidem diuiſio, quum in nonnullis, non internis illis quidem, partibus a conſueta logicorum technica abhorrere videatur, non abs re erit, vt calumniae falſaeque, quae metui poſſit, interpretationi occurratur, has animaduerſiones cautionesque adiicere.

1) Logici iure praecipiunt, in iudiciis ad ratiocinationes adhibendis ſingularia iudicia conformiter vniverſalibus poſſe tractari. Namque eadem de re, quoniam prorſus carent ambitu, praedicatum in iis non ſolum ad quiddam eorum, quae conceptu continentur ſubiecti, referri poterit, a quodam autem excludi. Ergo valet de illo conceptu ſine vlla exceptione, quaſi is conceptus foret communis, qui ambitum haberet atque compagem, cuius de vniuerſo ſignificatu praedicatum illud locum haberet. Contra vero ſi iudicium ſingulare, prout ſola notitia, ſecundum quantitatem compares cum communi, illud ad hoc pariter adfectum erit, atque vnitas ad infinitatem, ideoque per ſe atque ex ſua natura ab eo diſtinguitur. Igitur ſi iudicium ſingulare aliquod, non ad ſolam vim ſuam internam, ſed etiam generatim tamquam notitiam aeſtimem, ex quantitate, quam habet cum aliis notitiis comparatum, ſane erit illud a com-

munibus iudiciis diuerſum, in plenaque atque abſoluta tabula momentorum cogitandi vniuerſe peculiarem locum meretur; quamquam non in logica ad vſum tantummodo iudiciorum erga ſe inuicem determinata ac circumſcripta.

2) Pariter in logica transſcendentali iudicia *infinita* ab aientibus debent diſcerni, licet ea in logica generali his iure adnumerentur, neque peculiarem partem diuiſionis conſtituant. Haec enim ab omni abſtinet materia praedicati (quamuis illud in negantibus ſit), ſolumque id reſpicit, vtrum illud ſubiecto tribuatur, an opponatur. Sed illa iudicium conſiderat etiam quoad materiam huius adfirmationis logicae ope praedicati mere negantis, quidque haec ratione vniuerſae cognitionis lucri adferat. Si dixiſſem, animam eſſe non mortalem, iudicio negante ſaltem errorem arcuiſſem. Iam quidem in pronunciato: anima eſt non mortalis, ad formam logicam vere aio, dum animam in infinita illa compage pono naturarum non morientium. Quoniam autem de tota, quae eſſe poſſunt, naturarum compage partem occupat quod mortale eſt, partem vero alteram id quod non moritur, illo pronunciato nil quidquam aliud enunciatur, quam animam eſſe vnam ex infinita illa vi rerum, quae relinquantur, ſi, quidquid mortale eſt, ſuſtulero. Eo vero infinita illa ſphaera omnium eorum, quae eſſe poſſunt, hactenus ita determinatur, vt id, quod mortale eſt, ab iis ſeparetur, ſed in reliqua ſpatii compage anima ponatur. Quod quidem ſpatium illa exceptio haud impedit quo minus immenſum maneat, pluresque illius tolli partes queant, neque tamen propterea conceptus animae creſcat vel minimum et augeatur, neque aiendo definiatur? Igitur haec iudicia infinita reſpectu compagis logicae re ipſa ſunt determinantia ratione materiae cognitionis vniuerſae, atque eatenus in tabula momentorum cogitandi in iudiciis transſcendentali non ſunt praetereunda, quia functio, quam intelligentia ea in re exſeruit, in campo purorum conceptuum ſuorum praeconceptorum fortaſſe aliquid poteſt momenti habere.

3) Omnes adfectiones cogitandi in iudiciis ſunt a) praedicati ad ſubiectum, b) rationis ad conſequens, c) cognitionis diuiſae, omniumque diuiſionis partium ad ſe inuicem. In ea iudiciorum parte, quam primo deſcripſimus, duo tantum conceptus inſunt, in altera duo iudicia, in tertia plura iudicia ad ſe inuicem adfecta. Enunciatum illud hypotheticum: ſi perfecta iuſtitia adeſt, punitur is, qui in vitiis permanet; proprie complectitur adfectionem duorum pronunciatorum: adeſt perfecta iuſtitia, et, qui in vitiis permanet, is punitur. An vtrumque pronunciatum iſtud per ſe verum ſit, in medio relinquitur. Sola conſecutio eſt, quae per hoc enunciatum cogitatur. Iudicio diſiunctiuo denique adfectio continetur duorum pluriumue ad ſe inuicem pronunciatorum, verum non conſecutionis, ſed logicae oppoſitionis, quatenus per ſphaeram vnius alterius ſphaera excluditur, nihilominus tamen quoque communionis, quatenus vtrumque coniunctim ſphaeram explent cognitionis propriae, proinde adfectio partium ſphaerae cognitionis cuiusdam, dum ſphaera vtriusque partis ſupplementum eſt ſphaerae alterius partis ad vniuerſam ſummam cognitionis diuiſae. Eius rei hoc nobis exemplo ſit: mundus exſtat vel caſu quodam fortuito, vel ex neceſſitate interna, vel cauſa aliqua externa. Vnum quodque horum enunciatorum partem capit in ſphaera cognitionis, quae eſſe poteſt, de exſiſtentia mundi vniverſe, ſed iuncta ſimul totam ſphaeram implent. Cognitionem ex vna iſtarum ſphaerarum tollere, idem eſt, atque eam ponere in vnam reliquarum, contraque in vna ſphaera eam ponere, perinde erit, atque eam e reliquis tollere. Igitur in iudicio diſiunctiuo certum quoddam ineſt notitiarum commercium, quod verſatur in eo, vt ſe inuicem reciproce excludant, ſed eo tamen in vniuerſum veram cognitionem determinent, dum ea coniuncta omnem materiam vnius cognitionis datae efficiant. Atque id ſolum eſt, quod eorum in gratiam, quae inferius dicentur, monendum duximus.

4) Iudiciorum tandem, quam vocant, modalitas functio eſt illorum prorſus peculiaris, quae hoc quidem

diſcriminis habet, quod nihil ea ad materiam iudicii confert (ſi quidem praeter quantitatem, qualitatem, adfectionemque nil quidquam erit amplius, quo materia iudicii efficiatur), ſed ſolam vim copulae ſpectat in relatione ad cogitationem vniuerſam. Ac *problematica* iudicia quidem ea ſunt, in quibus ratio aiens vel negans ſola ſumitur, tamquam id, quod eſſe poſſit (ex noſtra lubidine pendens). *Adſerentia* ſeu *adſertoria*, in quibus vtraque ratio tamquam in re ipſa poſita (vera) conſideratur. *Apodictica* denique, in quibus ea, tamquam neceſſaria, ſpectatur. *) Ita vtrumque iudicium, cuius adfectione hypotheticum efficitur (antecedens et conſequens), itemque cuius reciprocatione disiunctiuum continetur (membra diuiſionis), in problematicis eſt. In exemplo ſupra propoſito enunciatum hoc: perfecta iuſtitia adeſt, non adſertorie exprimitur, ſed modo tamquam iudicium arbitrarium cogitatur, quod fieri poſſit, vt a nemine accipiatur, ſed ſolum conſequens adſertorium eſt. Inde fit, vt talia iudicia etiam aperte falſa eſſe poſſint, quae tamen, problematice accepta, conditiones videndi veri videantur. Velut iudicium hoc: mundus exſtat caſu fortuito, in disiunctiuo iudicio, ſolam vim problematicam habet, ſcilicet, vt quis enunciatum illud forte ad punctum temporis accipiat, et tamen (vti viae falſae delineatio in numero omnium earum, quas poſſis ingredi) ad inueniendam veram ſeruit. Igitur enunciatio problematica dicetur ea, quae exprimit illa, quae logice quidem (non obiectiue) eſſe poſſint, id eſt, optionem liberam eiusmodi pronunciato locum concedendi, ideoque mere arbitraria eius receptio in intelligentiam. Adſertorium veritatem logicam (verum) enunciat (velut in ratiocinio hypothetico antecedens in propoſitione problematicum, in adſumtione adſertorium eſt) enunciat, monſtratque, pronunciationem cum intelligentia ex eius legibus eſſe iam copulatam; ſed apodicticum enuncia-

*) Perinde, ac ſi cogitatio in primo caſu *functio intelligentiae*, in ſecundo *facultatis iudicandi*, in tertio *rationis* foret. Quae quidem animaduerſio ex iis, quae in poſterum pertractabuntur, luculentius patebit.

tum cogitat adſertorium hiſce intelligentiae legibus ipſum determinatum definitumque, et proinde ex anticipatione decernens, et hoc modo neceſſitatem logicam enunciat. Quoniam igitur omnia ſeſe hic gradatim adiungunt intelligentiae, ita vt antea aliquid iudices dubie ſeu problematice, tum illud fere etiam pro vero accipias, tandem vero, pro eo, quod arctiſſime coniunctum cum intelligentia ſit, id eſt, tamquam neceſſarium et apodicticum adſeueres; poterunt hae tres functiones modorum totidem momenta dici cogitationis in vniuerſum.

Viae inueniendorum purorum conceptuum intelligentiae vniuerſorum

SECTIO TERTIA.

§. 10.

De conceptibus puris intelligentiae ſeu categoriis.

Temperat ſibi et abſtinet, vti ſaepius diximus, logica vniuerſalis ab omni cognitionis materia, ſpe freta, fore, vt aliunde ſibi, vnde cumque ſit, repraeſentationes datum iri videantur, quas primo in conceptus transmutet, id quod *ἀναλυτικῶς* efficitur. Contra ea vero logica transſcendentalis, vim variam ſenſus ac multiplicem ex anticipatione propoſitam tenet, oblatam illi per aeſtheticam transſcendentalem, vt conceptibus puris materia praeberetur, qua ſi careret, prorſus vacua atque inanis foret. Iam ſpatium tempusque varietatem complectuntur viſionis purae praeſumtae, nihilominus tamen pertinent ad leges receptiuitatis animi noſtri, quibus ſolis fit, vt repraeſentationes obiectarum rerum ille poſſit accipere, quae ideoque conceptum illarum ſemper, neceſſe erit, adficiant. Sed ratio cogitationis noſtrae ſpontanea poſtulat, vt varietas illa primo quodammodo perluſtretur, apprehendatur, coniungaturque, vt inde cognitio efficiatur. Atque hanc quidem effectionem ſyntheſin dicamus.

Ac ſyntheſin quidem ſenſu latiſſimo eam actionem intelligo, qua diuerſae repraeſentationes inuicem copu-

lantur, earumque varietas vna cognitione comprehenditur. Atque ea quidem ſyntheſis erit *pura*, ſi varietas illa non empirica ſit, ſed ex anticipatione data atque oblata (vt illa in ſpatio ac tempore). Ante omnem repraeſentationum analyſin, hae datae priores ſint, oportebit, nullique conceptus quoad materiam ἀναλυτικῶς poterunt exſiſtere. Syntheſis variorum autem (ſiue empirice ſint illa quidem, ſiue ex anticipatione data) primum cognitionem producit, crudam illam quidem principio et confuſam, quae proinde analyſi indigeat; ſed ſyntheſi tamen efficitur, vt elementa notitiarum colligantur, adcertamque materiam iungantur nectanturque. Proinde ea caput eſt, quod animaduerti debet, ſi de primis initiis cognitionis noſtrae iudicare velimus.

Omnino ſyntheſis, vti in poſterum videbimus, ſola phantaſiae effectio eſt, caecae cuiusdam, quamquam neceſſariae, functionis animae, ſine qua nullam prorſus cognitionem haberemus, cuius autem raro vel ſemel conſcii ſumus. Sed vt haec ſyntheſis ad conceptus reuocetur, illud quidem functio eſt propria intelligentiae, qua fit demum, vt cognitionem illa nobis ſenſu proprio largiatur.

Syntheſis pura, vniuerſe repraeſentata, conceptum purum intelligentiae miniſtrat. Hanc vero ſyntheſin eam dico, quae fundamento quodam nititur vnitatis ſyntheticae ex anticipatione: ſic noſtra numerandi ratio (inprimis hoc in maioribus numeris facilius animaduerti poteſt) cernitur in ſyntheſi ſecundum conceptus, quoniam ea ex communi vnitatis principio (velut decadices) efficitur. Sub hoc igitur conceptu vnum illud in ſyntheſi variorum neceſſarium redditur.

Diuerſae repraeſentationes vni conceptui ſubiiciuntur analytice (de qua re tractat logica vniuerſalis). Sed quomodo, non repraeſentationes illae, verum ſyntheſis pura repraeſentationum ad conceptus transferatur, id quidem docet logica transſcendentalis. Ac primum illud, quod in gratiam cognitionis omnium rerum obiectarum ex anticipatione datum eſſe, oportebit, cernitur in

varietate viſionis purae. Alternm deinceps eſt ſyntheſis huius varietatis in phantaſia, vnde vero nondum vlla cognitio emergit. Conceptus, qui purae ſyntheſi iſti vnitatem impertiunt, atque in ſola repraeſentatione huius neceſſariae vnitatis ſyntheticae verſantur, tertio loco ad cognitionem conferunt rei obuiae atque oblatae, atque intelligentia nituntur.

Eadem illa functio, quae variis repraeſentationibus in iudicio rationem vnitatis impertit, ſoli etiam ſyntheſi diuerſarum repraeſentationum in viſione vnitatem largitur, quae ſenſu latiſſimo conceptus purus intelligentiae vocatur. Eadem igitur intelligentia, et iisdem quidem actionibus, quibus in conceptibus, ope vnitatis analyticae, logicam iudicii formam perfecerat, etiam ope vnitatis ſyntheticae variorum in viſione vniuerſe, conceptibus ſuis infert quamdam materiam transſcendentalem, quamobrem conceptus puri dicuntur intelligentiae, quae ex anticipatione ad res obiectas referuntur. Id quod logica vniuerſalis non poteſt efficere.

Hoc modo totidem exſiſtunt conceptus puri intelligentiae, qui ad res viſioni obnoxias vniuerſe ex anticipatione referuntur, quot functionum logicarum in quouis, quod enunciari poſſit, iudicio in ſuperiori tabula conſignauimus: ſi quidem intelligentia illis, quas diximus, functionibus prorſus exhauſta eſt, totaque facultas eius penitus emenſa. Hos conceptus, duce Ariſtotele, categorias vocabimus: ſiquidem idem cum eo conſilium habemus in inſtituenda, quamquam diuerſum maxime et abhorrens in perſequenda hac inueſtigatione.

Tabula Categoriarum.

1.

Quantitatis.
Vnum (Vnitas).
Plura (Pluralitas).
Vniuerſa (Vniuerſitas).

2.

Qualitatis.
Veritas (Realitas).
Negatio.
Limitatio.

3.

Adfectio (Relatio).
Inhaerentiae ſeu ſubſiſtentiae. Subſtantia et accidens.
Cauſae (cauſalitatis et dependentiae). Cauſa et effectum.
Commercium (Effectio reciproca inter agens et ſeſe praebens patiens).

4.

Modorum (Modalitatis).
Poſſibilitas-Impoſſibilitas.
Exiſtentia-Non eſſe.
Neceſſitas-Fortuitum.

Atque haec quidem delineatio erit omnium ex origine ſua purorum conceptuum συνθέσεως, quos intelligentia ex anticipatione inſitos in ſe continet, quorum reſpectu ea pura intelligentia dicitur: quippe quibus ea ſolis aliquid poteſt ex varietate viſionis intelligere, id eſt, rem huic oblatam cogitatione depingere. Haec diuiſio e communi principio quodam, nempe ex facultate iudicandi (quae eadem eſt cum facultate cogitandi) ad diſciplinae formam profecta, neque rhapſodorum more, ex temere ſuſcepta conquiſitione conceptuum purorum orta eſt, de quorum numero numquam poſſis, an plenus atque abſolutus ſit, certus eſſe, ſi quidem ea tantum inductionis ope concluderetur, nedum, quod hoc poſteriori modo numquam intelliges, curnam iidem illi conceptus, non alii intelligentiae ineſſe purae videantur.

Conſilium illud *Ariſtotelis* primos illos conceptus inueſtigandi, dignum ſane erat tanto viro, tamque acuto homine. Quoniam autem philoſophus carebat principio, conquiſiuit eos, vtcumque occurrerent, primoque illorum decem congeſſit, quos categorias (praedicamenta) vocauit. Sequente tempore eorum adhuc quinque putabat offendiſſe, quos nomine poſtpraedicamentorum indutos, adiunxit. Verum eius tabula manca et imperfecta manſit. Praeterea illis inſunt modi quidam ſenſus puri (quando, vbi, ſitus, item prius, ſimul), empiricus etiam (motus), qui ab hoc ſtemmate intelligentiae prorſus remoti atque alieni ſunt, conceptus item deriuati conceptibus primis ſunt adnumerati (actio, paſſio), et quidam denique conceptuum primorum plane deſunt.

Ac de his quidem conceptibus primis praeterea notandum eſt: categorias, quae veri ſunt propriique conceptus primi intelligentiae purae, etiam habere conceptus deriuatos pariter puros, qui in ſyſtemate philoſophiae transſcendentalis nullo prorſus modo debent praeteriri, quorum mentione ſola autem in periculo mere critico eſſe poſſumus contenti.

Ac liceat quidem, vt hos puros ac deriuatos intelligentiae conceptus *praedicabilia intelligentiae* nuncupem (comparatos cum praedicamentis). Quodſi conceptus primos inueneris, facile tum poteris deriuatos ſubordinatosue iis adiungere, et ita στέμμα intelligentiae purae penitus adumbrare. Cum hoc loco non curem, vt plenum perfectumque ſyſtema condam, verum duntaxat de principiis atque initiis laborem ad diſciplinam componendam, ſupplementum iſtud in aliud tempus differam. Sed facile poteris conſilium iſtud conſequi, ſi compendia ontologica adhibueris, et verbi gratia categoriae cauſalitatis ſubieceris praedicabilia virium, actionis, paſſionis; categoriae commercii, praedicabilia praeſentiae, et reniſus; praedicamentis modalitatis, praedicabilia ortus, interitus, mutationis, et quae ſunt de genere eodem. Categoriae cum modis facultatis ſenſitiuae

purae, aut etiam inuicem iunctae permagnam vim largiuntur conceptuum deriuatorum ex anticipatione, quorum notandorum, et, quam fieri poſſit, pleniſſime conſignandorum, vtilis quidem neque iniucundus, hic tamen ſuperuacaneus labor foret.

Atque earum categoriarum definitionibus hac in tractatione de induſtria ſuperſedebo. Hos conceptus in ſequentibus ad eum vsque gradum συνθετικῶς excutiam, qui ratione methodologiae, quam elaboro, ſufficiens erit. In ſyſtemate rationis purae iure a me illae poſci poſſent: ſed hoc in loco caput quaeſtionis ex oculis amoverent, ſiquidem dubia iis atque impetus mouerentur, quae facile poſſimus, ſine iactura propoſiti, ad aliud negotium ablegare. Interim tamen ex his paucis, quae ea de re attulimus, perſpicue elucet, plenum perfectumque vocabularium cum omni explicatione ad eam rem neceſſaria non eſſe ſolum poſſe, ſed facili negotio etiam confici. Iam ſemel adſunt loci; ſupereſt, vt repleantur, et topica ad diſciplinae formam compoſita, qualis haec praeſens eſt, facile locum indicabit, quo quisque proprie conceptus pertineat, ſimulque eos demonſtrabit, qui adhuc vacui videntur.

§. 11.

Super hac tabula categoriarum curioſae poſſunt meditationes inſtitui, quae fortaſſe grauiſſimas confecutiones ratione formae doctae omnium rationis notitiarum poſſint adferre. Namque hanc tabulam parti philoſophiae theoreticae egregie conducere, adeoque neceſſariam eſſe ad formam totius corporis ſcientiae, quatenus ea in conceptibus poſita ex anticipatione eſt, plene abſoluteque delineandam, eamque ad mathematicorum rationem ex determinatis definitisque principiis partiendam; id ſponte iam ex eo elucet, quod, quam modo diximus, tabula illa vniuerſi conceptus elementares intelligentiae pleni perfectique, atque adeo ipſa ſyſtematis illorum forma in mente humana continentur, proinde ad omnia momenta propoſitae ſcientiae ex anticipatione

contemplantis (ſpeculatiuae), atque adeo illius ordinem praecepta ea miniſtrat, quemadmodum eius rei alio loco *) periculum fecimus. Quorum quidem ſcholiorum hic quaedam adferam.

1) Primo itaque notandum eſt, hanc tabulam, quae quatuor claſſes conceptuum complectitur intelligentiae, primo in duas diſpeſci partes poſſe, quarum vna ad res viſioni (tam purae, quam empiricae) ſubiectas ſpectat, altera ad exſiſtentiam harum rerum oblatarum (in adfectione ſiue ad ſe ipſas, ſiue ad intelligentiam).

Ac prioris claſſis quidem conceptus *mathematicos* dixerim, poſterioris *categorias dynamicas*. Priorem claſſem vides correlatis carere; quae in poſteriori reperiuntur. Cuius quidem diſcriminis cauſa in natura intelligentiae lateat, neceſſe eſt.

2) Porro ſub contemplationem cadit, in quaque claſſe parem categoriarum numerum eſſe, nempe ternarium, cum tamen alias omnes diuiſiones ex anticipatione per conceptus dichotomia debeant abſolui. Huc addas, tertiam categoriam vbique naſci ex copulatione ſecundae cum prima ſuae cuiusque claſſis.

Veluti *vniuerſitas* (totalitas) nihil aliud eſt, quam multitudo tamquam vnum conſiderata, limitatio nihil aliud quidquam, niſi veritas (realitas) coniuncta cum negatione, commercium autem *cauſalitas* ſubſtantiae in determinatione reliquarum reciproca, ac neceſſitas denique nihil aliud, quam exſiſtentia per ipſam poſſibilitatem data. Sed caue, putes, tertiam categoriam propterea mere deriuatum conceptum eſſe, non primum intelligentiae purae. Nam vt copulatione primi et ſecundi tertius conceptus efficiatur, ſingularis intelligentiae actus requiritur, qui non ſit idem cum eo, qui in primo et ſecundo exſeritur. Sic conceptus numeri (qui ad categoriam vniuerſitatis pertinet) non eſſe ſemper poteſt, vbi conceptus multitudinis ſunt, et vnius (velut in repraeſentatione infiniti), vel inde, quod conceptum cau-

*) In initiis metaphyſicis ſcientiae naturalis.

ſae cum conceptu *ſubſtantiae* copulauerim, ideo non ſtatim intelligitur eorum contagio, id eſt, modus, quo ſubſtantia quaedam fieri cauſa poſſit cuiuſpiam in altera ſubſtantia. Hinc planum eſt, ſingularem quemdam mentis actum ad illud requiri. Quod idem locum in reliquis habet.

3) Vnius ſolius categoriae *commercii*, tertio loco complexae, conuenientia cum forma iudicii ex disiunctis in tabula functionum logicarum ipſi conſentanea non tam aperta eſt, quam in reliquis.

De qua conuenientia vt nobis conſtet, notandum erit: in omnibus iudiciis ex disiunctis ſphaeram (vim eorum omnium, quae illo continentur) tamquam totum aliquod (conceptus, quos vocant, ſubordinati) in partes diuiſum repraeſentari, et quorum vnus quoniam non poteſt altero contineri, inuicem tamquam ſibi coordinatos, non ſubordinatos, cogitari, ita vt ſe inuicem non ſimpliciter, vti in ſerie, ſed reciproce, tamquam in congregatione quadam, determinent, ideoque poſito vno diuiſionis articulo, caeteri omnes ſecludantur, et rurſus retro.

Atqui ſimilis copulatio in toto rerum quodam cogitatur, quarum non vna, tamquam effectum, alteri, vt cauſae, vnde illa profecta ſit, ſubiungitur, ſed ſimul et ad viciſſitudinem velut cauſa reſpectu determinationis alterius rei connectitur (exempli cauſa, in corpore, cuius partes ſe inuicem trahunt, et etiam ipſis reciproce reſiſtunt), quae quidem prorſus aliud copulationis genus eſt, atque illud, quod in ſola adfectione cauſae ad effectum (rationiſue ad conſequens) deprehenditur, quippe in quo conſequens non rurſus rationem determinet reciproce, ideoque cum hac (vti creator vniuerſi cum vniuerſo) non totum aliquod conſtituit. Atque hanc eamdem rationem in repraeſentanda ſibi ſphaera conceptus diuiſi ſeruat etiam intelligentia, ſi rem cogitat diuiduam, et, vti articuli diuiſionis in priori inuicem ſeſe excludunt, et tamen in vna ſphaera coniuncti ſunt, ita poſterioris partes cogitat tamquam eas, quarum exſiſtentia (tam-

quam ſubſtantiarum) cuique etiam ſoli a caeteris ſeclu-ſae competat, ſed tamen in toto copulatorum.

§. 12.

Verum aliud praeterea in philoſophia transſcendentali veterum caput ineſt, conceptus puros complectens intelligentiae, qui, quamquam categoriis haud adnumerantur, tamen poſt illas, tamquam conceptus antecapti de obiectis rebus locum habere deberent, quo quidem caſu numerum categoriarum augerent, quod fieri non poteſt. Qui quidem illa inter ſcholaſticos tantopere celebrata ſententia continentur: quodlibet ens eſt *vnum, verum, bonum*. Cuius decreti quidem vſus in conſequentibus (quae omnia idem iisdem enunciabant) quamquam admodum tenuis erat, ita, vt illud quoque recentiori tempore fere tantum honoris cauſa proponeretur, tamen, quae tam diu obtinuit, ratio, quamuis vana illa quidem atque inanis videatur, vnde primordia ceperit, operae pretium erit inquirere, eiusque cauſam in intelligentiae regula, qualis ea cumque ſit, latere iure poteris ſuſpicari, quae, vt fieri ſolet, paſſa tantam calumniam videatur. Haec putatitia praedicata rerum transſcendentalia nihil ſunt aliud, quam requiſita logicae notaeque cuiusque cognitionis rerum in genere, cui fundamento ponunt categorias quantitatis, ſcilicet *vnius, multitudinis* et *vniuerſitatis*, ita tamen, vt categorias iſtas, quae proprie materialiter accipi deberent, tamquam ad ipſam rerum poſſibilitatem pertinentes, reapſe in formali tantum ſignificatione tamquam ad requiſita logica cuiusque cognitionis ſpectantes adhiberent, nihilominus tamen has cogitationis notas incaute faciebant proprietates rerum per ſe ſpectatarum. Nempe in quauis cognitione rei cuiusdam oblatae vnitas conceptus ineſt, quod dici *vnum qualitatiuum* poterit, quatenus ea ſola vnitas complexus variarum cognitionum cogitatur, vti fere vnitas thematis in fabula ſcenica, oratione, narratione. Deinde *veritas* ratione conſecutionum. Quo plures conſecutiones verae e conceptu quodam dato emergunt, eo plures notae veritatis (realitatis) eius ob-

iectiuae. Quod quidem dici poſſet *multitudo notarum qualitatiua*, quae ad conceptum, tamquam commune fundamentum aliquod pertinent (non, vt quantitas, in ea cogitantur). Tertio denique *perfectio*, quae cernitur in eo, vt vice verſa multitudo illa cuncta ad vnitatem conceptus reuocet et cum hac ſola prorſus concinat, id quod *vniuerſitatem* (totalitatem) *qualitatiuam* dicere poſſumus. Vnde patet, haſce notas logicas poſſibilitatis cognitionis in genere tres illas quantitatis categorias, in quibus vnum in quanto efficiendo ſemper ſimile accipiendum eſt, hoc loco duntaxat ratione copulationis diſſimilium quoque cognitionis partium in vna cognitione indiuidua per qualitatem alicuius notitiae tamquam principii transmutare. Sic nota poſſibilitatis conceptus cuiusdam (non rei huic ſubiectae) definitio eſt, in qua vnitas conceptus, tum veritas eorum omnium, quae proxime ex illo deriuari poſſint, denique *vniuerſitas* eorum, quae inde ducta ſunt, ad totum conceptum efficiendum, neceſſaria complectitur; pariterue nota hypotheſeos cernitur in perſpicuitate ſumtae *rationis explicandi*, eiusue *vnitas* (ſine hypotheſi ſubſidiaria) in *veritate* (conuenientia tum inter ſe, tum cum experientia), conſequentium inde ducendorum, tandem vero in *vniuerſitate* rationis explicandi eorum, quae ea ſola attinent, quae poſita in hypotheſi et ſumta ſunt, idque, quod ex anticipatione συνθετικῶς cogitatum fuit, ex adſumto ἀναλυτικῶς reddunt, cum iisque conſentiunt. Igitur conceptibus vnitatis, veritatis, perfectionisque tabula transſcendentalis categoriarum, quaſi manca et imperfecta ſit, minime expletur illa quidem, ſed eo, quod adfectio conceptuum illorum ad res obiectas tota negligitur, tractatio illorum logicis regulis generalibus conuenientiae cognitionis cum ſe ipſa ſubiicitur.

ANALYTICES TRANSSCENDENTALIS

CAPUT POSTERIUS.

De deductione conceptuum purorum intelligentiae.

SECTIO PRIMA.

§. 13.

De principiis deductionis tranſcendentalis in genere.

Iureconſulti, cum de iure et vſurpatione dicunt, res in cauſa duas diſcernunt, dum vel, quid iuris ſit, quaeritur, vel quid facti, dumque vtriusque reddi rationem poſtulant, eam, quae, quo iure poſſis petere, vincit atque explanat, *deductionem* appellant. Ac nos quidem, nemine refragante, copia vtimur conceptuum empiricorum, nobisque etiam ſine deductione putamus licere, vt ſenſum iis virtutemque putatitiam tribuamus, quoniam ſemper in promtu experientiam habemus, qua poſſit earum veritas (realitas) obiectiua probari. Sed ſunt et alii conceptus vſurpati, velut conceptus fortunae fatique, qui ex communi fere omnium conniuentia circumferuntur, qui tamen nonnumquam quaeſtione illa: quid iuris, petantur, quorum tum de deductione in ſummum discrimen adducti videmur, ſiquidem neque ex experientia, neque ex ratione vſus eorum legitimi certum atque euidens poſſit argumentum adferri.

In multis conceptibus, quibus varia illa cognitionis humanae tela efficitur, inſunt nonnulli, qui etiam ad purum vſum ex anticipatione (ab omni experientia prorſus libere) ſunt deſtinati, atque eorum quo eſſe vſus iure poſſit, deductione opus videtur: ſiquidem, quae vſum eorum legitimum euincant, rationes ex experientia hauſtae, haud ſufficiunt, nihilominus tamen noſſe oportebit, quomodo conceptus iſti poſſint ad res obiectas referri, qui tamen ex nulla experientia ab iis promantur. Proinde explanationem modi illius, quo fit, vt conceptus ex anticipatione referri ad res obiectas poſſint, deductionem eorum transſcendentalem dico, eamque di-

ſtinguo a deductione empirica, quae modum indicat, quo conceptus per experientiam accurataque de ea cogitatione (reflexione) acquiſitus ſit, quaeque propterea non iuris illam quidem, ſed facti rationem attingit, vnde iis ſimus potiti.

Iam duplex nobis ratio conceptuum innotuit generis prorſus diuerſi, qui tamen in eo inuicem conueniunt, vt vtrique penitus ex anticipatione ad res obiectas referantur, nempe conceptus ſpatii temporisque tamquam formarum facultatis ſenſitiuae, et categoriae, quae ſunt conceptus intelligentiae. Quorum quidem ſi deductionem empiricam tentes, fruſtra laborabis; ſi quidem, quo natura eorum diſtinguitur, in eo ipſo eſt, vt ad res ſibi oblatas referantur, quamuis nil quidquam habeant ad repraeſentationem illorum ab experientia depromtum. Quodſi ergo eorum deductione opus erit, ſemper eam eſſe transſcendentalem oportebit.

Horum interea conceptuum, vti vniuerſae cognitionis, ſin principium poſſibilitatis, certe tamen cauſae, quae ortus eorum occaſionem attulerunt, poſſunt in experientia quaeri, vbi tum impreſſiones ſenſuum primum in cauſa fuere, vt vniuerſa facultas cognoſcendi iis ſeſe aperiret, experientiamque conſtitueret, duo in ſe diſſimillima elementa complectentem, nempe materiam cognitionis ex ſenſibus, certamque formam, ad eam in certum ordinem redigendam, ex intimo fonte purae et viſionis, et cogitationis, quae illis occaſione datis ac propoſitis, primo ſeſe exſerunt, et conceptus procreant. Talis perueſtigatio primorum illorum niſuum facultatis noſtrae cognoſcendi, quibus ſit, vt a perceptionibus ſingulis ad conceptus tentet vniuerſales adſcendere, permagnam ſine dubio vtilitatem adfert, et ſane celeberrimo Lockio acceptum ferre debemus, quod primus viam nobis ad illam aperuit. Neque vero vmquam ea re deductio conceptuum purorum ex anticipatione efficietur, quippe quae in hac via non deprehenditur, quoniam ratione vſus ſui futuri, ab experientia prorſus liberi longe alio teſtimonio natalium inſtructi eſſe debent, quam

quod ab experientiis ortos oſtendat. Hanc ergo tentatam deductionem phyſiologicam, quae proprie neutiquam dici poteſt deductio, quia quaeſtionem attingit facti, declarationem poſſeſſionis cognitionis purae ac genuinae vocabo. Igitur manifeſtum eſt, illorum eſſe deductionem duntaxat transſcendentalem poſſe, nullo modo empiricam, hancque poſteriorem, ratione conceptuum purorum ex anticipatione, nil niſi vanos conatus eſſe, in quibus is tantum poſſit occupari, qui naturam illarum cognitionum prorſus propriam ac peculiarem non comprehendit.

Quamquam autem vnus ille, quae fieri poſſit, deductionis modus cognitionis purae ex anticipatione conceditur, hoc eſt, ea, quae in via transſcendentali efficitur, tamen inde nondum emergit, vt ea prorſus neceſſaria videatur. Supra conceptus ſpatii temporisque, ope deductionis transſcendentalis, vsque ad illorum fontes perſecuti ſumus, locumque eorum obiectiuum ex anticipatione explanatum determinauimus. At geometria tamen firmo paſſu per ſolas cognitiones praeſumtas incedit, neque tamen illi opus erit, vt philoſophiam adeat de facienda fide genuinae ac legitimae originis conceptus eius principis et conſtitutiui de ſpatio. Sed vſus conceptus in ea arte attingit tantum mundum ſenſibus externis ſubiectum, in quo ſpatium forma pura viſionis eſt, in qua proinde vniuerſa cognitio geometrica, eo quod illa poſita in viſione ex anticipatione eſt, ſimplicem abſolutamque euidentiam habet, resque obiectae per cognitionem ipſam, ex anticipatione (ſecundum formam) in viſione, dantur et proponuntur. Contra ea vero cum conceptibus puris intelligentiae ſimplex illa abſolutaque emergit neceſſitas, vt non ſolum earum ipſarum, ſed etiam ſpatii, vt deductionem transſcendentalem quaeramus, quoniam, cum ea de rebus obiectis non per attributa loquatur viſionis ſenſusque, ſed cogitationis purae ex anticipatione, ad res obiectas ſine omni lege ſenſus in genere referuntur, quaeque, cum non ſint in experientia fundatae, etiam in viſione ex anticipatione rem poſſunt obiectam oſtendere, qua ante omnem expe-

rientiam ſynthesin, tamquam in fundamento quodam ponerent, et proinde non tantum de loco obiectiuo, terminisque vſus illarum ſuſpicionem mouent, verum etiam illum ſpatii conceptum reddunt ambiguum, eo, quod proni ſunt ad vtendum eo vltra leges viſionis ſenſus, quamobrem etiam ſupra deductione illius transſcendentali opus erat. Itaque de ſumma illa neceſſitate eiusmodi deductionis transſcendentalis lectori conſtet, neceſſe eſt, antequam vel vnum pedem in campo rationis purae poſuerit, niſi caeco velit impetu ferri, et poſt longos variosque errores ad ignorantiam reuerti, vnde fuerat egreſſus. Pariterque etiam ineuitabilem illam difficultatem ante perſpiciat, ne de obſcuritatibus queratur, vbi res ipſa abſtruſa ac profunde inuoluta tenebris eſt, neue in tollendis impedimentis iuſto citius fatigetur; ſi quidem id agitur, vt vel omnem ſpem cognitionis rationis purae, tamquam amoeniſſimi campi, vltra omnes, cuius quidem eſſe copia poſſit, experientiae terminos ſiti, prorſus deponat, vel quaeſtionem illam criticam perficiat.

Supra in conceptibus ſpatii et temporis facili negotio oſtendimus, quomodo illi tamquam notitiae praeſumtae ad res obiectas neceſſario referrentur, cognitionemque earum ſyntheticam, ab omni experientia vacuam efficerent. Quum enim talium formarum purarum ſenſus interuentu res oblata nobis videri, id eſt, res eſſe ſubiecta poſſit viſioni empiricae, ſequitur, vt ſpatium tempusque viſiones purae videantur, quibus leges contineantur, quibus eſſe poſſint res obiectae tamquam viſa ex anticipatione, ſyntheſisque in iis locum obiectiuum habeat.

Categoriae intelligentiae vero nobis non leges proponunt, quibus res obiectae in viſione offerantur, proinde ſane poterunt obiectae res nobis videri, quae tamen non neceſſario ad functiones intelligentiae referantur, ideoque haec leges earum ex anticipatione complectatur. Inde hic quaedam difficultas emergit, quam in campo facultatis ſenſitiuae nusquam offendimus, ſcili-

cet qui fiat, vt leges cogitandi *ſingulares* (ſubiectiuae) locum poſſint obiectiuum inuenire, h. e. quomodo eſſe leges queant, quibus eſſe poſſit quaeque rerum obiectarum cognitio: nam ſine poterunt ſine functionibus intelligentiae viſa in viſione proponi. Veluti ſumas notionem cauſae, quae ſingulare notat genus ſyntheſeos, quum aliquid A quiddam prorſus diuerſum ſequi B ponitur. Ex anticipatione non patet, quamobrem viſis tale aliquid contineatur (neque enim experientiae poſſunt argumento adferri, quoniam neceſſe eſt, euinci poſſe, ex anticipatione, notioni illi locum obiectiuum competere); igitur dubium ex anticipatione eſt, an eiusmodi notio fortaſſe prorſus inanis ſit, ac nuspiam in viſis res obiecta inueniatur. Namque obiectas res viſionis ſenſitiuae legibus in mente ex anticipatione ſitis formalibus ſenſus eſſe conuenientes debere, inde manifeſtum eſt, quod alias nobis non res obiectae forent; eas autem praeterea legibus, intelligentiae ad cogitationem ſynthetice perſpiciendam neceſſariis, congruere neceſſe eſſe, id quomodo conſequatur, non ita facile intellectu eſt. Nam poſſent forte viſa eſſe ita natura ſua comparata, quae mens legibus vnitatis ſuae prorſus non conformes offenderet, omniaque ita confuſa forent, vt verbi cauſa in ſucceſſione ſerierum viſorum nihil quidquam ſeſe offerret, quod regulam ſyntheſeos ſuppeditaret, ac proinde notioni cauſae et effecti conueniret, ita vt illa notio prorſus inanis, nullaque, et omni virtute eſſet deſtituta. Nihilominus viſioni noſtrae res phaenomena offerrent; neque enim functionibus cogitandi vllo modo viſio indiget.

Quodſi a labore harum inueſtigationum liberatum iri te exiſtimes, ſi dicas: experientiam perpetuo eiusmodi ordinis viſorum exempla miniſtrare, quae ſatis anſam praebeant, notionem cauſae inde ſeparandi, eodemque ſimul locum talis notionis obiectiuum confirmandi, tum non animaduertis, notionem cauſae hoc modo penitus non poſſe emergere, ſed eam potius prorſus ex anticipatione in intelligentia eſſe fundatam oportere, aut, tamquam rem commentitiam, prorſus eſſe abiiciendam.

Haec enim notio neceſſario poſtulat, vt aliquod A ſit eius generis, vt aliud B ex eo neceſſario et ad regulam ſimpliciter vniuerſalem conſequatur. Sed viſa quidem cauſas ſuppeditant, e quibus poſſit regula exſiſtere, vt cuius aliquid fieri ſoleat, numquam tamen eam, quae conſecutionem neceſſariam doceat: vnde etiam dignitas adhaeret ſyntheſi cauſſae et effecti, quae non poteſt empirice exprimi. Iam ſimplex illa regulae vniuerſalitas non cadit in regulas empiricas, quarum quidem ex inductione nulla poteſt alia vniuerſalitas exſiſtere, quam comparatiua, id eſt, quarum vſus pateat latius. Sed conceptuum purorum intelligentiae vſus longe alius foret, ſi pro effectis empiricis eos accipere velis.

§. 14.

Tranſitio ad deductionem transſcendentalem categoriarum.

Duobus modis fieri poteſt, vt repraeſentatio ſynthetica resque illi ſubiectae conuenire queant, et inuicem ad ſe referri, quaſique ſibi obuiae eſſe. Nempe ſi re obiecta efficiatur, vt repraeſentatio, vel hac, vt eſſe res oblata ſola poſſit. In ſuperiori cauſa, haec relatio duntaxat empirica eſt, neque eſſe vmquam ex anticipatione repraeſentatio poterit. Id quod locum habebit in viſis, ratione eorum, quae ad ſenſum in iis pertinere videntur. Ad poſteriorem rationem autem, quum repraeſentatio per ſe (namque de vi efficiendi (cauſalitate) illius ope voluntatis nobis hic non ſermo eſt) rem ſibi ſubiectam, quoad eius exſiſtentiam, nondum producat, repraeſentatio ratione obiectae rei tum ex anticipatione determinans erit, ſi ea ſola fieri poſſit, vt aliqua res oblata cognoſcatur. Sed ſola conditione duplici fit, vt res oblata poſſit cognoſci, nempe et viſione, qua datur ea atque offertur, ſed modo qua viſum; et conceptu, quo res obiecta cogitatur viſioni iſti congrua atque idonea. Eſt autem manifeſtum ex ſuperioribus, illam conditionem priorem, quippe qua ſola poſſunt obiectae res videri et conſpici, reapſe oblatis rebus ſecundum formam ex anticipatione in animo fundamento eſſe. Cum hac

igitur conditione ſenſus formali omnia phaenomena neceſſario conueniunt, quippe qua ſola videri illa, id eſt, empirice conſpici poſſunt atque offerri. Iam quaeri poteſt, anne etiam conceptus ex anticipatione praecedant, qua leges, quibus ſolis fiat, vt, licet non conſpici ac videri, tamen tamquam res obiecta in genere poſſit cogitari; tum enim omnis cognitio rerum obiectarum empirica eiusmodi conceptibus neceſſario conueniens eſt, quoniam, iis non poſitis, nil quidquam eſſe poterit, tamquam aliquid, quod experientiae ſubiectum atque obuium videatur. Atqui, praeter viſionem ſenſitiuam, qua aliquid datur atque offertur, in omni experientia ineſt etiam conceptus cuiusdam rei in viſione oblatae viſaeue: proinde conceptus rerum vniuerſe, tamquam conditiones ex anticipatione vniuerſae cognitioni experientia famula hauriendae fundamento erunt. Itaque vt categoriae, tamquam conceptus ex anticipatione, locum habeant vſumque obiectiuum, eo efficietur, vt iis ſolis eſſe experientia queat (quoad formam cogitandi). Tum enim neceſſario atque ex anticipatione ad res experientiae obuias obiectasque referuntur, quippe quibus ſolis fit, vt omnis omnino res experientiae oblata et propoſita poſſit cogitari.

Igitur deductio transſcendentalis omnium conceptuum ex anticipatione principium habet, quo tota inveſtigatio dirigenda eſt, hoc nimirum: vt illi, tamquam leges praeſumtae poſſibilitatis cuiusque experientiae, accipiantur (ſiue viſionis, quae in illa deprehenditur, ſiue cogitationis). Conceptus autem, qui rationem poſſibilitatis experientiae obiectiuam efficiunt, eadem de cauſa neceſſarii ſunt. Sed enodatio experientiae, cui illi inſunt, non eorum deductio (ſed illuſtratio) eſt, quoniam in ea tantum fortuiti forent. Sine hac prima atque originaria adfectione ad experientiam poſſibilem, in qua res cunctae cognitioni ſubiectae inueniuntur, prorſus non poſſet comprehendi, quomodo ad vllam vſpiam rem obiectam illi poſſint referri.

Celeberrimus LOCKIUS, hac contemplandi ratione neglecta, conceptus intelligentiae puros, quos in expe-

rientia deprehendit, etiam ab experientia deriuauit, in eo parum ſibi conſtans fuit, quod cognitiones illis tentaret, omnes experientiae fines ac terminos longe excedentes. Quod vt effici poſſit, DAVIDES HUMIUS quidem intellexit, neceſſe eſſe, vt hi conceptus nati ex anticipatione viderentur. Qui vero, quum ſibi non poſſet explanare, qui eſſe poſſit, vt mens conceptus, per ſe in intelligentia non copulatos, tamen in re obiecta neceſſario copulatos debeat cogitare, neque illi occurreret, eſſe poſſe forſitan, vt ipſa intelligentia ope horum conceptuum auctor ſit experientiae, in qua res obiectae ſuae inueniantur, duxit eos, neceſſitate coactus, ab experientia (nempe a neceſſitate quadam ſingulari et ſubiectiua ex crebriori orta adſociatione in experientia, quae tandem falſo pro obiectiua haberetur, id eſt, a conſuetudine), ſed in eo tamen poſtea optime ſibi conſtitit, et omni ex parte ſecum conſenſit, quod eſſe non poſſe diceret, vt cum hiſce conceptibus, decretisque inde enatis, vltra fines et terminos experientiae migremus. Sed deductio illa empirica, ad quam vterque delapſus eſt, non poteſt coniungi et conciliari cum veritate ſcientiarum ex anticipatione, quibus pollemus, quippe matheſeos purae et ſcientiae naturalis vniuerſalis, ideoque re ipſa reuellitur.

Ac LOCKIUS quidem fanaticorum inſaniae omnes feneſtras aperuit, quoniam ratio, ſi ſemel ſenſerit aliquid iuris a ſua parte eſſe, non poteſt indefinita commendatione modeſtiae coërceri: ſed HUMIUS totum ſeſe ad rationem ſcepticorum conuertit, quum arbitraretur, patefactam ab ſe eſſe tam vniuerſalem illuſionem facultatis cognoſcendi noſtrae, pro ratione putatam. Iam in eo ſumus, vt periculum faciamus, num ratio humana incolumis poſſit ſaluaque hoſce ſcopulos praeteruehi, certi illi ac definiti termini conſtitui, et tamen totus campus actionis illius ſinibus congruentis apertus vacuusque ſeruari.

Ante vero, quam id agamus, *explicationem categoriarum* praemittamus. Sunt illae quidem conceptus obie-

ctae rei cuiusdam in genere, quibus viſio iſtius ratione vnius functionum logicarum iudicandi tamquam determinata definitaque conſideratur. Sic functionem iudicii categorici vidimus actionem eſſe, quae adfectionem attingit ſubiecti ad praedicatum, velut omnia corpora ſunt diuidua. Sed reſpectu ſolius vſus logici intelligentiae itidem vidimus, manere indefinitum, vter conceptus in functione ſubiecti cernatur, vtriue functionem impertire attributi velis. Nam dici quoque poteſt: Quoddam, quod diuidi poteſt, corpus eſt. Sed categoria ſubſtantiae, ſi conceptum corporis ei ſubieceris, determinatur: viſionem eius empiricam in experientia ſemper duntaxat qua ſubiectum, numquam qua merum praedicatum, eſſe contemplandam; et ſic porro in caeteris categoriis.

Deductionis conceptuum purorum intelligentiae

SECTIO SECUNDA.

Deductio tranſcendentalis conceptuum purorum intelligentiae.

§. 15.

De poſſibilitate coniunctionis in genere.

Varietas repraeſentationum in viſione dari poteſt ac proponi mere ſenſitiua, id eſt, quae in ſola receptiuitate verſatur, et forma huius viſionis ex anticipatione poteſt in noſtra facultate repraeſentandi ineſſe, ita vt nil ea quidquam aliud ſit, niſi modus, quo ſubiectum adficiatur. Sed coniunctio varietatis in genere numquam poteſt per ſenſus in nos venire, nec proinde quoque in forma viſionis ſenſitiuae pura ſimul contineri: nam ea actus eſt virtutis ſpontaneae in facultate repraeſentandi, quaeque cum, vt a ſenſu diſtinguatur, intelligentia dicenda ſit, omnis coniunctio, cuius nobis vel conſcii ſimus, vel non, ſiue in coniunctione cernatur varietatis in viſione, conceptuumue variorum, in illaque viſionis empiricae ſiue non empiricae ſit, in actione verſatur intel-

ligentiae, quam communi nomine ſyntheſeos dixerimus, vt eo ſimul notemus, nos non poſſe nobis quidquam repraeſentare tamquam in obiecta re coniunctum, niſi antea illud ipſi coniunxerimus, in omnibusque repraeſentationibus coniunctionem eſſe vnam, quae non obiectis rebus offerri, ſed a ſubiecto ipſo effici poſſit, quoniam ea actus eſt illius ſpontaneitatis. Hic facile animaduertes, actionem illam originarie vnam eſſe, omnique coniunctioni aequipollere oportere, atque analyſi, quae illi eſſe contraria videtur, ſemper eam poni: vbi enim intelligentia nihil coniunxit, ibi illa etiam nil ſoluere poterit et enodare, quoniam per ſolam eam qua coniunctum facultati repraeſentandi potuit offerri.

Sed conceptu coniunctionis, praeter conceptum varietatis eiusque ſyntheſeos, conceptus vnitatis illius continetur. Coniunctio cernitur in repraeſentatione vnitatis ſyntheticae variorum. *) Repraeſentatio huius vnitatis ergo non poteſt ex coniunctione oriri, potiusque illa fit, vt demum eſſe poſſit coniunctionis conceptus, eo quod ad repraeſentationem variorum accedit. Haec vnitas, quae ex anticipatione ante omnes coniunctionis conceptus praecedit, non verſatur in categoria illa vnitatis (§. 10.); namque categoriarum omnium fundamentum eſt in functionibus logicis in iudiciis, ſed in his ineſt iam coniunctio, proinde vnitas conceptuum datorum cogitata. Igitur categoria ante iam ponit coniunctionem. Ergo haec vnitas (qua qualitatiua §. 12.), inde altius quaerenda erit, nempe in eo, quo ipſum fundamentum vnitatis diuerſorum conceptuum in iudiciis, ideoque poſſibilitas intelligentiae, vel in vſu eius logico, continetur.

*) An repraeſentationes ipſae ex ſe connexae (identicae) ſint, ideoque vna per alteram poſſit ἀναλυτικῶς cogitari, id hoc loco nil attinet quaerere. *Conſcientia* vnius, quatenus de vario ſermo eſt, a conſcientia alterius debet internoſci, atque ſyntheſis ſola huius (poſſibilis) conſcientiae hoc loco ſpectatur.

§. 16.

De originaria apperceptionis vnitate ſynthetica.

Illud *ego cogito* neceſſe eſt, vt omnes poſſit repraeſentationes meas comitari; alias enim in me aliquid repraeſentaretur, quod prorſus non poſſet cogitari, quod idem eſt, ac repraeſentatio vel omnino nulla fieri poſſet, vel certe mihi, nulla foret. Sed ea repraeſentatio, quae eſſe data poteſt ante omnem motum animi, *viſio* vocatur. Igitur omni viſionis varietati neceſſaria adfectio eſt ad illud *ego cogito* in eodem ſubiecto, in quo varietas illa inuenitur. Haec repraeſentatio autem in actu cernitur ſpontaneitatis, id eſt, non poteſt ea qua ad ſenſum pertinens conſiderari. Quam quidem *apperceptionem puram* appellabo, vt ab empirica diſtinguam, vel etiam *apperceptionem originariam*, quoniam in ea conſcientia ſui verſatur, quae, dum repraeſentationem *ego cogito* gignit, quae caeteras omnes vt comitari poſſit neceſſe eſt, nullam aliam ſui comitem habere poteſt. Eiusdem etiam vnitatem liceat *vnitatem conſcientiae ſui ipſius transſcendentalem* vocare, ad poſſibilitatem cognitionis praeſumtae ex illa notandam. Namque variae repraeſentationes, in certa viſione datae, cunctae non meae forent repraeſentationes, niſi omnes ac ſingulae ad eamdem mei conſcientiam pertinerent, id eſt, tamquam repraeſentationes meae (quarum, qua talium, licet mihi haud conſcius ſim) vt aptae conditioni ſint et conſentaneae, neceſſe eſt, qua eſſe ſola poteſt, vt cuncta ſimul ſint in conſcientia mei vniuerſali, quoniam alias non meae forent. Ex hac coniunctione originaria multa ſunt, quae cogi poſſunt.

Scilicet haec perpetua identitas apperceptionis varietatis cuiusdam in viſione datae ſyntheſin continet repraeſentationum, ſolaque eſſe per conſcientiam poteſt huius ſyntheſeos. Nam conſcientia empirica, diuerſas repraeſentationes comitans, per ſe ſparſa eſt et diſſipata quaſi, caretque adfectione ad identitatem ſubiecti. Igitur haec adfectio nondum efficitur eo, vt quamque repraeſentationem cum conſcientia equidem comiter, ſed

vt alteri alteram *addam*, mihique earum ſyntheſeos conſcius ſim. Itaque duntaxat eo, vt varietatem repraeſentationum datarum in vna et indiuidua conſcientia coniungere queam, fieri poteſt, vt identitatem conſcientiae in his repraeſentationibus ipſam cogitem, id eſt, vnitas apperceptionis analytica non niſi poſita quapiam ſynthetica eſſe poteſt. *) Igitur quum cogito, eas repraeſentationes in viſione datas meas eſſe, ad meque pertinere, idem facio, ac ſi eas in vna conſcientia indiuidua coniungam, certe in ea coniungere poſſim; quae quidem cogitatio quamquam ipſa nondum conſcientia ſyntheſeos repraeſentationum eſt, tamen huius illa poſſibilitatem ponit priorem, id eſt, eo duntaxat, quod varietatem illius vna poſſum conſcientia comprehendere, eas dico ſingulas repraeſentationes meas; alias enim mihimet eſſem *ipſe ego* tot varietatum, totque colorum, quot repraeſentationes ſint, quarum mihimet conſcius ſum. Igitur vnitas ſynthetica varietatis viſionum, qua ex anticipatione data cauſſa et fundamentum eſt ipſius identitatis apperceptionis, omni definita cogitatione mea ex anticipatione prioris. Coniunctio autem non in rebus obiectis ineſt, neque ab iis forte perceptione poteſt deprimi et mutuari, et in intelligentiam eo demum recipi, ſed ſolum in actione verſatur intelligentiae, quae ipſa

*) Vnitas conſcientiae analytica omnibus conceptibus communibus, vt talibus, adhaeret: velut ſi *ruborem* generatim cogito, eo mihi qualitatem animo informo, quae (vt nota) in vlla re aliqua deprehendi poſſit, aliiſque repraeſentationibus eſſe coniuncta; proinde tantum ope prius cogitatae, quae eſſe queat, vnitatis cuiusdam ſyntheticae animo poſſum concipere analyticam. Repraeſentatio, quae cogitari debet tamquam *diuerſis* communis, ſpectatur tamquam ea, quae ad illas pertineat, quae praeter eam aliquid habeant *diuerſi*, proinde illa in vnitate ſynthetica cum aliis (quamquam duntaxat poſſibilibus) repraeſentationibus ante, neceſſe eſt, cogitetur, quam vnitatem conſcientiae analyticam, quae eum conceptum communem efficit, in ea poſſim cogitare. Ita vnitas apperceptionis ſynthetica ſummus ille apex eſt, cui omnis vſus intelligentiae, et vel ipſa tota logica, poſt illamque philoſophia transſcendentalis debet adfigi, quia ea facultas ipſa intelligentia eſt.

nihil aliud eſt, niſi facultas coniungendi ex anticipatione, varietatisque repraeſentationum datarum vnitati apperceptionis ſubiiciendae, quod quidem decretum ſummum eſt vniuerſae cognitionis humanae.

Hoc decretum vnitatis neceſſariae apperceptionis illud ipſum quidem identicum eſt, proinde analyticum pronunciatum, ſed ſyntheſin variorum in viſione datorum illud declarat neceſſariam, ſine qua perpetua illa identitas conſcientiae ſui ipſius non poteſt cogitari. Namque per *τὸ ego*, qua repraeſentationem ſimplicem, nulla data eſt varietas; in ſola viſione, ab illo diuerſa, dari illa poterit et *coniunctione* in vna conſcientia cogitari. Intelligentia, in qua per conſcientiam ſui ſimul omnis offerretur varietas, videret et intueretur; ſed noſtra illa tantum cogitare poteſt, illique in ſenſibus viſio quaerenda eſt. Mihimet ergo conſcius ſum ipſius mei identici, ratione varietatis repraeſentationum in viſione mihi datarum, propterea quod eas ſingulas meas repraeſentationes voco, quae vnam conſtituunt. Sed hoc idem eſt, atque, mihimet ego conſcius ſum ſyntheſeos illarum neceſſariae ex anticipatione, quae vnitas dicitur ſynthetica apperceptionis originaria, ſub qua ſunt omnes mihi datae repraeſentationes, cui vero etiam ſunt ope ſyntheſeos ſubiiciendae.

§. 17.

Decretum vnitatis ſyntheticae apperceptionis ſummum principium eſt vniuerſi vſus intelligentiae.

Decretum ſummum poſſibilitatis omnium viſionum in adfectione ad ſenſum teſte aeſthetice transſcendentali eſſe hoc vidimus: omnem viſionis varietatem ſubiectam eſſe legibus formalibus ſpatii ac temporis. Decretum ſummum eiusdem poſſibilitatis in adfectione ad intelligentiam hoc eſt: omnem varietatem viſionis legibus ſubeſſe vnitatis ſyntheticae apperceptionis originariae. *)

*) Spatium et tempus omnesque eorum partes in *viſionibus* verſantur, ideoque in repraeſentationibus ſingulis cum varieta-

Illo ſubditae tenentur omnes repraeſentationes variae viſionis, quatenus illae nobis offeruntur, ſed hoc, quatenus in vna coniungi poſſe conſcientia debent, ſine qua iis nil quidquam cogitari poteſt, neque cognoſci, quoniam repraeſentationes datae actionem apperceptionis, *ego* cogito, non habent communem, eoque non eſſent in vna et indiuidua conſcientia coniunctae.

Intelligentia, vt generatim dicamus, cernitur in facultate cognitionum. Hae vero verſantur in adfectione determinata repraeſentationum datarum ad rem quamdam oblatam. Sed res oblata dicitur id, cuius conceptu varietates viſionis datae tenentur coniunctae. Atqui omnis coniunctio repraeſentationum vnitatem conſcientiae in ſyntheſi illarum deſiderat. Ergo vnitas conſcientiae eſt id, quo ſolo adfectio repraeſentationum ad rem aliquam obiectam, proinde valorem earum obiectivum, ideoque, vt cognitiones fiant, efficitur, et in quo proinde ipſa intelligentiae poſſibilitas vertitur.

Itaque prima illa intelligentiae pura cognitio, in qua omnis eius vſus reliquus, quaſi in ſuo quodam fundamento, poſitus eſt, quaeque ſimul ab omni lege viſionis ſenſitiuae prorſus libera eſt, in decreto verſatur vnitatis ſyntheticae apperceptionis originariae. Sic ſola forma viſionis ſenſitiuae externae, ſpatium, eſt, nondum vlla cognitio; ſed offert illud tantum varietatem viſionis ex anticipatione, vnde queat cognitio exſiſtere. Sed vt vſpiam quidpiam poſſit in ſpatio, veluti linea cognoſci, ducenda ea erit, et ſic definita coniunctio varietatis datae συνθετικῶς perficienda, ita, vt vnitas actionis huius ſimul etiam vnitas conſcientiae (in conceptu lineae).

te illa iis complexa (videatur aeſthetice tranſcendentalis,) proinde non in meris conceptibus, quibus eadem conſcientia, tamquam in multis repraeſentationibus, ſed multae repraeſentationes tamquam in vna eiusque conſcientia complexae, proinde vnitas conſcientiae, vt *ſynthetica*, ſed originarie tamen deprehenditur. Haec *ſingularitas* eius permagni momenti eſt in ratione illa ad vſum transferenda (videatur §. 25.).

ſit, eaque demum res obiecta (definitum ſpatium) agnoſcatur. Igitur vnitas ſynthetica conſcientiae lex atque conditio eſt cognitionis vniuerſae, non eius, qua ego ipſe duntaxat ad rem obiectam cognoſcendam indigeo, ſed cui ſubeſſe quamque viſionem oportet, quae mihi res fieri obiecta poſſit, ſiquidem alio modo, ſineque illa ſyntheſi varietas illa in vna non poſſet conſcientia coniungi.

Atque hoc enunciatum poſterius, vti diximus, ipſum ſyntheticum eſt, quamquam illud vnitatem ſyntheticam facit conditionem vniuerſae cogitationis; neque enim quidquam eo amplius enunciatur, quam omnes repraeſentationes meas in quapiam viſione data ſub ea conditione ſubeſſe oportere, qua ſola poſſim qua meas repreſentationes ad ipſum me identicum numerare, ideoque tamquam in apperceptione συνθετικῶς coniunctas vniuerſali illa formula *ego* cogito complecti.

Verum hoc decretum tamen non eſt principium cuique omnino, quae eſſe poterit, intelligentiae, ſed ſoli illi, cuius apperceptione pura in repraeſentatione: *ego* ſum, nondum quidquam variorum datum eſt. Sed ea intelligentia, per cuius conſcientiam ſui ſimul daretur viſionis varietas, quae quidem intelligentia foret, cuius repraeſentatione ſimul res huic repraeſentationi ſubiectae exſtarent, non indigeret ſingulari actu ſyntheſeos variorum ad vnitatem conſcientiae, quo quidem intelligentia humana opus habet, quippe quae ſolum cogitat, non videt, nec intuetur. Sed humanae intelligentiae neceſſario decretum illud primum videtur, ita, vt ea alius cuiusdam, quae eſſe poſſit, intelligentiae, quae vel ipſa videat intueaturque, vel etſi aliam viſionem quamdam ſenſitiuam, ſed alius naturae tamen modiue, quam quae ſpatio ac tempore efficitur, inſitam habeat, cogitationem vel minimam animo nequeat informare.

§. 18.

Quid vnitas conſcientiae ſui obiectiua videatur.

Vnitas apperceptionis transſcendentalis ea eſt, qua omnes in viſione datae varietates in conceptu obiectae

rei coniunguntur. Propterea illa dicitur *obiectiua*, debetque ab *vnitate ſubiectiua* conſcientiae probe diſtingui, quippe quae in *determinatione* verſatur ſenſus interni, qua illa varietas viſionis ad talem coniunctionem empirice offertur. Vtrum varietatis mihi tamquam ſimultaneae conſcius eſſe empirice poſſim, an ſucceſſiuae, a temporibus pendet, legibusue empiricis. Ex quo vnitas conſcientiae empirica, per adſociationem repraeſentationum, ipſum phaenomenon attingit, prorſusque fortuita eſt. E contrario forma pura viſionis in tempore, ſolum qua viſio vniuerſe, quae varietatem datam complectitur, ſub vnitate ſubeſt originaria conſcientiae, per ſolam adfectionem neceſſariam variorum viſionis ad vnum illud: *ego* cogito; proinde ex ſyntheſi pura intelligentiae, quae empiricae ex anticipatione fundamento eſt. Illi vnitati ſoli valor obiectiuus competit; ſed vnitas apperceptionis empirica, quae hoc loco non ſub contemplationem cadit, quaeque ab illa ſub datis in ſingulo (concreto) legibus, ducta eſt deriuataque, locum vſumque tantum ſubiectiuum habet. Alter repraeſentationem certi cuiusdam vocabuli cum re aliqua, alter cum re alia; et vnitas conſcientiae, in eo, quod empiricum eſt, ratione eorum, quae data ſunt oblataque, nec neceſſarium eſt, nec valorem habent vniuerſalem.

§. 19.

Forma logica omnium iudiciorum in vnitate cernitur obiectiua apperceptionis conceptuum ea complexorum.

Equidem numquam potui acquieſcere in definitione iudicii generatim a logicis ſolita proponi: faciunt enim illud repraeſentationem relationis inter duos conceptus. Hic non cum iis de vitio rixabor definitionis, aptae illius quidem omnino iudiciis categoricis, non item hypotheticis, iisque, quae ex disiunctis conſtant (quibusque non relatio continetur conceptuum, ſed vel ipſorum iudiciorum); quamquam ex hoc peccato logices conſecutio-

nes enatae ſunt graues atque incommodae: *) ſatis erit monuiſſe, in eo non determinari, qua in re illa relatio cernatur.

Quodſi autem relationem cognitionum datarum in quouis iudicio accuratius examines, eamque, tamquam intelligentiae propriam, a ratione diſtinguas ſecundum leges phantaſiae reproductiuae (quod vſum habet duntaxat ſubiectiuum), inuenies iudicium nil eſſe aliud quidpiam, quam modum, cognitiones datas ad vnitatem apperceptionis obiectiuam reuocandi. Id enim copula *eſt* in illis ſpectat, vt vnitas obiectiua repraeſentationum datarum a ſubiectiua diſcernatur. Namque hoc relationem illius ad apperceptionem originariam vnitatemque eius neceſſariam deſignat, quamuis iudicium ipſum ſit empiricum, ideoque fortuitum, exempli gratia: corpora ſunt grauia. Neque eo tamen hoc dico, has repraeſentationes in viſione empirica *neceſſario* ad ſe inuicem pertinere, ſed ope *vnitatis neceſſariae* apperceptionis in ſynthefi viſionum inuicem ad ſe pertinere, id eſt, ex principiis determinationis obiectiuae repraeſentationum omnium, quatenus inde poſſit cognitio exſiſtere, quae quidem principia vniuerſa ducta ſunt deriuataque ex decreto vnitatis transſcendentalis apperceptionis. Quo quidem ſolo efficitur, vt ex hac relatione iudicium naſcatur, id eſt, relatio, quae obiectiue valet, quaeque a relatione earundem repraeſentationum, in quibus valor mere ſubiectiuus foret, velut ex legibus adſociationis, ſatis dignoſcatur. Secundum has poſteriores duntaxat dicere poſſem: quando corpus geſto, ſentio grauitatis preſſionem; non item autem: corpus eſt graue, quod

*) Longa illa diffuſaque de quatuor figuris ſyllogismorum praeceptio ſola attingit ratiocinia categorica, et, quamquam illa in ſola arte verſatur conſequentiis, quas vocant, immediatis ſub praemiſſas occultandis ratiocinii puri ſpeciem plurium generum concluſionum, quam quae prima figura continentur, ſurripiendi, tamen hoc ſolo parum ea foret profectura, niſi id adſecuta fuiſſet, vt ſolis iudiciis categoricis, ad quae caetera omnia debent referri, auctoritatem conciliaret; id quod ſecundum §. 9. falſum eſt.

idem ſignificat, atque, hae duae repraeſentationes ſunt in re obiecta, hoc eſt, ſine diſcrimine conditionis ſubiecti, coniunctae, non in ſola perceptione (quoties illa cumque fuerit repetita) copulatae.

§. 20.

Omnes viſiones ſenſitiuae categoriis ſubſunt, tamquam legibus, quibus ſolis illarum varietas in vna poteſt conſcientia colligi.

Varietas in viſione ſenſitiua data neceſſario ſubeſt vnitati ſyntheticae originariae apperceptionis, ſi quidem hoc ſolo vnitas eſſe viſionis poteſt (§. 17.). Illa vero intelligentiae actio, qua varietas repraeſentationum datarum (ſiue viſiones ſint illae quidem, ſiue conceptus) apperceptioni generatim ſubiicitur, functio logica eſt iudiciorum (§. 19.). Ergo omnis varietas, quatenus in vna viſione data eſt empirica, ratione vnius cuiusdam functionum iudicandi logicarum determinata eſt, quippe qua omnino ad conſcientiam perducitur. Atqui vniverſae categoriae nihil quidquam aliud ſunt, niſi eaedem hae functiones iudicandi, quatenus varietas viſionis datae ratione illarum determinata eſt (§. 13.). Igitur etiam varietas illa in viſione data neceſſario ſubeſt categoriis.

§. 21.

Scholion.

Varietas in viſione, quam meam dico, complexa, per ſyntheſin intelligentiae repraeſentatur tamquam ea, quae ad vnitatem conſcientiae mei ipſius neceſſario pertineat, idque efficitur per categoriam. *) Itaque haec indicat: conſcientiam empiricam varietatis datae viſionis vnius itidem conſcientiae purae ac genuinae ex anticipatione,

*) Argumentum poſitum eſt in *vnitate viſionis* repraeſentata, qua res obiecta datur atque proponitur, quae ſemper innolvit ſyntheſin variorum ad viſionem quamdam datorum, iamque relationem huius poſterioris continet ad vnitatem perceptionis.

ac viſio empirica purae cuidam ſenſitiuae, ſubeſſe, quae pariter locum ex anticipatione habet. Igitur in pronunciato ſuperiori inchoata eſt *deductio* conceptuum purorum ac ſimplicium intelligentiae, in qua, quum categoriae a ſenſu liberae in ſola intelligentia naſcantur, abstinendum adhuc mihi a modo erit, quo varietas ad viſionem empiricam detur et offeratur, vt modo ad illam vnitatem ſpectem, quae in viſione interuentu categoriae per intelligentiam accedit. Infra (§. 26.) e modo, quo in ſenſu viſio empirica datur, oſtendemus, vnitatem illius nullam eſſe aliam, quam quae per categoriam ſecundum §. 20. varietati viſionis datae generatim praeſcribitur, et proinde eo, quod vſus illius ex anticipatione ratione omnium rerum ſenſibus noſtris ſubiectarum ex licatur, conſilium finemque deductionis demum plene adſequemur.

Verum ab vna re tamen non poteram in ſuperiori argumento mihi temperare, ab eo nimirum, varietatem viſioni iam ante ſyntheſin intelligentiae, ab eaque libere, eſſe datam oportere; quomodo autem, hic indefinitum manet. Namque ſi intelligentiam cogitatione vellem depingere, quae ipſa videret et intueretur (quemadmodum forte diuinam, quae non res datas atque propoſitas ſibi repraeſentaret, ſed cuius repraeſentatione res ipſae ſimul darentur atque offerrentur), tum categoriarum ratione talis cognitionis nulla vis, nullaque notio foret. Sunt illae ſolae regulae intelligentiae, cuius vis omnis atque facultas in cogitatione verſatur, id eſt, in ea actione, qua ſyntheſis varietatis, aliunde ipſi in viſione datae atque oblatae, ad vnitatem apperceptionis reuocatur, quae proinde per ſe ſola nil quidquam cognoſcit, ſed tantum materiam cognitionis, viſionem, quae per rem obiectam illi proponi debet, coniungit et ordinat. Sed de peculiari propriaque intelligentiae noſtrae natura, qua ſolarum categoriarum ope, ſoloque modo earum et numero vnitatem apperceptionis ex anticipatione efficiendi, aeque minus poterit vlterior ratio adferri, quam, quid cauſae ſit, cur has easdem, neque alias functiones iudiciorum habeamus; vel quare tempus et ſpa-

tium vnae ſint formae noſtrarum, quae eſſe quidem poſſint, viſionum.

§. 22.

Nullus alius categoriae vſus ad cognitionem rerum eſt, quam translatio illius ad res experientiae obuias ſubiectasque.

Ex quo patet, rem obiectam cogitare, et rem obiectam cognoſcere, non eſſe vnum idemque. Duabus quippe partibus cognitio efficitur: vna conceptu, quo res obiecta omnino cogitatur (categoria), altera viſione, qua res ea datur atque offertur. Quodſi enim conceptui non poſſet viſio offerri, quae illi reſpondeat atque conveniat, tum illa quidem ſecundum formam cogitatio foret, quae tamen omni re obiecta careret, eaque proinde nulla rei cuiuspiam eſſe cognitio poſſet; quoniam, quantum equidem ſciam, nihil eſſet, nec eſſe poſſet, ad quod mea poſſit cogitatio adhiberi. Atqui omnis, quae nobis eſſe poterit, viſio, ſenſum ſpectat: igitur cogitatio obiectae rei in genere per conceptum purum intelligentiae ſola poteſt in nobis cognitio fieri, quatenus haec ad res ſenſibus ſubiectas transfertur. Sed viſio ſenſitiua vel pura viſio eſt (ſpatium et tempus), vel empirica eius, quod proxime in ſpatio et tempore vtpote in veritate rerum apparens ſenſatione repraeſentatur. Determinatione ſuperiorum fit, vt cognitiones ex anticipatione rerum oblatarum (in matheſi) accipere poſſimus, ſed quoad ſolam earum formam, tamquam viſa; an eſſe res poſſint, quae in hac forma debeant videri et conſpici, incertum manet. Ergo omnes conceptus mathematici per ſe non erunt cognitiones; praeterquam, quatenus poſueris, res eſſe, quae formae illius viſionis purae ſenſitiuae conuenienter poſſint nobis repraeſentari. Sed res in ſpatio et tempore non dantur, nec offeruntur, niſi quatenus perceptiones(cum ſenſatione coniunctae repraeſentationes) ſunt, proinde ope repraeſentationis empiricae. Proinde conceptus puri intelligentiae, ſi vel ad ipſas viſiones praeſumtas (vti in matheſi fit) adhibeantur, cognitionem duntaxat largiuntur, quatenus hae,

ideoque notiones intelligentiae iis interuenientibus, ad viſiones poſſunt empiricas adhiberi. Ergo categoriae ope viſionis nec vllam rerum cognitionem nobis miniſtrant, niſi quatenus eae poſſint adhiberi ad viſionem empiricam, id eſt, iis modo efficitur, vt eſſe poſſit cognitio empirica. Sed haec vocatur experientia. Itaque nullus alius categoriarum vſus eſt ad rerum cognitionem, niſi quatenus hae ſumuntur tamquam res obiectae, quarum eſſe poſſit experientia.

§. 23.

Atque illud quidem grauiſſimum decretum eſt: quippe quod terminos ac limites pariter definit vſus conceptuum purorum intelligentiae ratione rerum obiectarum, atque aeſthetica transſcendentalis fines atque carceres ſupra deſignabat vſus formae purae noſtrae viſionis ſenſitiuae. Spatium tempusque valent qua leges, quibus nobis poſſint res offerri, non niſi rebus ſenſibus ſubiectis, proinde ſoli experientiae. Vltra hoſce terminos nil quidquam repraeſentant ac depingunt: namque in ſolis inſunt ſenſibus, extra quos neutiquam in veritate rerum apparent. Sed conceptus puri intelligentiae ab hac circumſcriptione liberi ſunt, omninoque res ſpectant viſioni ſubiectas, ſiue ſit illa quidem noſtro videndi modo ſimilis, ſiue diſſimilis, modo ad ſenſum illa, non ad intelligentiam pertineat. Atque haec vlterior conceptuum dilatatio vltra noſtram viſionem, nos nil quidquam iuuabit. Tum enim conceptus erunt vacui atque inanes rebus obiectis, quae vtrum vel ſaltim eſſe poſſint, nec ne, illis nullo modo poſſumus iudicare, ideoque merae formae cogitandi, omni veritate obiectiua deſtitutae; ſi quidem non in promtu viſio eſt, ad quam vnitatem apperceptionis ſyntheticam illam, quam illae ſolae complectuntur, adhiberi, eaeque ita obiectam rem determinare queant. Noſtra ſenſitiua viſio empirica illis ſola vim poteſt poteſtatemque tribuere.

Itaque ſi obiectam rem aliquam viſionis non ſenſum ſpectantis oblatam datamue poſueris, ſane quidem illa poterit per omnia ea praedicata repraeſentari, quae iam

in ſumtione inſunt, illi nil quidquam competere eorum, quae ad viſionem pertinent ſenſibus obnoxiam: ita, vt haud extenſa, ſiue in ſpatio ſit, vt duratio eius haud tempore contineatur, vt illi nulla mutatio (conſecutio determinationum in tempore) inſit, et ſic porro. Verum ea omnia non proprie in cognitione verſantur, cum tantum indico, qualis obiectae rei non viſio ſit, neque tamen dicere poſſim, quid in ea demum contineri videatur: tum enim minime repraeſentaui, qui eſſe res obiecta poſſit conceptui meo intelligentiae conueniens, eo quod non potui, quae illi conueniat, viſionem praebere, ſed tantum dicere, noſtram illi non competere. Sed caput rei in eo cernitur, vt ad tale quidpiam ne vna quidem adhiberi poſſe categoria videatur: velut notio eſſentiae (ſubſtantiae), id eſt, illius, quod qua ſubiectum, numquam qua ſolum praedicatum exſtare poſſit, cui ſane prorſus ignoro, quae reſpondeat, an vsquam res quaepiam queat inueniri, niſi viſio empirica, vbi ea locum habeat, oſtenderet. De quo quidem pluribus infra videbimus.

§. 24.

De vſu categoriarum in rebus ſenſibus ſubiectis in genere.

Conceptus mentis puri ope ſolius intelligentiae ad res viſioni ſubiectas vniuerſe referuntur, noſtra illa ſit, an alia, modo ſenſitiua, liberum erit, ſed ob eamdem cauſam in ſolis illi cogitandi formis verſantur, quibus certa res ac definita nondum cognoſcitur. Syntheſin ſiue coniunctionem varietatis in illis referri diximus ad ſolam vnitatem apperceptionis, eoque cauſam eſſe, cur eſſe poſſit cognitio ex anticipatione, quatenus ea in intelligentia verſetur, proinde non ſolum modo transſcendentali, ſed etiam pure intellectuali. Quoniam vero in nobis certa quaedam viſionis forma ex anticipatione eſt, quaſi quoddam fundamentum, poſita, quae in vi recipiendi vertitur facultatis repraeſentandi, propterea intelligentia, vtpote vis ſpontanea, ſenſum intimum per varietatem repraeſentationum datarum poteſt, vnitati ſyn-

theticae apperceptionis conuenienter determinare, atque ita vnitatem apperceptionis ſyntheticam variorum viſionis ſenſitiuae ex anticipatione cogitare, tamquam conditionem, cui res omnes viſioni noſtrae (humanae) ſubiectae neceſſario ſubſint, qua quidem re demum categoriae, tamquam merae cogitandi formae, veritatem (realitatem) obiectiuam, id eſt, vſum in rebus obiectis, quae dari nobis offerrique in viſione, ſed vt ſola viſa, queant, locum inueniunt. Namque horum duntaxat nobis copia erit in viſione ex anticipatione.

Atque haec ſyntheſis variorum viſionis ſenſus, quae eſſe praeconcepta poteſt et neceſſaria eſt, dici *ſyntheſis ſpecioſa* ſeu figurata poterit, vt ab ea internoſcatur, quae ratione variorum viſionis generatim in ſola categoria cogitaretur, quamque *ſyntheſin* liceat *intellectualem* vocare: vtraque transſcendentalis eſt, non ſolum propterea, quod eae ipſae ex anticipatione priores ſunt, ſed etiam quoniam iis efficitur, vt eſſe aliae notitiae queant ex anticipatione.

Sed ſyntheſis figurata, ſi modo originariam illam vnitatem apperceptionis ſyntheticam, hoc eſt, vnitatem illam transſcendentalem, ſpectat, quae in categoriis cogitatur, quo a ſola coniunctione intellectuali diſcernatur, ſyntheſis transſcendentalis *phantaſiae* dicenda erit. *Phantaſia* autem cernitur in facultate rem vel abſentem in viſione repraeſentandi. Iam quum omnis viſio noſtra ſenſitiua ſit, phantaſia, propter ſingulares illas ſubiectiuasve leges, quibus ſolis ea conceptibus intelligentiae poterit viſionem idoneam accommodatamque praebere, ad *ſenſum* pertinere videtur: quatenus autem per ſyntheſin ſuam in exſerenda vi ſpontanea verſatur, quae non, vt ſenſus, determinabilis, ſed ipſa determinans eſt, proinde ex anticipatione ſenſum ſecundum formam ſuam vnitati apperceptionis conuenienter determinare poteſt, eatenus phantaſia poſita in facultate erit ſenſus ex anticipatione determinandi, illiusque ſyntheſis viſionum, *categoriis congruenter*, erit ſyntheſis transſcendentalis *phantaſiae*. Haec ſyntheſis ſpecioſa et figurata ab intellectuali, ab omni phantaſia ſeiuncta, per ſolam intelligentiam diuer-

ſa eſt. Quatenus igitur phantaſia in vi poſita ſpontanea eſt, ſubinde etiam phantaſiam *productiuam* appellabo, quo illam a reproductiua diſcernam, cuius ſyntheſis tantummodo legibus empiricis, ſcilicet adſociationis, ſubeſt, quaeque proinde nil quidquam confert ad enodandam poſſibilitatem cognitionis anteceptae, et propterea non ad philoſophiam transſcendentalem, ſed ad pſychologiam pertinere videtur.

* * *

Iam hoc loco e re erit, mirabilem illam rationem aperire, quam quemque oportebat in expoſitione formae ſenſus intimi ſtupere (§. 6.): nimirum hunc vel nosmet ipſos tales modo, quales nobis videamur, non quales reapſe ſimus, conſcientiae repraeſentare, quoniam nosmet ipſi nos videmus et conſpicimus pro eo atque intus movemur atque adficimur, id quod pugnare videtur, eo quod nos ipſi erga nos gerere paſſiue deberemus; vnde etiam ſenſum intimum, cum facultate *apperceptionis* (quam diligenter ab illo diſcernimus), in ſyſtematibus pſychologorum eumdem videas perhiberi.

Id, quo ſenſus intimus determinatur ac definitur, intelligentia eſt, ciusque vis originaria varietatis in viſione coniungendae, id eſt, vni apperceptioni (vnde ipſum illud pendet, vt eſſe queat) ſubiiciendae. Iam intelligentia in nobis hominibus ipſa non facultas viſionum eſt, easque, licet in ſenſu datae eſſent, tamen non poſſet in ſe recipere, vt quaſi varietatem ſuarum ipſius viſionum coniungeret. Inde patet, eius ſyntheſin, ſi illa per ſe ſolitaria conſideretur, in nulla re alia verſari, quam in vnitate actionis, cuius, qua talis, etiam ſine ſenſu ſibi conſcia ſit, qua vero ſenſum intus ratione variorum, quae ſecundum formam viſionis eius proponi poſſit, queat determinare. Igitur, nomine tituloque *ſyntheſeos transſcendentalis phantaſiae* eam in ſubiectum patiens, cuius ea facultas eſt, exſerere videtur, qua iure dicimus ſenſum intimum pelli atque adfici. Tantum autem abeſt, vt apperceptio eiusque vnitas ſyn-

thetica idem cum ſenſu intimo ſit, vt potius illa, tamquam fons omnis coniunctionis, ad varia *in viſionibus vniuerſe* nomine categoriarum, ante omnem ſenſitiuam viſionem ad obiectas res generatim referatur; cum e contrario ſenſu intimo ſola viſionis forma, ſed ſine coniunctione variorum in ea, proinde nondum vlla certa definitaque viſio contineatur, quae eſſe tantum poterit per ſolam conſcientiam determinationis eius ex effectione transſcendentali phantaſiae (contagione ſynthetica intelligentiae cum ſenſu interno), quam diximus ſyntheſin ſpecioſam et figuratam.

Id quod ſemper quoque in nobis animaduertimus. Neque enim lineam cogitatione depingere poſſumus, quam non mente ducamus, nullum orbem animo informare, quem non *deſcribamus*, neque tres illas ſpatii dimenſiones cogitare, niſi ex eodem puncto tres lineas ad perpendiculum inuicem ponamus, quin ipſius temporis cogitationem effingere, niſi in linea recta ducenda (quae extrinſecus eſſe figurata temporis repraeſentatio debet) in ſola actione ſyntheſeos variorum, qua ſenſum internum ſucceſſiue determinamus, eaque re ad ſucceſſionem huius determinationis in eo animaduertimus. Motus, tamquam actio ſubiecti (non qua determinatio obiectae rei *)), proinde ſyntheſis variorum in ſpatio, ſi cogitationem ab his auocamus, ad ſolamque actionem animum intendimus, qua ſenſum intimum formae iſtius conuenienter determinamus, ipſum ſucceſſionis conceptum procreat. Igitur intelligentia in eo talem variorum coniunctionem non inuenit, ſed eam ipſa producit, dum mouetur illo atque adficitur. Quomodo autem *τὸ ego*, is qui cogito, differat a *τῷ ego*, quod ſe ipſum vi-

*) Motus *rei obiectae* in ſpatio non pertinet ad doctrinam puram aliquam, nec proinde ad geometriam; eo quod, vt aliquid moueri queat, haud ex anticipatione, ſed ex ſola poterit experientia cognoſci. At motus, tamquam *deſcriptio* ſpatii cuiusdam, potius eſt in actu ſyntheſeos ſucceſſiuae variorum in viſione externa generatim ope phantaſiae productiuae, neque ſolum ad geometriam ſpectat, verum etiam ad philoſophiam transſcendentalem.

det et intuetur (namque et alios eſſe, certe eſſe poſſe, videndi modos, cogitare poſſum) nihilominus tamen cum hoc poſteriori, qua idem ſubiectum, vnum ſit idemque, et quomodo dicere poſſim: *Ego*, qua intelligentia (ſubiectumque), naturaque cogitans, memet ipſum agnoſco qua *obiectam rem cogitatam*, quatenus praeterea mihimet ipſe in viſione oblatus ſum, non quidem, inſtar aliorum viſorum, quemadmodum prior mente atque intelligentia ſum, ſed pro eo ac mihimet ipſe videor, eandem difficultatem habet, quam quomodo mihimet ipſe memet ego generatim obiectam rem aliquam, eamque viſionis et intimae perceptionis queam praebere. Sed rem ita ſe vere habere, poterit, ſi ſpatium pro ſola forma pura viſorum ſenſus externi accipiamus, perſpicue oſtendi eo, quod tempus, quod in nulla omnino poſitum eſt re viſioni externae ſubiecta, nobis cogitatione non poſſumus depingere, niſi imagine lineae, quatenus illam ducimus, ſine quo cogitandi modo vnitas dimenſionis eius neutiquam poſſet a nobis cognoſci, itemque quod determinatio longitudinis temporum, vel etiam locorum temporis pro cunctis perceptionibus intimis, ſemper ab iis depromenda ſit, quae mutabilia nobis externae res proponunt, proinde determinationes ſenſus intimi eodem ipſo modo tamquam phaenomena in tempore ſint componendae, quo, quae ſenſibus ſubiecta ſunt externis, in ſpatio componimus, ideoque, ſi his poſterioribus concedimus res obiectas nos cognoſcere, pro eo atque extrinſecus pellamur, etiam fatendum ſit ſenſu intimo nobis noſmet videri, prout intus a nobiſmet ipſis adficiamur, id eſt, quantum viſionem internam attinet, noſtrum ipſorum ſubiectum tamquam ſolum viſum, non pro eo atque per ſe ipſum eſt, cognoſcere. *)

*) Non video, quid cauſae ſit, cur pleroſque in eo videas haerere, ſenſum intimum a nobiſmet ipſis adfici ac moueri. Eius enim rei quisque actus *attentionis* nobis poterit exemplum praebere. Namque in illo ſemper intelligentia determinat ſenſum interiorem illi coniunctioni, quam cogitat, conuenienter, ad viſionem internam, quae varietati in ſyntheſi intelligentiae conuenit ac reſpondet. Quantopere ani-

§. 25.

Contra ea vero in ſyntheſi transſcendentali varietatis repraeſentationum in genere, proinde in originaria illa vnitate ſynthetica apperceptionis mei ipſius mihimet conſcius ſum, non qualis mihi videor, neue qualis reapſe ſum, ſed duntaxat quod ego ſum. Atque haec repraeſentatio in cogitatione verſatur, non in viſione. Iam cum, praeter actum cogitandi, qui varietatem cuiusuis, quae eſſe poteſt, viſionis ad vnitatem apperceptionis cogit, alia definita quaedam viſionis ratio, qua illa varietas datur ac proponitur, ad cognitionem noſtri ipſorum requiratur, mei ipſius quidem exſiſtentia non erit in viſis (multo minus in ſpecie ſola), ſed determinatio exſiſtentiae meae *) duntaxat formae ſenſus interni conuenienter ſecundum ſingularem modum, quo, quam coniungo, varietas in viſione intima proponitur, poteſt fieri, ideoque nullam mei cognitionem habeo, qualis ſim, ſed qualis mihi ipſe videor. Igitur conſcientia ſui ipſius permultum abeſt vt ſui ipſius cognitio videatur, quantumuis categoriarum omnium ea ratio, idque mu-

mus plerumque ea re moueatur, quisque poterit in ſe ipſe percipere.

*) Tò, *ego* cogito, exprimit actum exſiſtentiae meae determinandae. Itaque eo iam data eſt exiſtentia, ſed modus, quo debeam illam determinare, id eſt, varia illa, quae ad eam pertinent, in me ponere, eo nondum datus videtur. Quippe ad quem requiritur *viſio ipſius ſui*, cui forma ex anticipatione data, hoc eſt, tempus, fundamento ſubeſt, quae ſenſitiua eſt et ad vim pertinet recipiendi determinabilium. Quodſi igitur non et aliam habeam ipſius mei viſionem, quae determinans in me, cuius rationis ſpontaneae mihimet conſcius ſim, pariter ante actum *determinationis* dat, quemadmodum *tempus* determinabile; exſiſtentiam meam, tamquam naturae ſpontaneae, non potero determinare, ſed rationem cogitationis meae ſpontaneam, hoc eſt, determinationis, mihimet repraeſento, meaque exſiſtentia ſemper manet tantum ſenſibus ſubiecta, id eſt, tamquam exſiſtentia viſi cuiusdam, determinabilis. Interim tamen illa ratio ſpontanea in cauſa eſt, cur memet *intelligentiam* appellem.

nus ſit, vt cogitationem obiectae rei cuiusdam in genere efficiant coniunctione variorum in vna apperceptione. Vti autem ad cognitionem obiectae rei cuiusdam a me diuerſae, praeter cogitationem rei obiectae in genere (in categoria), et viſione opus eſt, qua illum conceptum communem definiam, ita etiam ad cognitionem mei ipſius praeter conſcientiam, vel praeterquam, quod memet cogito, viſione variorum in me indigeo, qua iſtam cogitationem determinem, et ego quidem exſto qua intelligentia, quae conſcia ſit tantummodo facultatis coniungendi ſuae, ratione variorum autem, quae ea debeat coniungere, conditioni circumſcribenti, quam ſenſum intimum vocant, obnoxia, coniunctionem illam ex adfectionibus temporis, quae prorſus ſunt extra proprios poſitae conceptus intelligentiae, ſub adſpectum ſubiicere, ideoque ſe ipſam duntaxat cognoſcere poſſit, qualis ratione viſionis (quae non intellectualis per ipſamque intelligentiam eſſe data poſſit) ſibi ipſa tantummodo videatur, non qualis ea ſeſe cognoſceret, ſi viſio illius intellectualis foret.

§. 26.

Deductio transſcendentalis vſus empirici, qui quidem eſſe vniuerſe poſſit, conceptuum purorum intelligentiae.

In deductione metaphyſica originem categoriarum ex anticipatione generatim ex conuenientia illarum cum vniuerſis functionibus logicis cogitandi probauimus §. 10. in transſcendentali autem poſſibilitatem earum, qua cognitionum anteceptarum rerum viſioni ſubiectarum in genere (§. 20. 21.) oſtendimus. Nunc autem explicabimus, qui fieri poſſit, vt res obiectae, quae illae cumque poſſint ſenſibus noſtris obuerſari, et quidem non quoad formam viſionis illarum, ſed ex legibus earum coniunctionis, interuentu categoriarum, ex anticipatione cognoſcantur, ergo naturae quaſi lex praeſcribatur, atque etiam, vt eſſe poſſint illae, efficiatur. Quae ſi non poſſent ſic adhiberi, non poſſet perſpici, quomodo, quae ſenſibus noſtris cumque obuerſari queant, omnia ſubeſſe

legibus debeant, quae ex anticipatione ab ſola intelligentia proficiſcuntur.

Ac primo moneo, per ſyntheſin apprehenſionis memet compoſitionem intelligere variorum in viſione empirica, qua fit, vt eſſe poſſit perceptio, id eſt, eius (qua viſi ſiue phaenomeni) conſcientia.

Formas habemus et externae viſionis et internae praeſumtas in repraeſentationibus ſpatii ac temporis, quibus ſyntheſis apprehenſionis variorum in viſis ſemper debet conuenire, quippe quae ipſa fieri per illas formas poſſit. Sed ſpatium et tempus non ſolum qua formae viſionis ſenſitiuae, ſed qua viſiones ipſae (quibus continetur varietas), proinde cum determinatione vnitatis horum variorum in iis ex anticipatione repraeſentantur (videatur aeſthetica transſcendentalis. *) Ergo iam ipſa *vnitas ſyntheſeos* variorum, extra nos, aut in nobis, proinde etiam *coniunctio*, cui, quae in ſpatio vel tempore definite repraeſentari debent, omnia eſſe accommodata debent et conſentanea, ex anticipatione tamquam conditio ſyntheſeos cuiusque *apprehenſionis cum* (non *in*) his viſionibus ſimul data eſt. Sed haec vnitas ſynthetica nulla eſſe alia poterit, quam coniunctionis variorum datae *viſionis in genere* in vna conſcientia originaria, categoriis conuenienter ad ſolam *viſionem ſenſitiuam*

*) Spatium, qua res obiecta repraeſentatum (vti reapſe opus in geometria habemus), plus continet, quam ſolam formam viſionis, nempe *complexionem* variorum, ex forma ſenſus datorum, in repraeſentatione *intuitiua*, ita vt *forma viſionis* ſolam varietatem, ſed *viſio formalis* vnitatem repraeſentationis ſuppeditet. Atque vnitatem illam ſupra in aeſthetica ad ſolum ſenſum adnumeraueram, vt indicarem, eam omni conceptu eſſe priorem, eumque antecedere, quamuis ea ſyntheſin ponat, quae non ſenſus ſpectet, qua vero efficiatur, vt omnes conceptus ſpatii temporisque poſſint demum fieri. Etenim quum ope illius (intelligentia ſenſum determinante) ſpatium tempusue, tamquam viſa, primum offeruntur, ſequitur, vt vnitas viſionis huius ex anticipatione ad ſpatium tempusque, non ad conceptum intelligentiae pertinere videatur.

noſtram adhibita et applicata. Itaque quaeque ſyntheſis, qua ſit, vt vel ipſa eſſe perceptio poſſit, categoriis ſubeſt, cumque experientia in cognitione cernatur ex perceptionibus coniunctis, intelligitur, categorias eſſe leges, quibus fiat, vt eſſe experientia poſſit, ideoque ex anticipatione valent etiam de omnibus rebus experientiae ſubiectis atque obnoxiis.

* * *

Si igitur, vt hoc vtar, viſionem domus cuiusdam empiricam per apprehenſionem variorum illius faciam perceptionem, *vnitas neceſſaria* ſpatii externaeque viſionis ſenſitiuae, quaſi fundamentum quoddam, mihi ſubiacet, formamque eius quaſi delineo, ad conuenientiam huius vnitatis ſyntheticae variorum in ſpatio. Sed eadem illa vnitas ſynthetica, ſi a forma ſpatii cogitationem abducas, ſedem in intelligentia habebit, eaque in categoria ſyntheſeos ſimilium in viſione vniuerſe verſatur, id eſt, in categoria *quantitatis*, cui ideo illa ſyntheſis apprehenſionis, perceptionem dico, prorſus eſſe apta debebit et conſentanea. *)

Si, vt aliud exemplum adferam, congelationem aquae percipio, duos ſtatus apprehendo (fluidi et ſolidi), tamquam tales, qui erga ſe inuicem quodam modo adfectae ſint ad tempus. Sed in tempore, quod phaenomeno, qua viſioni internae conſtituo, neceſſario vnitatem variorum ſyntheticam cogito, ſine qua adfectio illa non in viſione *definita* (ratione ſucceſſionis temporis) dari poſſet atque offerri. Atqui haec vnitas ſynthetica, qua lex antecepta, qua varia viſionis generatim coniungo, ſi a perpetua intimae viſionis meae, temporis, cogitationem auoco atque abduco, in categoria *cauſae* verſatur, qua, dum ad ſenſum meum eam transfero, omnia, quae

*) Hoc modo probatur: ſyntheſin apprehenſionis, quae empirica eſt, ſyntheſi apperceptionis, quae intellectualis eſt, omninoque categoria continetur ex anticipatione, neceſſario debere congruere. Vna eademque vis ſpontanea eſt, quae ibi phantaſiae nomine, hic autem intelligentiae, coniunctionem efficit in variis viſionis.

ſiunt, in *tempore* omnino quoad relationem eorum defi-
nio. Ergo apprehenſio eiusmodi euentus, proinde hic ipſe, quoad, quae eſſe poteſt, perceptionem, ſub notione ſubiecta *relationis effectorum ad cauſas* continetur, idque pariter in omnibus aliis caſibus euenit.

* * *

Categoriae in notionibus verſantur, quae viſis, proinde etiam naturae, tamquam ſummae vniuerſorum viſorum (naturae materialiter ſpectatae) leges ex anticipatione praeſcribunt, quae quum non ab natura ducantur, nec eam tamquam normam ſuam ſequantur (eo quod tum modo empiricae forent), quaeritur, qui comprehendi poſſit, eas naturam ſequi debere, hoc eſt, quomodo iis variorum naturae coniunctio, ita, vt non ex hac hauriatur, ex anticipatione poſſit determinari. Cuius quidem loci obſcuritatem nunc, age, diſpellamus.

Nihilo erit mirabilius, quomodo leges viſorum in natura cum intelligentia eiusque forma ex anticipatione, id eſt, cum facultate eius varietatis generatim coniungendae, quam quomodo viſa ipſa cum forma viſionis ſenſitiuae ex anticipatione debeant conuenire. Nam aeque minus leges in viſis atque phaenomenis exſtant, ſed tantum in comparatione cum ſubiecto, cui viſa inhaerent, quatenus praeditum intelligentia eſt, ac viſa haud per ſe ſunt, ſed tantum in comparatione cum eadem natura, quatenus ſenſu praedita videtur. Rebus, quae per ſe cernantur (ὄντως ὄσι), ſua legum conformitas, etiam extra intelligentiam, quae illas cognoſceret, neceſſario competeret. Sed phaenomena poſita duntaxat ſunt in repraeſentationibus rerum, quae talia, qualia per ſe ſint, ignota ſunt. Qua merae repraeſentationes nulli prorſus coniunctionis legi ſubſunt, praeter illam, quam vis facultasque coniungens praeſcribit. Iam illud, quo varia viſionis ſenſus coniunguntur, in phantaſia cernitur, quae ratione vnitatis ſyntheſeos intellectualis ſuae ab intelligentia pendet, ſed quoad varietatem apprehenſionis a ſenſu. Cum vero ex ſyntheſi apprehen-

ſionis omnis, quae eſſe poteſt, perceptio et animaduerſio, haec ipſa autem ſyntheſis empirica e transſcendentali, proinde e categoriis apta ſit ac pendeat, ſequitur, vt omnes, quae eſſe poſſunt, perceptiones, ideoque et vniuerſa, quae vmquam poterunt ad conſcientiam empiricam perduci, id eſt, omnia naturae viſa, ſecundum coniunctionem ſuam, categoriis ſint ſubiecta, e quibus natnra (ſed modo qua natura generatim ſpectata), tamquam e fundamento originario neceſſariae legalitatis (vt natura formaliter ſpectata) pendere videatur. Plures autem leges, quam quibus *natura* in genere nititur, tamquam recta viſorum ratio in ſpatio ac tempore, non poſſunt ab intelligentia pura proficiſci, quae in facultate cernitur ex ſolis categoriis leges viſis ex anticipatione praeſcribendi. Singulares leges, quoniam viſa attingunt empirice definita, non poſſunt inde deriuari, quamquam omnes ac ſingulae illis ſubeſſe videntur. Experientia accedat, neceſſe eſt, vt omnino hae poſteriores queant agnoſci: ſed de experientia in genere, de iisque, quae tamquam iis ſubiecta ac propoſita poſſint cognoſci, ſolae leges illae praecipiunt ex anticipatione.

§. 27.

Conſectarium huius deductionis conceptuum intelligentiae.

Nullam rem poſſumus obiectam cogitatione depingere, niſi ope categoriarum; nullamque rem poſſumus cogitatam cognoſcere, niſi viſionibus conceptibus illis conſentaneis. Iam omnes viſiones noſtrae poſitae in ſenſu ſunt, eaque cognitio, quatenus res illi ſubiecta data eſt, empirica erit. Sed empirica cognitio cernitur in experientia. Ergo nobis nulla eſſe cognitio ex anticipatione poterit, niſi ſolarum rerum experientiae, quae eſſe poſſit, propoſitarum. *)

*) Ne quis, quae metui poſſint, tamquam noxia, conſequentibus pronunciati huius temere offendatur, monendum videtur, legibus noſtrae viſionis ſenſitiuae categorias in *cogitando* non coërceri, potiusque iis campum immenſum eſſe, tantumque, vt *cognoſcatur* id, quod cogitamus, determina-

Verum iſta cognitio ad res adſtriſta ſolas experientiae ſubiectas, propterea non omnis ab experientia depromta eſt, ſed ſunt quaedam cognitionis elementa, tum quoad viſiones puras, tum ratione conceptuum intelligentiae purorum, inſita in nobis ex anticipatione. Atqui duplici via poterit neceſſaria quaedam experientiae cum conceptibus rerum ipſis ſubiectarum conuenientia cogitari: aut enim experientia fit, vt eſſe conceptus iſti poſſint, aut conceptibus efficitur, vt eſſe queat experientia. Sed illa prior via nullum locum habet ratione categoriarum (nec vero etiam reſpectu viſionis purae ſenſitiuae); quoniam notiones ſunt anteceptae, proinde liberae vacuaeque ab experientia (et, qui originem illarum empiricam adſereret, is ſpeciem quandam generationis, quam dicunt, aequiuocae tueretur). Ergo poſterior illa relinquitur (quaſi quaedam diſciplina ἐπιγενέσεως rationis purae ac ſimplicis): nempe vt a parte intelligentiae categoriis elementa omnis omnino, quae eſſe poſſit, experientiae complexa contineantur. Qui autem fiat, vt iis exſiſtat experientia, quaeque decreta poſſibilitatis illius in iis ad vſum transferendis in viſis ſuppeditent, ſequens caput, de vſu transſcendentali facultatis iudicandi vberius demonſtrabit.

Quodſi quiſpiam in animum inducat in duabus illis, quas diximus, ſolis viis adhuc mediam ſuadere, nimirum ita, vt illae nec in *ſponte cogitatis* primis principiis ex anticipatione cognitionis noſtrae verſentur, neque hauſta ex experientia videantur, ſed ſubiectiue ſint, cum exſiſtentia noſtra ſimul ingenita innataque cogitationis ſtamina, a creatore ita conſtituta, vt vſus eorum cum legibus naturae, quibus experientia progrediatur, prope conueniat (quae forma eſſet quaedam diſciplinae *praeformationis* rationis purae), tum ſane (praeterquam quod in

tionem obiectae rei, viſione opus eſſe, vbi, ſi haec deficiat, cogitatio rei oblatae alioquin ſemper habere vim veram ac ſalutarem in *vſu rationis* ſubiecti poteſt, qui quidem hoc loco nondum poteſt doceri, quoniam non ſemper ſpectat determinationem obiectae rei, proinde cognitionem, ſed etiam ſubiecti eiusque voluntatem.

tali hypotheſi, quousque poſitio praeformatorum ſtaminum iudiciorum poſſit proferri, nullos fines terminosque conſpicias) viae illi mediae hoc repugnabit: categoriis in tali euentu, quae notioni ipſarum per naturam competit, *neceſſitatem* defuturam eſſe. Velut notio cauſae, quae neceſſitatem conſecutionis enunciat poſita conditione quadam, falſa foret, ſi ea tantum in arbitraria inſita nobis neceſſitate ſubiectiua certarum repraeſentationum empiricarum verteretur, ad talem regulam relationis coniungendarum. Neque enim dicere poſſem: effectum cum cauſſa in obiecta re (id eſt, neceſſario) coniunctum eſt, ſed modo ſic: ita ſum duntaxat conſtitutus, vt repraeſentationes illas non niſi ſic coniunctas cogitare queam. Sed hoc illud ipſum eſt, quod ſcepticus maxime cupit. Tum enim omnis perſpicientia noſtra, ex putatitio vſu obiectiuo iudiciorum noſtrorum poſita in mera ſpecie erit, neque defuturos puto, qui iſtam neceſſitatem ſubiectiuam (quae ſentiri debet) de ſeſe haud fateantur; certe non poſſes cum nemine de eo diſputare, quod ſolam rationem attingat, qua ſuum cuiusque ſubiectum fabricatum videatur.

Breuis ſumma huius deductionis.

Eſt ea delineatio conceptuum purorum intelligentiae (cum iisque vniuerſae cognitionis theoreticae ex anticipatione), tamquam principiorum poſſibilitatis experientiae, huius autem, qua *determinationis viſorum* in ſpatio ac tempore in genere, huius denique ex principio vnitatis ſyntheticae apperceptionis originariae, tamquam formae intelligentiae in adfectione ad ſpatium tempusque, qua formas illas quidem originarias facultatis ſenſitiuae.

* * *

Duntaxat hactenus rationem paragraphis diuiſam neceſſariam duco, ſi quidem in notionibus elementaribus verſamur. Iam vero, quum vſum earum animus eſt oſtendere, oratione vti licebit continua.

ANALYTICES TRANSSCENDENTALIS

LIBER POSTERIOR.

Analytica decretorum.

Logica vniuerſalis in forma eſt exſtructa, cum diuiſione ſuperiorum cognoſcendi facultatum probe conueniente. Quae quidem ſunt: *intelligentia*, *vis iudicandi* et *ratio*. Proinde doctrina illa in analytica ſua de *conceptibus* tractat, de *iudiciis* et *ratiociniis*, functionibus ordinique facultatum animi congruenter, quae verbo late patente *intelligentiae* generatim comprehenduntur.

Quum, quam modo diximus, logica formalis illa ab omni cognitionis materia (pura ſit, an empirica) ſibi temperet, in ſolaque cogitandi forma (cognitionis, quam vocant, diſcurſiuae) verſetur; poterit illa quidem parte analytica et canonem rationis complecti, cuius forma certa norma nititur, quae, non conſiderata ſingulari natura cognitionis ea in re adhibitae, ex anticipatione per ſolam analyſin effectionum rationalium in momenta ſua, perſpici poteſt et intelligi.

Logica transſcendentalis, quum in materia definita, quippe ſola cognitione pura antecepta, teneatur circumſcripta, non poteſt illam in diuiſione ſua ſequi. Namque intelligimus, vſum rationis transſcendentalem neutiquam obiectiue valere, proinde non ad *logicam veri*, id eſt, ad analyticam pertinere, ſed, qua *logicam ſpeciei*, ſingularem partem diſciplinae ſcholaſticae, quam *dialecticam* transſcendentalem nominemus, deſiderare.

Quamobrem intelligentia et vis iudicandi canone gaudent vſus obiectiue probi, proinde veri in logica transſcendentali, ideoque partem eius analyticam attingunt. Sed ratio, ſi de rebus obiectis conatur ex anticipatione decernere, cognitionemque vltra fines, cuius eſſe copia poterit, experientiae dilatare, tota eſt dialectica, decretaque figurata illius neutiquam canoni conueniunt, qualis tamen debet analytica contineri.

Analytica decretorum igitur duntaxat canon erit *facultati* ſeruiens *iudicandi*, quae eo edoceatur, conceptus intelligentiae, quibus conditiones continentur regularum, ex anticipatione ad viſa transferre. Qua de cauſa, dum propria intelligentiae decreta pertractare inſtituo, nomine vtar *doctrinae facultatis iudicandi*, quo fiet, vt iſtud negotium accuratius deſignetur.

INSTITUTIO

de facultate iudicandi transſcendentali in genere.

Quodſi omnino intelligentia in facultate ponatur legum et regularum, facultas iudicandi verſabitur in vi virtuteque ſub leges *adſumendi*, id eſt, ſubſit aliquid datae legi nec ne, diſcernendi. Sed logica vniuerſali nulla prorſus praecepta continentur, nec contineri poſſunt, in gratiam facultatis iudicandi. Etenim quum ab omni *cognitionis materia* illa abſtineat; nihil illi quidquam relinquitur, quam vt ſolam formam cognitionis in conceptibus, iudiciis et ratiociniis analytice exponat, et ſic leges formales vniuerſi vſus intelligentiae conſtituat. Si igitur in vniuerſum vellet oſtendere, quomodo ad has regulas debeat adſumi, id eſt, internoſci, vtrum iis aliquid ſubſit nec ne, planum erit, iſtud fieri non poſſe niſi itidem ad legem aliquam. Quae quidem propter illud ipſum, quod lex ea eſt, opus habet inſtitutione facultatis iudicandi, atque ita apparet, intelligentiam poſſe illam quidem doceri regulis et exornari, ſed iudicandi facultatem ſingulare quoddam munus naturae eſſe, quod non doceri velit, ſed tantum exerceri. Proinde haec etiam in parte verſatur ſolertiae (ἀγχινοίας), cuius defectus nulla vmquam ſchola poterit expleri; quippe quae hebeti anguſtoque ingenio vim legum, ex aliena notitia depromtarum, miniſtrare poteſt quaſique implantare; ſed facultas iis recte vtendi tironi tamen debebit ineſſe, nullique legi, quae ei, qui illo naturae dono caret, poſſit praeſcribi, ab abuſu videtur caueri. *)

*) Defectus facultatis iudicandi proprie cernitur in eo, quod ſtupiditatem vocamus, talique vitio nullo prorſus modo po-

Quocirea medicus, iudex, aut politicus, permultas tenere leges pathologicas, iurisprudentiae vel politices poterit, ita, vt eorum omnium probare ſe doctorem queat, nihilominus tamen in vſu earum facile peccabit, quoniam aut naturali illa facultate iudicandi (licet non intelligendi) caret, vniuerſale quidem (vt aiunt) in abſtracto perſpicere, nec vero diſcernere poteſt, vtrum in ſingulari (in concreto) aliquis caſus illo contineatur, aut quia ad iudicandum exemplis fuit verisque negotiis inſtitutus. Atque in eo vna illa et magna exemplorum vtilitas cernitur, vt iis acuatur iudicium. Si quidem veritati ſubtilitatique perſpicientiae mentis plerumque exemplis fit vt aliquantum officiatur, eo quod raro conditioni legis accurate illa conueniunt (vt caſus in terminis), et praeterea ſaepius eam mentis contentionem minuunt atque infirmant, qua leges in vniuerſali, libereque ab omni ſingulari caſu experientiae, ad earum perfectionem, perſpici poſſunt, iisque proinde tandem inſtar formularum magis, quam decretis vti adſueſcunt. Ita fit, vt exempla quaſi quoddam inſtrumentum ſint facultatis iudicandi acuendae, quo carere numquam poſſit, cui illa indoles deeſſe naturalis videtur.

Quamquam autem *logica vniuerſalis* nil quidquam praecipere poteſt facultati iudicandi, tamen longe aliter comparatum eſt cum logica transſcendentali, ita vt poſterioris eſſe proprium negotium videatur, vt iudicandi vim in vtenda intelligentia pura certis legibus ac definitis corrigat et perficiat, eique caueat. Namque, vt in campo notitiarum purarum ex anticipatione augeat intelligentiam ac dilatet, proinde tamquam doctrina non eſſe neceſſaria philoſophia videtur, vel potius male adhibita, quoniam, quod omnes hucusque tentati conatus

ieris mederi. Ingenium hebes atque obtuſum, quod nulla re, niſi iuſta perfectione caret intelligentiae, propriisque conceptibus illius, diſcendo facile poteſt, vel ipſa eruditionis copia, exornari. Sed quoniam plerumque etiam altera pars Petri deeſſe videtur, fit, vt ſaepenumero homines doctiſſimos videas in vtenda ſcien a ſua defectum illum irreparabilem prodere.

ſatis euincunt, parum terrae, vel plane nullam occupatam nouimus, ſed vt critica, ad lapſus iudicii cauendos in paucis illis, quas habemus, notionibus puris intelligentiae vtendis, ad id (quamquam tum vtilitas tantum negatiua erit) philoſophia cum omni ſuo acumine et arte explorandi prouocanda videtur.

Sed philoſophiae transſcendentalis ea proprietas eſt, vt praeter legem illam (vel potius conditionem vniverſalem legum), quae in conceptu puro intelligentiae datur, ſimul ex anticipatione caſum poſſit oſtendere, ad quem debeant transferri. Cauſa principatus, quem in ea re prae omnibus doctrinae partibus occupat (ſi a matheſi diſceſſeris), poſita in eo eſt, quod ea de notionibus tractat, quae ex anticipatione debeant ad res ſibi ſubiectas referri, proinde non poterit ex adſumto (a poſteriori) vſus illarum obiectiuus euinci: namque hoc illam dignitatem earum prorſus non tangeret; ſed debebit ea ſimul leges, quibus fit, vt obiectae res notionibus iſtis conuenienter dari poſſint, in vniuerſalibus, ſed perfectis notis proponere, alioquin omni illae materia carerent, proinde in ſolis formis logicis, non in puris intelligentiae conceptibus verſarentur.

Haec *doctrina transſcendentalis facultatis iudicandi*, duobus capitibus abſoluetur: vno, quod de conditionibus agit in ſenſu poſitis, quibus ſolis fit, vt conceptus puri intelligentiae poſſint ad vſum transferri, id eſt, de ſchematismo intelligentiae purae; altero, quod de iudiciis ſyntheticis tractat, quae ex conceptibus puris intelligentiae his ipſis legibus ex anticipatione, tamquam e ſuo fonte quodam, promanant, cunctisque reliquis cognitionibus ex anticipatione pro fundamento ſubſunt, hoc eſt, de decretis intelligentiae purae.

Doctrinae transſcendentalis facultatis iudicandi
(ſiue analytices decretorum)

CAPUT PRIMUM.

De ſchematismo conceptuum purorum intelligentiae.

In omnibus adſumtionibus obiectae rei ad conceptum aliquem repraeſentatio illius eſſe huius ſimilis (homogenea) debet, id eſt, conceptu ea debent contineri, quae in re obiecta ad illum adſumenda repraeſentantur; hoc enim formula intelligitur: rem obiectam conceptu quodam contineri. Sic conceptus *orbis* empiricus ſimilitudinem habet conceptus puri geometrici *circuli*, eo quod, quae in illo cogitatur, rotunditas in hoc conſpici poteſt.

Iam vero conceptus puri intelligentiae, cum empiricarum (omninoque earum, quae ad ſenſum ſpectant) viſionum prorſus diſſimiles ſunt, neque vmquam poterunt in aliqua viſione deprehendi. Qui igitur fit, vt hae ad illos adſumi, proinde categoriae ad viſa transferri poſſint, quum tamen nemo dixerit: hanc, velut colligationem cauſarum (cauſalitatem) etiam ſenſu poſſe conſpici, viſoque eam contineri? Atque haec tam naturalis, tamque grauis quaeſtio proprie in cauſa eſt, cur doctrina facultatis iudicandi transſcendentalis neceſſaria efficiatur, vt ſcilicet monſtretur, qui eſſe poſſit, vt *puri conceptus intelligentiae* omnino queant ad viſa transferri. In omnibus aliis artibus, vbi conceptus, quibus obiecta res vniuerſe cogitatur, ab iis, qui eam in ſingulari (concreto) ita repraeſentant, vti ea datur, non ita diuerſi ſunt atque diſſimiles, non neceſſe eſt, vt vſus illius in hac ſingillatim exponatur.

Iam perſpicuum eſt, eſſe quiddam tertium debere, quod partim categoriae ſimile eſſe, partim viſi oporteat, et quo fiat, vt illius in hac eſſe vſus poſſit. Atque haec media repraeſentatio eſſe pura debebit atque ab omni ratione empirica libera, ex parte tamen etiam *intellectua-*

lis, ex parte *ſenſibus ſubiecta*. Eiusmodi erit *ſchema transſcendentale.*

Notione intelligentiae continetur vnitas pura ſynthetica variorum in genere. Tempus, quod in lege cernitur formali variorum ſenſus interni, proinde coniunctionis omnium repraeſentationum, varietatem complectitur ex anticipatione in viſione pura. Iam determinatio transſcendentalis temporis categoriae (qua vnitas eiusdem efficitur) tam ſimilis eſt, quam ea vniuerſalis eſt, et in lege ex anticipatione conſtituta. Contra ea vero illa tam ſimilis viſi eſt, quam tempus in quauis repraeſentatione empirica variorum complexum videtur. Inde eſſe vſus poterit categoriae in viſis, interuentu determinationis temporis transſcendentalis, quae, tamquam ſchema notionum intelligentiae, adſumtionem poſterioris ad priorem efficere videtur.

Ex iis, quae in deductione categoriarum demonſtrauimus, nemo, opinor, erit, qui de quaeſtione dubitet decernere: vtrum harum purarum notionum intelligentiae vſus tantum empiricus ſit, an etiam transſcendentalis, hoc eſt, vtrum, qua leges, quibus eſſe experientia poſſit, duntaxat ad viſa ex anticipatione referantur, an, qua leges, quibus res eſſe vniuerſe queant, ad res obiectas per ſe ſpectatas (ὄντως ὄντα) nulla habita ratione ſenſus noſtri, transferri poſſe videantur. Namque ibi vidimus, eſſe omnino conceptus non poſſe, neque vspiam quampiam vim eos virtutemque habere, niſi aut iis ipſis, aut certe quidem elementis, e quibus conſiſtunt, res quaedam detur et offeratur, proinde ad res per ſe ſpectatas (nullo reſpectu habito, an et quomodo illae dari nobis queant) prorſus non poſſe attingere; et vero etiam vnam viam illam, qua nobis res offerri poſſint, in mutatione (modificatione), ſenſus noſtri poſitam eſſe; conceptus puros ex anticipatione denique, praeter functionem intelligentiae in categoria, leges etiam formales ſenſus (nominatim intimi), ex anticipatione debere complecti, quibus vniuerſalis illa lex contineatur, qua fiat ſola, vt categoria ad quampiam rem poſſit obiectam

transferri. Atque hanc legem ſenſus formalem puramque, cui notio intelligentiae in vſu ſuo tenetur adſtricta, *ſchema* huius notionis, rationemque mentis horum ſchematum vtendorum, *ſchematismum intelligentiae purae* ac ſimplicis nominabimus.

Iſtud ſchema quidem per ſe ſemper effectum phantaſiae erit: ſed dum ſyntheſis huius nullam ſingularem viſionem, ſed vnitatem ſolam in determinando ſenſu ſibi propoſitam habet, relinquitur, vt ſchema ab imagine diſtinguendum videatur. Velut, ſi quinque puncta aliud poſt aliud ponas, ... imaginem habebis numeri quinarii. E contrario, ſi numerum generatim duntaxat cogito, qui quinarius centenariusue eſſe poterit, tum haec cogitatio magis cernitur in repraeſentatione viae rationisque, cuidam conceptui conuenienter multitudinem (veluti mille) in imagine quadam repraeſentandi, quam imaginem illam ipſam, quam in poſteriori caſu difficulter perluſtrare poſſem et cum conceptu illo comparare. Atque hanc repraeſentationem actionis phantaſiae, imaginem conceptui miniſtrandi, ſchema huius conceptus nominabo.

Ac re ipſa quidem noſtris conceptibus puris a ſenſu profectis non obiectarum rerum imagines, ſed ſchemata fundamento eſſe videntur. Conceptui trianguli in genere nulla vmquam imago apta et accommodata foret. Namque ea numquam conceptus adſequeretur rationem vniuerſalem, quae efficit, vt hic ad omnia, rectangula etc. valeat, ſed ſemper ad partem tantum huius ſphaerae ea adſtricta foret. Schema trianguli nuspiam exſtare poteſt, niſi in mente agitante, et legem denotat ſyntheſeos phantaſiae, ratione figurarum purarum in ſpatio. Multo minus res experientiae ſubiecta, vel imago eiusdem vmquam adſequetur conceptum empiricum, ſed hic ſemper proxime refertur ad ſchema phantaſiae, tamquam lex quaedam determinandae viſionis noſtrae, conuenienter certo cuidam conceptui vniuerſali. Conceptus canis legem deſignat, ad quam phantaſia figuram beſtiae cuiuſpiam quadrupedis vniuerſe poſ-

ſit delineare, ita, vt ad nullam aliam figuram ſingularem, quam nobis experientia offert, vel etiam ad quamque, quae eſſe queat, imaginem, quam in concreto, quod aiunt, proponere poſſum, adſtricta teneatur. Hic ſchematismus intelligentiae noſtrae, ratione viſorum, ſoliusque formae illorum, eſt ars arcana in profundis animae humanae, cuius vera artificia difficulter ab natura diuinando vmquam diſcemus, eaque aperta ob oculos ponemus. Tantum nobis dicere licitum eſt: imago in effectis eſt virtutis empiricae phantaſiae productiuae, ſchema conceptuum ſenſu hauſtorum (velut figurarum in ſpatio) effectum eſt, quaſique monogramma quoddam phantaſiae purae ex anticipatione, quo ad quodque fit, vt eſſe demum imagines poſſint, quae autem cum conceptu ſemper tantum interuentu ſchematis, quod eae denotant, coniungi debent, eique per ſe non plane congruere videntur. E contrario ſchema conceptus puri intelligentiae aliquid eſt, quod ad nullius imaginis rationem reuocari poterit, ſed cernitur tantum in ſyntheſi pura ad conuenientiam legis vnitatis ſecundum conceptus in genere, quam categoria exprimit, eaque in effectis eſt transſcendentalibus phantaſiae, quod determinationem ſenſus intimi vniuerſe, ad illius formae (temporis) leges, rationem omnium repraeſentationum, attingit, quatenus hae vnitati apperceptionis conuenienter ex anticipatione in conceptu deberent cohaerere.

Ac ne in ieiuna et taedioſa analyſi immoremur eorum, quae ad ſchemata transſcendentalia conceptuum purorum intelligentiae generatim requiruntur, potius ad ordinem categoriarum illa, cumque his coniuncta proponemus.

Pura imago omnium quantorum *ſenſus externi* ſpatio continetur; ſed obiectarum rerum omnium vniuerſe tempore. Purum ſchema *quantitatis* autem, tamquam conceptus intelligentiae, *numerus* eſt, qui in repraeſentatione verſatur, additionem ſucceſſiuam vnius ad vnum (homogeneum) complectente. Proinde numerus nil eſt aliud quidquam, quam vnitas ſyntheſeos variorum in

viſione homogenea in genere, ita, vt tempus ipſum in apprehenſione viſionis producatur.

Realitatem in conceptu puro intelligentiae dicimus id, quod ſenſationi cuidam generatim reſpondet; proinde illud, cuius conceptu ipſo quoddam eſſe (in tempore) deſignatur. Sed negatione intelligimus, id cuius conceptu quoddam non eſſe (in tempore) repraeſentatur. Vtriusque oppoſitio ergo fit in discrimine eiusdem temporis, qua repleti temporis vacuiue. Cum tempus in ſola forma viſionis vertatur, proinde rerum obiectarum, vt viſorum, ſequitur vt id, quod in his ſenſationi reſpondet, materia transſcendentalis obiectarum rerum omnium, tamquam res vti per ſe ſunt (ὄντως ὄντων); reitatem poſſis dicere, ſiue realitatem. Atqui cuique ſenſationi gradus eſt quidam, ſeu quantitas, qua illa idem tempus, id eſt, ſenſum internum ratione repraeſentationis obiectae rei, plus minusue poteſt explere, donec in nihilo (=o= negatione) deſinat. Ergo eſt ratio quaedam atque contextus, vel potius tranſitio a realitate ad negationem, quae vnamquamque realitatem qua quantum aliquod repraeſentat, et ſchema realitatis, qua quantitatis rei cuiuspiam, quatenus tempus illo repletur, eadem continua illa atque aequiuoca productio eius in tempore, dum a ſenſatione in certo quodam gradu conſtituta in tempore vsque ad eam euaneſcentem deſcenditur, vel a negatione ad quantitatem illius paullatim adſcenditur.

Schema ſubſtantiae cernitur in conſtantia et perpetuitate eius, quod reale eſt in tempore, id eſt, repraeſentatione illius, qua ſubſtrati cuiusdam determinationis empiricae temporis in genere, quod proinde manet ac perdurat, dum omnia alia fugiunt et mutantur. (Tempus non ruit nec fugit, ſed in tempore ruit et fugit exſiſtentia mutabilium. Ergo tempori, quod ipſum immutabile eſt et perpetuum, reſpondet in viſo *immutabile* in exſiſtentia, id eſt, ſubſtantia, et in ſola ea conſequentium ratio poterit et ſimultaneorum in viſis quoad tempus determinari ac definiri).

Schema cauſae cauſalitatisque rei vniuerſe cernitur in reali, quod, ſi ex arbitrio ponatur, ſemper aliud quid ſequitur. Itaque ſucceſſione illud continetur variorum, quatenus ea legi obnoxia videtur.

Schema commercii, ſiue cauſalitatis mutuae ſubſtantiarum ratione accidentium illarum, eſt ratio ſimultanea determinationum vnius cum determinationibus alterius ad legem aliquam vniuerſalem.

Schema poſſibilitatis poſitum in concentu eſt ſyntheſeos diuerſarum repraeſentationum cum legibus temporis generatim (velut cum contraria in re vna non ſimul eſſe, ſed aliud poſt aliud ſequi poteſt), proinde in determinatione repraeſentationis rei cuiusdam in quopiam tempore.

Schema exſiſtentiae cernitur in exſiſtentia in quodam tempore certo ac definito.

Schema neceſſitatis exſiſtentia efficitur obiectae rei cuiuspiam in omni tempore.

Igitur ex his omnibus intelligitur, ſchema cuiusque categoriae, velut quantitatis, geneſin (ſyntheſin) ipſius temporis in apprehenſione ſucceſſiua rei obiectae, ſchema qualitatis ſyntheſin ſenſationis (perceptionis) cum repraeſentatione temporis, ſiue temporis expletionem, ſchema adfectionis relationisque rationem perceptionum inter ſe inuicem in omni tempore (id eſt, ex lege quadam determinationis temporis), et ſchema modalitatis denique eiusque categoriarum, tempus ipſum, tamquam correlatum quoddam determinationis obiectae rei, an ea et quo modo ad tempus pertineat, complecti ac repraeſentare. Igitur ſchemata nihil aliud ſunt, niſi determinationes temporis ex anticipatione ad leges, et hae ad *ordinem* categoriarum, *ſeriem* ſpectant *temporis*, *materiam temporis*, *ordinem temporis* et denique *temporis complexum* ratione rerum omnium, quae eſſe poſſunt.

Ex quo perſpicitur, ſchematiſmum intelligentiae per ſyntheſin transſcendentalem phantaſiae nil quid-

quam ſpectare aliud, quam vnitatem omnium variorum viſi in ſenſu interno, itemque indirecto ad vnitatem apperceptionis, qua functionis, quae ſenſui interno (receptiuitati) reſpondeat. Igitur in ſchematibus conceptuum purorum intelligentiae verae atque ſolae leges inſunt, adfectionem iis ad res obiectas, ideoque vim virtutemque comparandi, et proinde categoriae tandem nullum alium vſum habent, quam, qui eſſe poſſit, empiricum, propterea quod aptae tantummodo ſunt ad viſa legibus vniuerſalibus ſyntheſeos ſubiicienda, ex principiis vnitatis cuiusdam ex anticipatione neceſſariae (ob coniunctionem neceſſariam vniuerſae conſcientiae in apperceptione originaria), eaque hoc modo ad coniunctionem continuam in experientia quadam adornanda.

In toto illo autem omnis, quae eſſe poterit, experientiae omnes noſtrae inſunt cognitiones, atque in vniverſali illa ad eam adfectione cernitur verum transſcendentale, omni empirico prius, quod vt eſſe poſſit, illo efficitur.

Nec vero non incurrit in oculos, categorias, quamuis ſchematibus ſenſus demum veritas (realitas) iis tribuatur, iisdem tamen etiam ad leges adſtringi, extra intelligentiam (nempe in ſenſu) poſitas. Quocirca ſchema proprie tantum phaenomenon eſt, ſiue conceptus obiectae rei a ſenſu profectus in conuenientia cum categoria. (Numerus eſt *quantitas* phaenomenon, *ſenſatio* realitas phaenomenon, *conſtans* et perdurabile rerum ſubſtantia phaenomenon — — *aeternitas*, *neceſſitas*, phaenomena etc.) Quodſi igitur legem aliquam adſtringentem mittamus, conceptus ante adſtrictus videbitur amplificari: ſic categoriae in notione pura ſua, omni ſenſus lege liberae, de rebus vniuerſe deberent, vti illae ſunt, valere, quum ſchemata earum illas duntaxat repraeſentent ita, vti videntur; proinde deberent illam ab omni ſchemate liberam, quae longe latius pateat, notionem habere. Ac ſane quidem conceptibus puris intelligentiae, etiam ſeiuncta omni lege ſenſus, notio ſignificatioque quaedam, ſed tantum logica, ſolius vnitatis re-

praeſentationum relinquitur, quibus vero nulla res obiecta, proinde etiam nulla ſignificatio datur, quae conceptum obiectae rei praebeat. Velut ſubſtantia, ſi determinationem conſtanter et perpetue a ſenſu profectam ſuſtuleris, nihil amplius ſignificaret, quam certum *quiddam*, quod qua ſubiectum (ita, vt non alius cuiuspiam attributum ſit) poterit cogitari. Quae quidem repraeſentatio ad nihil quidquam valebit, quippe quae non oſtendit, quae determinationes in eam rem cadant, quae qua tale ſubiectum primum locum habere debet. Itaque hinc cogitur, vt categoriae, ſchematibus deſtitutae, in ſolis quidem functionibus intelligentiae ad conceptus verſentur, neque tamen vllam rem obiectam repraeſentare videantur. Haec enim virtus iis accedit e ſenſu, qui veritatem (realitatem) tribuit intelligentiae, eo quod ſimul hanc adſtringit.

Doctrinae transſcendentalis facultatis iudicandi
(ſiue analytices decretorum)

CAPUT SECUNDUM.

Syſtema omnium decretorum intelligentiae purae.

Superiori capite vim iudicandi transſcendentalem ad ſolas illas leges vniuerſales contemplauimus, quibus ſolis fit, vt, conceptibus puris intelligentiae in iudiciis ſyntheticis vtendi, ius ei competere videatur. Iam nobis propoſitum eſt, vt iudicia, quae intelligentia, hac circumſpectione critica vtens, re vera ex anticipatione abſoluit, in nexu ad diſciplinae formam effecto, oſtendamus, ad quam rem nobis ſine dubio tabula categoriarum noſtra naturalem illam certamque manuductionem miniſtrare debebit. Hae enim ipſae ſunt, quarum adfectione ad experientiam poſſibilem omnis cognitio intelligentiae ex anticipatione efficietur, quarumque propterea ratione ad ſenſum vniuerſe omnia decreta vſus intelligentiae transſcendentalia plene abſoluteque et in forma artis ac ſyſtemate ob oculos proponentur.

Decreta ex anticipatione non ſolum propterea ſic appellantur, quoniam iis principia continentur aliorum iudiciorum, ſed etiam, quia ipſa non in ſublimioribus magisque vniuerſalibus ſunt cognitionum partibus fundata. Quae quidem virtus non vsquequaque efficit, vt probatione poſſe ſuperſedere illa videantur. Etenim quamvis ea longius progredi obiectiue non poſſet, ſed omni potius cognitioni rei ſubiectae ſibi principium quoddam fundamento ſubeſt, tamen hoc non impedit, quominus argumentum poſſit aliquod e fontibus ſubiectiuis poſſibilitatis cognitionis obiectae rei vniuerſe hauriri, adeoque neceſſarium videatur, ſiquidem alias nihilominus pronunciatum iſtud in ſummam ſuſpicionem ſententiae ſolius ſubrepticiae incurreret. Deinde intra fines eorum tantum decretorum nosmet tenebimus, quae adfecta ad categorias videntur. Itaque principia aeſthetices transſcendentalis, ex quibus ſpatium tempusque in legibus ſunt poſſibilitatis rerum omnium qua viſorum, itemque iſtorum decretorum adſtrictio illa, qua non poſſunt ad res, vti ſunt (ὄντως ὄντα) transferri, deſcriptum campum quaeſtionis noſtrae non ingrediuntur. Pariterque decretis mathematicis nulla pars huius diſciplinae efficitur; quippe quae ex ſola viſione ducta, non e conceptibus puris intelligentiae videntur: interim tamen neceſſario hic locus erit poſſibilitati eorum, cum nihilominus ea in iudiciis ſyntheticis ex anticipatione verſentur, non ita quidem, quo veritatem eorum et firmitatem apodicticam vincamus, quod ſane non opus erit, ſed tantum, vt poſſibilitatem talium cognitionum euidentium ex anticipatione demonſtremus ac deducamus.

Sed nobis etiam de decreto iudiciorum analyticorum oratio inſtituenda erit, idque ad oppoſitum decretum ſyntheticorum, in quibus opera noſtra proprie verſatur, ſi quidem hac eadem oppoſitione fit, vt theoria rationis ſyntheticorum ab omni calumnia liberetur, atque in natura ſua peculiari clare ob oculos ponatur.

Syſtematis decretorum intelligentiae purae

SECTIO PRIMA.

De ſummo omnium iudiciorum analyticorum decreto.

Qualis ea cumque cognitioni noſtrae materia ſubiecta ſit, et quomodo illa cumque ad obiectam rem referatur, tamen vniuerſalis illa, quamquam negatiua duntaxat, omnium omnino iudiciorum noſtrorum lex ea eſt, vt ne ſecum ipſa pugnare videantur; ſin ſecus accidit, haec iudicia per ſe (nulla rei obiectae ratione habita) in nihilo verſantur. Sed quamquam nulla iudiciis noſtris repugnantia inerit, tamen poterunt ita in iis conceptus coniungi, vti rei obiectae haud conuenit, vel etiam ita, vt nobis nuſpiam neque ex anticipatione, neque ex adſumto data ratio cauſaque videatur, quae tali iudicio auctoritatem tribuat, et proinde, quantumuis illud ab omni inteſtina repugnantia prorſus vacuum ſit, tamen vel falſum eſſe poterit, vel inane.

Iam hoc decretum: nulli rei attributum competit, quod illi repugnet, decretum nominatur repugnantiae, illudque vniuerſale eſt, quamuis mere negatiuum, cuiuſcumque veri criterium, ſed propterea etiam prorſus ad logicam pertinet, quod de cognitionibus, qua cognitionibus tantum vniuerſe, nulla ratione habita materiae eius, valet, atque enunciat: per repugnantiam prorſus perire ea tollique.

Interim illius tamen vſus eſſe poſitiuus poterit, id eſt, non ita tantum, vt falſi erroriſque rationem (quatenus ea in repugnantia cernitur) eiicias, ſed etiam vt verum videas. Namque ſi iudicium analyticum erit, ſiue neget illud quidem, ſiue aiat, veritas illius ſemper debebit ex repugnantiae decreto plene perfecteque poſſe agnoſci. Si quidem eius, quod in cognitione obiectae rei iamiam qua conceptus ſitum eſt et cogitatur, contrarium numquam non recte negari, ſed conceptus ipſe neceſſario debebit de illa adfirmari, eo quod eius contrarium rei obiectae repugnet. Quamobrem etiam decreto repu-

gnantiae, vtpote vniuerſali illi planeque perfecto principio vniuerſae cognitionis analyticae, locus, oportebit, cedatur: ſed nec auctoritas eius, nec vſus longius patet, quam perfectae veri notae. Etenim quod nulla prorſus ei eſſe cognitio contraria poſſit, quin ſe ipſam tollat ac perdat, eo quidem efficitur, vt hocce decretum in cauſa ſine qua non, ſed neutiquam vt principium veri definiendi cognitionis noſtrae, conſtituatur. Iam cum proprie in ſola parte cognitionis noſtrae ſynthetica occupati ſimus, ſemper quidem cauere debebimus, ne in inuiolabile decretum iſtud vmquam impingamus, neque inde vero ratione veri de genere cognitionis eiusmodi, nullam vmquam poterimus enodationem exſpectare.

Eſt interim tamen quaedam frequentati illius, quamuis ab omni materia vacui, ſoliusque formalis decreti formula, ſyntheſin continens, quae imprudenter fuit et prorſus inutiliter illi admixta. Ea haec eſt: fieri non poteſt, vt aliquid ſimul ſit et non ſit. Praeterquam, quod firmitas apodictica (in verbis *fieri non poteſt*) inutiliter hic adnexa fuit, quae tamen per ſe debet ex enunciato intelligi, praeterea determinatione temporis pronunciatio illa adfecta eſt, quaſique ſic enunciat: res quaedam = A, quae aliquid = B eſt, non poteſt eodem tempore non B eſſe; ſed commode poteſt vtrumque (et B et non B) eſſe ſucceſſiue. Veluti homo in iuuentute conſtitutus non poteſt ſimul eſſe in ſenectute, ſed idem poteſt hoc tempore iuuenis eſſe, et alio tempore non iuvenis, id eſt, ſenex. Atque decretum repugnantiae, qua decretum duntaxat logicum, pronunciata ſua non debet temporis adfectionibus adſtringere: ergo talis formula conſilio eius prorſus contraria videtur. Sed error inde tantummodo proficiſcitur, quod attributum rei cuiusdam a conceptu illius cogitatione ante ſeiungimus, poſteaque contrarium eius cum hoc attributo coniungimus, quod numquam cum ſubiecto pugnat, ſed tantummodo cum eius praedicato, quod cum illo eſt συνθετικῶς coniunctum, idque tum demum, quum prius et poſterius attributum eodem tempore ponuntur. Quod ſi dico: homo indoctus non eſt doctus, conditio debet adeſ-

ſe, ſimul: namque is, qui aliquo tempore indoctus eſt, commode poteſt alio tempore doctus eſſe. Sed ſi ſic enuntio: nullus homo indoctus eſt doctus, pronunciatum analyticum erit, eo quod nota (τοῦ non doctum eſſe) iam conceptum ſubiecti vna conſtituit, et tum enunciatio negans proxime liquet ex decreto repugnantiae, ita, vt non neceſſe ſit, vt conditio: ſimul, accedat. Atque hoc etiam in cauſa fuit, cur ſupra formulam eius ſic immutarem, vt natura enunciati analytici ea re dilucide exprimeretur.

Syſtematis decretorum intelligentiae purae ac ſimplicis

SECTIO SECUNDA.

De ſummo decreto omnium iudiciorum ſyntheticorum.

Enodatio poſſibilitatis iudiciorum ſyntheticorum in quaeſtione verſatur, quacum logicae generali nil quidquam negotii eſt, cuius adeo nomen ne noſſe quidem debebit. Sed in logica transſcendentali omnium grauiſſimum, atque adeo vnum negotium eſt, ſi de poſſibilitate ſyntheticorum ex anticipatione itemque de legibus ſermo ſit ambituque illorum valoris. Quo namque confecto prorſus poterit conſilio ſuo ſatisfacere, quod in emetiendo ambitu finibusque intelligentiae purae cernitur definiendis.

In iudicio analytico in conceptu dato immoror, vt aliquid de eo decernam. Si eſſe aiens debet, tum huic conceptui ea tantum attribuo, quae in eo iam erant cogitata; ſi negans, tum eius contrarium ab eo ſecludo. In iudiciis ſyntheticis autem datum conceptum transgredi debebo, vt quiddam prorſus alienum, atque in illo cogitaretur, cum eo in relatione quadam conſiderem, id quod proinde numquam neque eiusdem (identitatis) ratio neque deiuncti et repugnantiae erit, et in quo quidem nec veritatem, nec errorem prae ſe ferre iudicium poteſt.

Igitur conceſſo hoc: vt e conceptu dato debeas egredi eumque migrare, quo cum alio illum συνθετικῶς

compares; quiddam tertium opus erit, in quo poſſit ſola duorum conceptuum ſyntheſis exſiſtere. Sed quid eſt illud tertium, cuius interuentu fit, vt vniuerſa iudicia ſynthetica naſcantur? Cernitur illud quidem in ſolo complexu quodam, quo omnes repraeſentationes noſtrae continentur, nempe in ſenſu intimo, eiusque forma ex anticipatione, in tempore. Syntheſis repraeſentationum pendet e phantaſia, ſed vnitas ſynthetica illarum, ad iudicium neceſſaria, apta ex vnitate eſt apperceptionis. In his igitur poſſibilitas iudiciorum ſyntheticorum, et, cum tribus illis omnibus fontes contineantur repraeſentationum ex anticipatione, etiam poſſibilitas iudiciorum purorum ſyntheticorum erit quaerenda, quid? quod his de cauſis erunt neceſſaria, ſi cognitio obiectarum rerum effici debeat, quae ab ſola ſyntheſi repraeſentationum pendere videtur.

Si cui cognitioni obiectiua eſſe realitas, id eſt, ad rem referri obiectam, in eaque vis ineſſe notioque debet, neceſſe erit, vt obiecta res vlla quapiam ratione poſſit dari atque offerri. Si ſecus erit, conceptus erunt inanes, iisque cogitatum quidem eſt, reapſe autem cogitando nil quidquam cognitum, ſed repraeſentationibus tantummodo luſum. Sed obiectam rem dare, ſi iſtud non rurſus interueniente re quadam putetur, ſed proxime in viſione proponere, nihil aliud eſt, quam repraeſentationem illius ad experientiam (ſiue exſtet illa quidem et in rerum veritate appareat, ſiue certe eſſe poſſit) referre. Ipſum ſpatium tempusque, quantum cumque puri conceptus iſti ſint, ab omnique re empirica vacui, quantumque certum videatur, eos prorſus ex anticipatione in animo repraeſentari, tamen omni valore obiectiuo, omnique ſenſu virtuteque carerent, ſi vſus eorum neceſſarius non in rebus experientiae ſubiectis oſtenderetur, quid? quod repraeſentatio illorum in ſolo ſchemate verſetur, quod ad phantaſiam reproductiuam ſemper referatur, quae res experientiae obnoxias aduocet, ſine qua eorum nulla eſſe poteſtas foret; atque ita cum omni conceptu, ſine diſcrimine, comparatum videtur.

Igitur *poſſibilitate* experientiae ſola efficitur, vt omnium cognitionum noſtrarum ex anticipatione eſſe obiectiua realitas poſſit. Atqui experientia pendet ex vnitate ſynthetica viſorum, id eſt, e ſyntheſi quadam ad conceptus rei experientiae obuiae in genere, ſine qua ne cognitio quidem foret, ſed quaſi rhapſodia perceptionum, ad contextum ex legibus perpetuo coniunctae cuiusdam (quae eſſe poſſit) conſcientiae, proinde quoque ad vnitatem apperceptionis transſcendentalem et neceſſariam ineptarum. Igitur experientiae pro fundamento ſubſunt principia formae ſuae ex anticipatione, nempe leges vniuerſales vnitatis in ſyntheſi viſorum, quarum realitas obiectiua, qua conditionum neceſſariarum, ſemper poterit in experientia, vel quoad illius eſſe copia poſſit, oſtendi. Extra hanc adfectionem autem iudicia ſynthetica ex anticipatione eſſe nullo modo poſſunt, ſi quidem tertio illo, vſum purum dico, prorſus carent, in quo vnitas ſynthetica conceptuum illorum realitatem poſſit obiectiuam euincere.

Quamobrem, quamuis de ſpatio in genere figurisve, quas phantaſia productiua in ea delineat, permulta ex anticipatione in iudiciis ſyntheticis cognoſcamus, ita vt ad id reapſe nulla prorſus experientia indigeamus; tamen haec cognitio in ſola vmbra, ſpecieque inani ponenda videretur, niſi ſpatium accipi tamquam lex viſorum deberet, quibus materia efficeretur experientiae externae: ex quo fit, vt illa pura iudicia ſynthetica, licet interuentu duntaxat, ad experientiam, quae eſſe poſſit, vel potius ad ipſam illius poſſibilitatem referantur, in eaque ſola vſum ſyntheſeos obiectiuum conſtituere videantur.

Quum igitur experientia, qua ſyntheſis empirica, in poſſibilitate ſua vna illa cognitionis forma ſit, quae cuiuis alii ſyntheſi realitatem tribuat, ſequitur, vt huic, qua cognitioni ex anticipatione, eo tantum veritas (conuenientia cum re obiecta) ſit, quod nil quidquam amplius complectatur, quam id, quod ad vnitatem ſyntheticam experientiae vniuerſe neceſſarium videatur.

Ergo ſummum omnium iudiciorum ſyntheticorum hoc decretum erit: vnaquaeque res obiecta legibus ſubeſt neceſſariis vnitatis ſyntheticae variorum viſionis in experientia quadam poſſibili.

Hoc modo fit, vt eſſe poſſint iudicia ſynthetica ex anticipatione, ſi leges viſionis ex anticipatione formales, ſyntheſin phantaſiae, et vnitatem illius in apperceptione transſcendentali, ad cognitionem experientiae poſſibilem vniuerſe referamus, ita, vt dicamus: leges *poſſibilitatis experientiae* in genere eaedem quoque leges ſunt *poſſibilitatis rerum experientiae obnoxiarum*, eademque de cauſa vſum habent obiectiuum in iudicio ſynthetico ex anticipatione.

Syſtematis decretorum intelligentiae purae

SECTIO TERTIA.

Deſtriptio omnium decretorum illius ſyſtematica.

Omnino alicubi decretis locum eſſe, id ſoli tribuendum intelligentiae purae videtur, quae non ſolum in facultate legum cernitur, ratione eorum, quae fiunt, ſed in ipſo fonte decretorum, ex quo quidquid eſſe nobis obuium, tamquam oblatum, poteſt, neceſſario legibus ſubeſt, quia, ſine iis, viſis numquam competere cognitio poterit oblatae rei ipſis aptae et conſentaneae. Ipſae leges naturae, ſi pro decretis vſus empirici intelligentiae accipiuntur, in ſe habent ſimul vim neceſſitatis, proinde ſuſpicionem certe determinationis ex principiis, quibus ex anticipatione, atque ante omnem experientiam eſſe locus videtur. Sed omnes omnino naturae leges altioribus ſubſunt decretis intelligentiae, quia haec tantum ad ſingulares caſus viſorum transferunt. Itaque his ſolis efficitur, vt conceptus exſiſtat, quo conditio quaſique exponens regulae comprehenditur, ſed experientia caſum largitur, qui legi ſubeſt.

Nec vero metuendum erit, ne decreta mere empirica pro decretis intelligentiae purae, vel vice verſa accipias: ſi quidem neceſſitas ex conceptibus, qua poſte-

riora decreta egregie internoſcuntur, cuiusque defectus in quouis enunciato empirico, vtcumque late vſus eius pateat, facile animaduertitur, iſti commutationis errori commode cauebit. Sunt autem decreta pura ex anticipatione, quae nihilominus intelligentiae purae propria nolim tribuere, eo quod non e conceptibus puris, ſed e viſionibus puris (quamquam interueniente intelligentia) ducta videntur; ſed intelligentia poſita eſt in facultate conceptuum. Eiusmodi decreta in matheſi obuia ſunt, quorum tamen vſus in experientia, proinde valor obiectiuus, quin poſſibilitas talis cognitionis ſyntheticae ex anticipatione (deductio illius), non niſi in intelligentia pura poſitus videtur.

Quocirca mathematicorum decreta non in meis decretis numerabo, exceptis tamen iis, quibus decretorum mathematicorum et poſſibilitas nititur, et valor obiectiuus ex anticipatione, quaeque proinde qua principia poſſunt horum decretorum ſpectari, atque a conceptibus ad viſionem, non autem a viſione ad conceptus proficiſcar.

In adhibendis conceptibus puris intelligentiae ad experientiam poſſibilem vſus ſyntheſeos illorum vel *mathematicus* eſt, vel *dynamicus:* namque partim ad ſolam *viſionem* ſpectant, partim ad *exſiſtentiam* viſionis vniuerſe. Sed viſionis leges ex anticipatione ratione experientiae cuiusdam poſſibilis prorſus neceſſariae ſunt, ſed leges exſiſtentiae rerum poſſibili viſioni empiricae ſubiectarum per ſe fortuitae videntur. Ex quo efficitur, vt decreta vſus mathematici ſimpliciter abſoluteque neceſſario, hoc eſt, *ἀποδεικτικῶς* enuncient: ſed decreta vſus dynamici propriam illa quidem notam neceſſitatis ex anticipatione, ſed tantum cum adiunctione cogitationis empiricae in experientia quadam, proinde ex interuentu quodam et cum circuitione atque anfractu (indirecte), ideoque non illam proximam propriamque euidentiam comprehendent (ſalua tamen firmitate illorum ad experientiam vniuerſe relata), quae illis propria eſt. Sed haec in fine huius diſciplinae decretorum melius poterunt diiudicari.

Ac tabula categoriarum quidem per naturam re nos quaſi manu ducit ad tabulam decretorum; quippe quibus nihil quidquam continetur aliud, quam leges vſus obiectiui illarum. Proinde omnia decreta intelligentiae purae erunt:

I.
AXIOMATA
viſionis.

II.
ANTICIPATIONES
perceptionis.

III.
ANALOGIAE
experientiae.

IV.
POSTULATA
cogitationis empiricae vniuerſe.

Has denominationes diligenter delegi, vt diſcrimina ratione et euidentiae, et vſus horum decretorum paterent. Sed mox elucebit, cum quoad euidentiam, tum quoad determinationem viſorum ex anticipatione ad categorias quantitatis et qualitatis (ſi ad ſolam formam poſteriorum reſpexeris) decreta illarum in eo a duobus reliquis nominatim diſcerni; dum illa intuitiua, haec tantummodo diſcurſiua, quamquam vtraque perfecta certitudine, pollent. Propterea illa *mathematica* decreta, haec autem *dynamica* nominabo. *) Sed facile animad-

*) Omnis *coniunctio* cernitur vel in *compoſitione*, vel in *nexu*. Compoſitio verſatur in ſyntheſi variorum non *neceſſario ad ſe inuicem* pertinentium, velut duo illa triangula ex quadrato orta, per lineam diagonalem diuiſo, per ſe non neceſſario ad ſe inuicem pertinent, cuiusmodi eſt ſyntheſis *homogenei* in iis omnibus, quae *mathematice* poſſunt conſiderari (quae quidem ſyntheſis rurſum in ſyntheſin *adgregationis* et *coalitionis* diuidi poteſt, quarum illa quantitates *extenſiuas* ſpectat, haec *intenſiuas*). Sed *nexus* ſyntheſi variorum continetur, quatenus ea *neceſſario ad ſe inuicem* pertinebunt, velut accidens ad ſubſtantiam quampiam, aut effectum ad cauſam, — proinde etiam, qua *heterogeneum*, ſed ex anticipatione con-

vertetur, memet decreta matheſeos ab vna parte aeque minus, atque ab altera decreta vniuerſalis (phyſicae) dynamices, ſed ſola decreta intelligentiae purae in adfectione ad ſenſum intimum (ſine diſcrimine repraeſentationum in iis datarum) ſpectare, quo quidem fit, vt illa omnia et ſingula eſſe poſſe videantur. Itaque ſic eas appello magis ratione vſus, quam propter eorum materiam, ad eorumque nunc contemplationem eodem ordine, quo in tabula ſunt propoſita, accedo.

1.

AXIOMATA VISIONIS.

Summum illorum decretum hoc eſt: *omne phaenomenon in quantitatibus verſatur extenſiuis.*

Probatio.

Omnia viſa ſiue phaenomena, quoad formam, continent viſionem in ſpatio ac tempore, quae iis omnibus ex anticipatione ſubſunt pro fundamento. Quocirca non alio modo poſſunt apprehendi, id eſt, a conſcientia empirica accipi, quam per ſyntheſin variorum, qua repraeſentationes certi ac definiti ſpatii temporisque gignuntur, hoc eſt, compoſitione homogenei cum conſcientia vnitatis ſyntheticae horum variorum (homogeneorum). Atqui conſcientia variorum homogeneorum in viſione generatim, quatenus ea fit, vt obiectae rei eſſe demum repraeſentatio poſſit, notione quanti continetur. Ergo ipſa perceptio rei obiectae, prout viſi, ſola illa vnitate ſynthetica variorum eſſe poteſt in data viſione ſenſitiua, qua vnitas compoſitionis variorum homogeneorum in notione *quantitatis* cogitatur; id eſt, viſa omnino omnia in quantis, et quantis quidem extenſiuis, verſantur, ſi

iunctum repraeſentatur, quam coniunctionem quidem, quoniam non ex arbitrio pendet, ideo *dynamicam* voco, quod coniunctionem ſpectat *exſiſtentiae* variorum (quae iterum in *phyſicam* viſorum inter ſe inuicem, et in *metaphyſicam*, in coniunctionem eorum in facultate cognoſcendi ex anticipatione, poterit diſpeſci).

quidem illa, tamquam viſa in ſpatio ac tempore, per eandem ſyntheſin, neceſſe eſt, vt repraeſententur, quippe qua ſpatium tempusque generatim determinentur.

Quantitatem extenſiuam eam dico, cuius vniuerſae repraeſentatio partium ſuarum ſingularum repraeſentationibus efficitur (quae proinde neceſſario has antecedit). Nullam poſſum lineam, quantulam illam cumque, cogitare, niſi antea mente eam et cogitatione duxero, id eſt, ex vno puncto cunctas partes paullatim produxero, eoque demum hancce viſionem deſcripſero. Pariter etiam cum quoque vel minimo tempore comparatum videtur. Namque in eo cogito modo progreſſum ſucceſſiuum ab vno momento ad alterum, vbi ex omnibus temporis partibus, earumque additione definita demum temporis quantitas enaſcitur. Quum ſola viſio in omnibus viſis vel in ſpatio vel in tempore cernatur, relinquitur, vt quodque viſum, qua viſio ſpectata, in quantitate extenſiua verſetur, propterea quod non niſi per ſyntheſin ſucceſſiuam (a parte ad partem) in apprehenſione cognoſci poſſe videatur. Quocirca vniuerſa viſa iam qua congregata (multitudo partium ante datarum) conſpiciuntur, id quod non ſemper in quaque quantorum parte accidit, ſed in iis duntaxat, quae tamquam quanta extenſiua repraeſentantur atque apprehenduntur.

Atque in hac ſyntheſi ſucceſſiua phantaſiae productiuae in generandis figuris matheſis extenſorum (geometria) cum axiomatibus ſuis nititur, quae leges enunciant viſionis ſenſitiuae ex anticipatione, quibus ſolis fit, vt ſchema conceptus puri viſi externi conſtitui poſſe videatur; velut inter duo puncta non niſi vna recta eſſe linea poteſt; duabus lineis rectis nullum ſpatium includitur, et quae ſunt generis eiusdem. Atque haec ſunt axiomata illa, quae proprie quanta, qua talia, ſpectare videntur.

Quod vero quantitatem attingit, id eſt, reſponſionem ad interrogationem, quam magnum ſit aliquid, notandum erit, hoc reſpectu proprie nulla axiomata eſſe, quamquam horum enunciatorum non nulla συνθετικῶς

et proxime abſoluteque certa (indemonſtrabilia) videantur. Namque, vt aequale aequali additum deductumve, aequale efficiat, in pronunciatis analyticis eſt, ſi quidem identitatis vnius quantitatis producendae cum alterius proxime mihimet conſcius ſum: ſed axiomata in enunciatis eſſe debent ſyntheticis ex anticipatione. E contrario pronunciata euidentia proportionis numerorum ſane quidem in ſyntheticis erunt, ſed non vniuerſalibus, vti enunciata geometrarum, eademque de cauſa non in axiomatibus, potiusque poſſunt formulae numerorum vocari. 7+5=12 eſſe, non ἀναλυτικῶς enunciatur. Namque in repraeſentatione numeri neque ſeptenarii, neque quinarii, neque in repraeſentatione compoſitionis numeri vtriusque numerum 12 cogito (hunc in additione vtriusque cogitari debere, hic non quaeritur; nam in enunciato analytico tantum quaeſtio ſub contemplationem cadit, an attributum reapſe in repraeſentatione ſubiecti cogitem). Quod quamquam ſyntheticum eſt, tamen pronunciatum ſingulare eſt. Quatenus hic tantum ſyntheſis ſpectatur homogenei (vnitatum), poterit vno duntaxat modo ſyntheſis fieri, quamquam *vſus* horum numerorum deinde vniuerſalis erit. Sic ſi enuntio: tribus lineis, quarum duae coniunctae tertia ſint maiores, deſcribi triangulum poteſt; adeſt hic ſola functio phantaſiae productiuae, qua lineae poſſunt maiores minoresue duci, item ad varios pro lubito angulos concurrere. Contra ea vero et numerus 7, et numerus 12, qui per ſyntheſin ex illo et 5 naſcitur, vno tantum eſſe modo poteſt. Talia pronunciata non ſunt axiomata (quippe quorum tunc vis infinita foret), ſed formulae numerorum dicenda ſunt.

Atque hoc decretum transſcendentale matheſeos viſorum cognitionem noſtram ex anticipatione admodum dilatat atque amplificat. Namque illo ſolo efficitur, vt matheſis pura in omni ſubtilitate ſua ad res experientiae obuias ſubiectasque poſſit adhiberi, quod ipſum per ſe ſine hoc decreto non ita planum foret, quid? quod ſubinde anſam contradicendi dederat. Viſa ſeu phaenomena non ſunt res ipſae per ſe (ὄντως ὄντα), neque pro-

priam quandam habent declarationem earum rerum, quae videntur. Viſio empirica per ſolam eſſe puram (ſpatii et temporis) poteſt: quidquid igitur geometria de hac enunciat, valet etiam de illa ſimpliciter abſoluteque, neque quaeri exitus poterit in eo, ac ſi res ſenſibus obnoxiae non eſſe conſentaneae debeant legibus conſtructionis in ſpatio (veluti rationi linearum angulorumue infinite diuiduorum). Quippe quo cum ſpatio, tum vniuerſae matheſi valor obiectiuus derogatur, neque ſciri amplius poterit, cur et quatenus ea ad viſa poſſit transferri. Syntheſi ſpatiorum ac temporum, quibus forma continetur neceſſaria omnium viſorum, efficitur, vt ſimul apprehenſio viſorum, proinde omnis experientia externa, ideoque omnis cognitio rerum illi ſubiectarum eſſe poſſit, et quod matheſis in vſu puro de illa euincit, idem etiam neceſſario de hac valebit. Omnia ea, quae contra dicuntur, in artibus et dolis poſita ſunt rationis falſo edoctae, quae opinionis errore res ſenſibus ſubiectas a lege formali ſenſus noſtri cupit liberare, easque, quantumuis in meris viſis verſentur, vt res per ſe tales, quales videntur (ὄντως ὄντα), intelligentiae datas oblatasque, proponit; quo quidem poſito ſane nil quidquam earum poſſet ex anticipatione, proinde quoque e conceptibus puris ſpatii, συνθετικῶς cognoſci, et doctrina, qua hi definiuntur, geometriam dico, ipſa non eſſe poſſe videretur.

2.

ANTICIPATIONES PERCEPTIONIS.

Summum illarum decretum hoc eſt: In omnibus *viſis reale* illud,quod obnoxium ſenſationi eſt, quantitatem intenſiuam, id eſt, quendam gradum habet.

Probatio.

Perceptio cernitur in conſcientia empirica, id eſt, ea, cui ſimul ineſt ſenſatio. Viſa, qua res perceptioni ſubiectae non in puris (ſolum formalibus), vt ſpatium et tempus, conſiſtunt (quippe quae per ſe neutiquam perci-

pi poſſunt). Itaque iis praeter viſionem etiam materia illius omnino cuiuspiam obiectae rei continetur (qua aliquid in ſpatio vel tempore apparens repraeſentatur), hoc eſt, reale ſenſationis, tamquam repraeſentatio mere ſubiectiua, qua tantum eſſe conſcii poſſumus eſſe motum ſubiectum adfectumque, quamque ad obiectam rem vniuerſe referimus. Iam ab empirica conſcientia ad puram mutatio eſſe poteſt magnitudine et quaſi gradibus variata atque diſtincta, vbi reale eius prorſus euaneſcit, ſolaque formalis conſcientia (ex anticipatione) variorum in ſpatio et tempore relinquitur; proinde quoque ſyntheſis magnitudinis producendae ſenſationis, inde ab eius origine, viſione pura = o, vsque ad certam magnitudinem illius arbitrariam. Cum igitur ſenſatio per ſe in nulla prorſus repraeſentatione obiectiua verſetur, in eaque neque ſpatii viſio, neque temporis inſit, cogitur, vt non extenſiua illa quidem, ſed quaedam tamen quantitas (et quidem per apprehenſionem illius, in qua conſcientia empirica in certo quodam tempore inde a nihilo = o ad datam menſuram eius creſcendi acceſſionem habere poſſit, proinde intenſiua quantitas) competat, cui vniuerſis rebus perceptioni obnoxiis conſentanea, quatenus hac ſenſatio continetur, intenſiua quantitas, id eſt, adfectionis contagionisque cum ſenſu gradus, tribuenda videatur.

Omnis cognitio, qua, quae ad cognitionem empiricam pertinent, ex anticipatione cognoſci poſſunt ac definiri, dici anticipatio poterit, et ſine dubio eamdem vim poteſtatemque Epicurus verbo tribuit *προλήψεως*. Cum autem in viſis inſit aliquid, quod numquam queat ex anticipatione cognoſci, et quo proinde etiam verum diſcrimen empiricam inter et anticipatam cognitionem efficiatur, ſenſationem dico (vt perceptionis materiam), ſequitur, vt haec proprie illud ſit, quod non anticipari poſſe videatur. E contrario determinationes puras in ſpatio ac tempore, tam ratione figurae, quam magnitudinis, anticipationes viſorum poſſemus appellare, eo quod iis ea ex anticipatione repraeſentantur, quaecumque ex adſumto (a poſteriori) vſpiam dari in experientia

poterunt atque offerri. Fac autem, eſſe tamen aliquid, quod in quaque ſenſatione, qua ſenſatione in genere (etiam ſi nulla data ſingularis fuerit), ex anticipatione poſſit cognoſci; tum hoc ſenſu eminentiori dici anticipatio mereret, ſi quidem mirum videtur, experientiam in eo anteuerti, quod idem ipſum ſpectet illius materiam,. ex ea ſola hauriendam. Atque ita vere hoc loco comparatum eſt.

Apprehenſio, ſolius ope ſenſationis, duntaxat punctum temporis explet (nempe haud conſiderata multarum ſenſationum ſucceſſione). Igitur quatenus ea eſt aliquid in viſo, cuius apprehenſio non poſita eſt in ſynthesi, a partibus ad totam repraeſentationem progrediente, quantitate extenſiua caret; defectus ſenſationis in illo puncto temporis hoc repraeſentaret tamquam vacuum atque inane, proinde = o. Id quod in viſione empirica ſenſationi conſentaneum eſt, realitas phaenomenon erit; id quod defectui reſpondet, negatio = o Atqui quaeque ſenſatio deminutionis capax eſt, ita, vt decreſcere et ſic paullatim euaneſcere queat. Ergo inter realitatem in viſo et negationem nexus intercedit continuus multarum poſſibilium ſenſationum interiectarum, quarum diſcrimen ab ſe inuicem ſemper minus erit diſcrimine illo, quod eſt inter datam et = o, ſiue plenam negationem. Hoc eſt: reale in viſo ſemper magnitudinem habet, quae vero non ineſt in apprehenſione, quippe quae intercedente ſenſatione ſola in puncto temporis fit, non ex ſynthesi ſenſationum multarum, ideoque non a partibus ad totum progreditur. Itaque quantitatem illud quidem habet, ſed non extenſam.

Atqui eam quantitatem, quae modo, qua vnitas apprehenditur, et in qua multitudo ſola ad negationem = o appropinquatione repraeſentatur, quantitatem *intenſiuam* appello. Ergo cuique realitati in viſo quantitas intenſiua, id eſt, gradus ineſt. Quae quidem realitas ſi vt cauſa (ſiue ſenſationis, ſiue alius realitatis in viſo, veluti mutationis) conſideratur, realitatis gradus vt cauſae dicitur momentum, velut momentum grauitatis,

idque propterea, quod gradu tantummodo quantitas deſignatur, cuius apprehenſio non ſucceſſiua eſt, ſed momentanea. Id quod autem hic in praetereundo attingo, ſi quidem hic nondum locus eſt de cauſalitate tractandi.

Quocirca quaeque ſenſatio, proinde quoque quaeque realitas in viſo, quantula illa cumque ſit, gradum, hoc eſt, quantitatem intenſiuam habet, quae vsquequaque poteſt minui, et inter realitatem et negationem contextus eſt continuus poſſibilium realitatum, minorumque perceptionum poſſibilium. Omnis color, vt ruber, gradu gaudet quodam, qui quantulus cumque ſit, numquam tamen minimus erit, et ſic cum calore, cum momento grauitatis, et ſimilibus vbique comparatum videtur.

Ea quantitatum proprietas, qua ſit, vt nulla pars in iis, quoad eius fieri poteſt, minima (nulla pars ſimplex) ſit, continuitas earum vocatur. Spatium tempusque quanta continua ſunt, quoniam nulla pars eorum dari poteſt atque offerri, ita, vt ne intra fines illa (puncta et momenta) includatur, proinde tantum ſic, vt illa pars ipſa itidem ſpatium aliquod tempusue videatur. Itaque ſpatium duntaxat ſpatiis, temporibus tempus conſtat. Punctis et momentis ſoli termini efficiuntur et fines, id eſt, ſola loca eorum circumſcriptionis; ſed loca ſemper ponunt viſiones illas, quibus coërceri debent ac definiri, priores, atque e ſolis locis, tamquam partibus, quae iam ante ſpatium tempusue dari poſſent, nec ſpatium poterit nec tempus componi. Eiusmodi quantitates poſſunt etiam dici *fluentes*, ſi quidem ſyntheſis (phantaſiae productiuae) in iis producendis progreſſio in tempore eſt, cuius continuitas ſpeciatim ſolet fluxionis verbo notari.

Quamobrem omnia omnino viſa in quantitatibus verſantur continuis, cum quoad viſionem eorum, tamquam extenſiuis, tum quoad ſolam perceptionem (ſenſationem et proinde realitatem), tamquam quantitatibus intenſiuis. Si ſyntheſis variorum viſi interrupta ſit,

tum ea in complexu cernitur multorum viſorum, non proprie in viſo qua quanto quodam, quod non ſola continuata ſyntheſi productiua certi cuiusdam generis, ſed repetita ſyntheſi ſemper deſinente naſcitur. Si 13 Ioachimicos ſummam pecuniae dicam, eatenus recte dico, quatenus ea pretium marcae intelligo argenti depurati; quae autem ſane quantitas continua eſt, cuius pars nulla minima erit, ſed quaeque pars conſtituere nummum poſſet, ſemper materiam continentem minorum. Sin autem illo verbo 13 Ioachimicos rotundos intelligam, qua totidem numos (vtcumque eorum pretium ſit), tum minus commode quantum Ioachimicorum dicam, ſed ſumma dicenda erit, hoc eſt, numerus numorum. Quum igitur cuique numero vnitas ſubeſſe pro fundamento debeat, viſum qua vnitas quantum erit, et qua tale numquam non continuum.

Quodſi vniuerſa viſa, tum extenſiue, tum intenſiue ſpectata in quantis continuis verſantur, ſequitur, vt enunciatum: omnes mutationes (quae in tranſitione rei cuiusdam cernuntur e ſtatu in ſtatum) continuas eſſe, facile hoc loco et cum euidentia mathematica euinci poſſet, niſi cauſalitatis ratio mutationem in genere prorſus extra fines ſitam philoſophiae transſcendentalis, principiaque empirica poneret. Etenim eſſe cauſam poſſe, quae ſtatum rerum immutet, id eſt, eas ad rationem contrariam ſtatus dati cuiusdam determinet, de ea re nullo prorſus modo ab intelligentia ex anticipatione edocemur, non ideo tantum, quod, qui ea res fieri queat, plane haud perſpicit (quippe qua perſpicientia in pluribus cognitionum partibus ex anticipatione caremus), ſed quoniam mutabilitas certas tantum viſorum determinationes attingit, quas ſola poteſt experientia docere, cauſa illarum in immutabili latente. Cum autem hic non habeamus, quo vti poſſimus, praeter puros conceptus primos omnis, quae eſſe poſſit, experientiae, in quibus prorſus nil quidqam ineſſe debeat empirici; non poſſumus, niſi vnitatem diſciplinae laeſerimus, ſcientiam naturalem vniuerſalem certis quibusdam experientiae partibus principibus exſtructam, anteuertere.

Nec vero argumenta deſunt, quibus magna illa vis poſſit euinci huiusce decreti noſtri in perceptionibus anticipandis, atque etiam in defectu earum eatenus reſarciendo, vt omnibus falſis concluſionibus inde ducendis, quandam ea quaſi obicem obiiciat.

Si omnis realitas in perceptione gradu gaudet aliquo, quem inter et negationem infinita graduum ſucceſſio interiecta videtur, et nihilominus tamen in quoque ſenſu definitus gradus receptiuitatis ſenſationum ineſſe debet; eſſe nulla perceptio poteſt, proinde etiam experientia nulla, quae omnem defectum omnis omnino realitatis in viſo, ſiue proxime, ſiue interuentu (qua illa cumque circuitione in concludendo id fiat) euincat, id eſt, ex experientia numquam poterit ſpatii vacui, vacuiue temporis, aliquod argumentum deduci. Nam omnis omnino defectus realitatis in viſione ſenſitiua primo non poteſt ipſe percipi, nec animaduerti, deinde ex nullo vmquam viſo, gradusque diſcrimine realitatis illius concludi, neue ſumi vmquam debet ad illius explicationem. Etenim quamuis tota ſpatii temporisue definiti viſio, prorſus realis, id eſt, nulla partium ſuarum vacua ſit; tamen, quia ſuus cuique realitati gradus erit, qui haud mutata quantitate viſorum extenſiua vsque ad nihilum (vacuum) poteſt per infinitos gradus decreſcere, diuerſi gradus, quibus ſpatium tempusque repletum ſit, neceſſe eſt, infiniti videantur, in diuerſisque viſis quantitas intenſiua minor eſſe maiorue poſſit, quamquam quantitas extenſiua viſi ſit aequalis.

Atque vt apertius hoc ſit, exemplo licet vim rei cognoſcamus. Omnes fere doctores phyſici, cum permagnum diſcrimen quantitatis materiae varii generis pari volumine (partim momento grauitatis ponderisue, partim momento reniſus ad alias materias commotas) percipiant et animaduertant, vno ore inde concludunt: hoc volumen (quantitatem viſorum extenſiuam) in omnibus materiae partibus, quamquam diuerſo modo, eſſe vacuum oportere. Ecquis autem vmquam putaret, hoſce ſcrutatores naturae, maximam partem mathematicos et

mechanicos, hanc ſuam argumentationem in ſola ſumtione metaphyſica conſtituere, quam tantopere ſeſe perhibent vitare? Sumunt enim, reale in ſpatio (quod hic nec rationem imperuiam, nec pondus dixerim, cum vtrumque in conceptibus illud empiricis verſetur) vbicumque idem eſſe, neque niſi quantitate extenſiua, id eſt, multitudine et frequentia, poſſe internoſci. Ac ſumtioni huic, cuius nullum iis eſſe fundamentum in experientia poterat, quaeque ideo tota metaphyſica eſt, probationem transſcendentalem oppono, qua quidem discrimen in ſpatiis extenſis non debet enodari, ſed putatitia ſumtionis illius neceſſitas plane tollitur, qua discrimen illud ponitur non niſi ſumtis ſpatiis vacuis poſſe explanari, praeterea illa ratio noſtra hanc habet vim, vt intelligentiam certe libertati adſerat, qua etiam alio modo illa queat iſtud discrimen cogitare, ſi enodatio phyſica fortaſſe hypotheſin quandam requirere videatur. Tum enim videmus, licet ſpatia aequalia tota ſint variis materiis repleta, ita vt neutrius punctum ſit, in quo non ea praeſens videatur, tamen cuique reali eadem qualitate gradum quendam ineſſe (reniſus), qui, quantitate extenſiua, ſiue multitudine haud imminuta, infinite minor eſſe queat, antequam in vacuum tranſeat atque euaneſcat. Sic expanſio ſpatium quoddam explens, veluti calor, pariterque quaeuis alia realitas (in viſo), ne minima quidem ſpatii parte vacua manente, gradibus infinite poteſt decreſcere, et nihilominus tamen his minoribus gradibus ſpatium perinde explere, atque aliud viſum quoddam maioribus. Neque tamen haec ita dico, vt reapſe haec ratio diuerſitatis materiarum ſit, quoad grauitatem illarum ſingularem ſiue ſpecificam, ſed vt ex decreto intelligentiae euincam, natura perceptionum noſtrarum effici, vt talis eſſe enodandi ratio poſſit, falſoque reale viſi quoad gradum ſumi pro aequali, et quoad congregationem eiusque quantitatem extenſiuam diverſum, atque hoc adeo, vti perhibent, ex decreto intelligentiae praeſumto adſeri.

Nihilominus in hac anticipatione perceptionis aliquid ineſt, quod ſcrutatorem ad transſcendentalem it-

lam adſuetum, eaque re cautum factum ſemper quodammodo offendat, dubiumque reddat aliquantum de eo, quod pronunciatum tale ſyntheticum, quale iſtud de gradu cuiusque realis in viſis, et proinde de poſſibilitate diſcriminis interni ſenſationis ipſius, ſi ab omni illius qualitate empirica cogitationem abduxeris, anticipare videtur. Quamobrem operae pretium erit quaerere: quomodo intelligentia in eo de phaenomenis poſſit συνθετικῶς ex anticipatione enunciare, eaque in iis, quae proprie et mere empirica ſunt, nempe quae ſenſationem attingunt, anticipare.

Qualitas ſenſationis ſemper eſt tantum empirica, neque ex anticipatione poteſt repraeſentari, veluti colores, ſapores et ſimilia. Sed reale illud, quod ſenſationibus generatim reſpondet, negationi =o oppoſitum, duntaxat aliquid repraeſentat, cuius conceptu quiddam eſſe continetur, nihilque aliud, quam ſyntheſis in conſcientia empirica generatim denotatur. Nimirum in ſenſu intimo conſcientia empirica ab o vsque ad quemque maiorem gradum creſcere poteſt atque augeri, ita, vt eadem extenſiua quantitas viſionis (veluti area colluſtrata) tantam ſenſationem excitet, quantam ſumma quaedam multarum aliarum (arearum minus colluſtratarum) coniunctarum. Igitur ab extenſiua viſi quantitate prorſus cogitationem auocare poſſumus, et tamen in ſola ſenſatione momento quodam quandam ſyntheſin auctionis aequalis inde ab o vsque ad datam conſcientiam empiricam nobis repraeſentare. Quocirca cunctae ſenſationes, qua tales, tantum a poſteriori datae ſunt ac propoſitae, ſed earum proprietas, qua quendam gradum habent, ex anticipatione poteſt cognoſci. Ac dignum notatu eſt, in quantitatibus omnino ex anticipatione vnam tantum *qualitatem*, nimirum continuitatem, in omni qualitate autem (reali viſorum) nil quidquam amplius ex anticipatione, quam *quantitatem* illius intenſivam, quippe quod iis quidam gradus ſit, nos poſſe cognoſcere; reliqua omnia experientiae relinquentur.

3.

ANALOGIAE EXPERIENTIAE.

Summum earum decretum hoc eſt: *Experientia eſſe poteſt ſola repraeſentatione coniunctionis neceſſariae perceptionum.*

Probatio.

Experientia in cognitione verſatur empirica, id eſt, ea cognitione, quae perceptionibus obiectam rem determinat ac definit. Itaque illa cernitur in ſyntheſi perceptionum, non ipſa quidem perceptione complexa, ſed vnitatem ſyntheticam variorum illius in vna conſcientia complectente, et eſſentiale cognitionis rerum ſenſui ſubiectarum, id eſt, experientiae (non viſioni ſoli ſenſationiue ſenſuum) conſtituente. Iam in experientia perceptiones tantummodo fortuito conueniunt, ita vt nulla coniunctionis illarum neceſſitas ex ipſis repraeſentationibus pateat, neque patere queat, quoniam apprehenſio duntaxat variorum viſionis empiricae compoſitio eſt, nulla vero repraeſentatio neceſſitatis exſiſtentiae viſorum coniunctae ab ea compoſitorum, in ſpatio ac tempore deprehenditur. Cum autem experientia in cognitione obiectarum rerum ex perceptionibus cernatur, proinde relatio in exſiſtentia variorum, non vti in tempore componuntur, ſed vti obiectiue in tempore ſunt, in ea repraeſentari debeat, tempus ipſum autem percipi haud poſſit; ſequitur, vt determinatio exſiſtentiae rerum obiectarum in tempore ſola earum coniunctione in tempore generatim, proinde non niſi conceptibus ex anticipatione coniungentibus, effici poſſe videatur. Quae cum ſemper neceſſitatem in ſe contineant, relinquitur, vt experientia ſola eſſe per repraeſentationem poſſit neceſſariae coniunctionis perceptionum.

Tres illi modi temporis *perpetuitate* ſiue conſtantia efficiuntur, *ſucceſſione*, et *ſimultaneorum ratione* (coëxſiſtentia). Igitur tres leges omnium temporis adfectionum in viſis, quibus cuiusque exſiſtentia ratione vnitatis temporis vniuerſi determinari poterit, ante omnem

experientiam praecedent, iisque fiet demum, vt haec eſſe poſſit.

Sed vniuerſale illud omnium trium analogiarum decretum in vnitate conſiſtit neceſſaria apperceptionis, ratione cuiusque, quae eſſe poteſt, conſcientiae empiricae (perceptionis) omni *tempore*, proinde, quum illa ex anticipatione pro fundamento ſubſit, vnitate ſynthetica omnium viſorum ſecundum relationem illorum in tempore. Namque apperceptio originaria ad ſenſum internum (complexum omnium repraeſentationum) refertur, et quidem ex anticipatione ad formam illius, id eſt, ad relationem conſcientiae variae empiricae in tempore. In apperceptione originaria autem omnia illa varia, ad temporis relationes, debent coniungi; nam hoc vnitas transſcendentalis eorum ex anticipatione enunciat, cui ſubſunt omnia, quae ad meam (id eſt, propriam) cognitionem ſpectare debent, adeoque mihi poterunt offerri. Atque haec *vnitas ſynthetica* in relatione temporis omnium perceptionum ex anticipatione definita, lex eſt: omnes determinationes temporis empiricas legibus ſubeſſe vniuerſalis temporis determinationis oportere; et, analogias experientiae, de quibus iam tractamus, in eiusmodi, neceſſe eſt, legibus videri.

His decretis haec ineſt peculiaris ratio, vt haud viſa illa quidem, eorumque empiricae viſionis ſyntheſin, ſed ſolam *exſiſtentiam*, *relationemque* ad ſe inuicem illorum reſpectu huius eorum exſiſtentiae, contemplentur. Iam modus, quo aliquid in viſo apprehenditur, ex anticipatione ita poterit definitus eſſe, vt lex ſyntheſeos illorum ſimul etiam hanc viſionem ex anticipatione in quouis praeſenti exemplo empirico offerat, id eſt, inde eam efficere videatur. Sed exſiſtentia viſorum non poteſt ex anticipatione cognoſci, et quamquam hac via duci eo poſſemus, vt quampiam exſiſtentiam concludendo efficeremus, eam tamen definite haud cognoſceremus, id eſt, id, quo viſio illius empirica ab aliis videretur diſtincta, non poſſemus anticipare.

Ac ſuperiora illa decreta, quae mathematica dixi, eo quod iis fieret, vt a matheſi poſſent ad viſa adhiberi, viſa attingebant quoad ſolam eorum poſſibilitatem, et docebant, quomodo cum ratione viſionis eorum, tum quoad reale perceptionis, ad normam legum ſyntheſeos mathemathicae gigni poſſent; quamobrem tum in illa, tum in hac quantitates numerorum, cum iisque determinatio viſi qua quantitatis, poſſint adhiberi. Sic, exempli gratia, gradum ſenſationum luminis ſolaris 200000 fere colluſtrationibus lunaribus componere potero, atque ex anticipatione finite dare, id eſt, quod dicunt, conſtruere. Quocirca illa ſuperiora decreta poterimus conſtitutiua nominare.

Longe ſecus autem, neceſſe eſt, cum iis comparatum ſit, quibus viſorum exſiſtentia ex anticipatione legibus ſubiicienda videtur. Quae enim cum conſtrui nequeat, ſequitur, vt ea ſolam ſpectent exſiſtentiae adfectionem, et non eſſe niſi in principiis regulatiuis poſſint. Hic igitur neque de axiomatibus, neque de anticipationibus cogitandum eſt, ſed, ſi perceptio nobis in relatione quadam temporis ad alias (quamquam indefinitas) data fuerit; non poterit ex anticipatione dici, quae alia quamque magna perceptio, ſed quomodo quoad exſiſtentiam, in hocce temporis modo, cum illa neceſſario coniuncta videatur. In philoſophia longe quiddam aliud diuerſum analogiae ſunt, atque in matheſi. In hac enim illae in formulis verſantur, quae duarum quantitatis proportionum aequalitatem enunciant, ſemperque *conſtitutiuae* ſunt, ita, vt, datis tribus proportionis membris, eo quoque quartum detur, id eſt, vt conſtrui poſſe videatur. In philoſophia autem analogia non in aequalitate duarum proportionum quantitatiuarum, ſed qualitatiuarum cernitur, vbi ex tribus membris datis *relationem* tantum, ad quartum quoddam, non autem hoc quartum membrum ipſum cognoſcere poſſum atque ex anticipatione dare, ſed ſane quidem normam habeo, qua quaeri illud in experientia poſſit, notamque, qua queat inueniri. Igitur analogia experientiae duntaxat in lege verſabitur, ad cuius normam e perceptionibus vnitas

experientiae (non quomodo ipſa perceptio, vt viſio empirica in genere) exſiſtat, et tanquam *decretum* de rebus oblatis (phaenomenis) non *conſtitutiuum*, ſed tantum *regulatiuum* valebit. Idem vero etiam in poſtulatis cogitationis empiricae vniuerſe locum habebit, quae ſyntheſin ſolius viſionis (formae viſi), et perceptionis (materiae illius) experientiaeque (relationis harum perceptionum) ſimul ſpectant, nempe vt decreta ſint duntaxat regulatiua, a mathematicisque, quae in conſtitutiuis verſantur, diuerſa, non quidem quoad firmitatem et certitudinem, quae in vtrisque ex anticipatione conſtat, ſed in parte tamen euidentiae, id eſt, in ratione intuitiua illius (proinde etiam in demonſtratione).

Quae autem de omnibus decretis ſyntheticis monuimus, ea quoque hoc loco inprimis notari debebant, nempe his analogiis, non vt decretis vſus transſcendentalis intelligentiae, ſed ſolius empirici, locum ſolamque vim et virtutem eſſe, proinde etiam eas qua tales tantum poſſe euinci, igitur viſa ad categorias haud ſimpliciter debere, ſed ad ſola earum ſchemata adſumi. Etenim ſi res obiectae illae, ad quas referri haec decreta debent et adhiberi, res per ſe tales forent, quales videntur (ὄντως ὄντα); fieri nullo pacto poſſet, vt quidquam earum ex anticipatione συνθετικῶς agnoſceretur. Atqui illis nihil aliud ſubiectum eſt, quam viſa, quorum plena cognitio, quam vniuerſa decreta ex anticipatione demum debent ſpectare, in ſola poſita eſt, quae eſſe poteſt, experientia: ergo illa nil quidquam niſi leges vnitatis poterunt cognitionis empiricae in ſyntheſi viſorum ſpectare; ſed haec duntaxat in ſolo ſchemate conceptus puri intelligentiae cogitatur, quarum vnitatis quidem, vtpote ſyntheſeos cuiusdam vniuerſe, in categoria ad nullam legem adſtricta ſenſitiuam functio tenetur complexa. Igitur hiſce decretis licebit, vt viſa tantum ad analogiam quandam cum vnitate illa conceptuum logica et vniuerſali componamus, ideoque in ipſo quidem decreto categoria vtemur, in explicatione autem (in vſu ad phaenomena) ſchema illorum, tamquam clauem vſus eorum, in locum huius, vel illi potius, qua legem adſtrin-

gentem, quam formulam ſuperioris dicemus, ad latus ponemus.

A.

ANALOGIA PRIMA.

Decretum conſtantiae ſubſtantiarum.

In omni viſorum viciſſitudine permanet ſubſtantia, quantumque illius in natura rerum nec augetur, nec minuitur.

Probatio.

Omnia viſa exſtant in tempore, in quo, vt ſubſtrato ſuo (tamquam forma viſionis intimae perpetua et permanente) cum *ſimultaneorum* ratio, tum *conſequentium* ſola poteſt repraeſentari. Ergo tempus, in quo omnis viſorum debet viciſſitudo cogitari, manet conſtans nec fluit neque variatur; ſi quidem eſt, id, in quo ſuccedentium ratio et ſimultaneorum, tantum qua determinatio illius poteſt repraeſentari. Atqui tempus per ſe non percipi poteſt, nec animaduerti. Ergo in rebus perceptioni obnoxiis, id eſt, in viſis, neceſſario debebit ineſſe ſubſtratum, quo tempus vniuerſe repraeſentatur, atque in quo omnis ſucceſſio et ſimultanea ratio ex adfectione viſorum ad illam in apprehenſione queat percipi. Iam cuiuscumque realis ſubſtratum, hoc eſt, eorum, quae ad exſiſtentiam rerum pertinent, in *ſubſtantia* cernitur, in qua, quae ad exſiſtentiam pertinent, cuncta tantum qua determinatio poterunt cogitari. Ergo perpetuum illud et conſtans, quo ſolo fit, vt omnes temporis relationes viſorum definiri queant, ſubſtantia continetur in viſo, id eſt, illius reali, quod qua ſubſtratum cuiusque viciſſitudinis ſemper idem permanet. Quae cum quoad exſiſtentiam variari nequeat, ſequitur, vt quantum etiam illius nec augeri poſſit, nec minui.

Noſtra variorum in viſis apprehenſio ſemper ſucceſſiua, et proinde varians eſt. Quocirca ea ſola numquam poſſumus ſtatuere, vtrum varietas illa, tamquam res experientiae ſubiecta ſimul ſit, an ſuccedat, niſi illi

ſubſit aliquid, quaſi fundamentum aliquod, quod *ſemper ſit*, id eſt, quod maneat, quodque *perpetuum* conſtet, cuius omnis viciſſitudo et ſimultanea ratio nil niſi totidem modi temporis, quibus perpetuum exſtat, videantur. Itaque in ſolo illo perpetuo eſſe relationes temporis poſſunt (ſolo enim in tempore relationes in ratione ſimultanea et ſucceſſione verſantur), id eſt, perpetuum illud et conſtans cernitur in ſubſtrato repraeſentationis empiricae temporis ipſius, in quo eſſe ſolo poteſt omnis determinatio temporis. Notione perpetui omnino tempus, tamquam conſtans illud correlatum cuiusque viſorum exſiſtentiae, cuiusque viciſſitudinis et concomitantiae deſignatur. Namque viciſſitudo tempus ipſum non attingit, ſed tantum viſa in tempore (quemadmodum ſimultanea ratio non in modo ineſt ipſius temporis, quippe in quo nullae prorſus partes ſimul ſunt, ſed omnes aliae poſt alias ſequentes). Quodſi ipſi tempori velis ſucceſſionem attribuere, aliud praeterea tempus cogitare debebis, in quo haec eſſe ſucceſſio poſſit. Solo illo perpetuo efficitur, vt in diuerſis partibus ſeriei temporis ſucceſſiue exſiſtentiae *quantitas* accedat, quam *durationem* vocamus. Namque in ſucceſſione ſola exſiſtentia ſemper fugiens eſt et incipiens, neque vmquam vel minima quantitate gaudet. Itaque ſine hoc perpetuo nulla relatio temporis erit. Atqui per ſe ipſum non poteſt tempus percipi; proinde hoc perpetuum in viſis in ſubſtrato omnium temporis determinationum verſatur, ergo etiam conditio illud erit, qua fit, vt eſſe poſſit vnitas vniuerſa perceptionum, id eſt, experientiae, atque in hocce perpetuo omnis et exſiſtentia et viciſſitudo in tempore tantum qua modus exſiſtentiae eius, quod permanet et conſtat, conſiderari poteſt. Ex quo perſpicuum eſt, in omnibus viſis perpetuum verſari in ipſa re obiecta, id eſt, ſubſtantia (phaenomeno), omnia ea vero, quae variantur vel variari poſſunt, tantum ad modum pertinere, quo haec poſſit ſubſtantia exſtare, proinde ad determinationes illius.

Video, non tantum philoſophum, ſed ipſam intelligentiam communem omnibus temporibus perpetuum

illud et conſtans, tamquam ſubſtratum cuiusque viſorum mutationis ſumſiſſe, atque etiam ſemper vt indubitatum ſumturos eſſe, hoc tamen discrimine, vt philoſophum videas ea de re accuratius diſſerere, dum dicat: in omnibus mundi mutationibus *ſubſtantia* manet, ſed *accidentia* mutantur. Verum huius enunciati tantopere ſynthetici nuspiam vel modo periculum probationis cuiusdam inuenio, quin etiam admodum raro, quod tamen illi competit, in fronte conſpicitur legum naturae purarum atque ex anticipatione firmarum. Ac reapſe quidem pronunciatum hoc, ſubſtantiam perpetuam eſſe, idem per idem enunciat. Etenim in ſola hac perpetuitate cauſa latet, quare categoriam ſubſtantiae ad viſum transferamus, ac debuiſſet euinci, in omnibus viſis aliquid perpetui ineſſe, in quo mutabile nil ſit, niſi determinatio illius exſiſtentiae. Quod quidem argumenti genus cum nequeat δογματικῶς, hoc eſt, e conceptibus effici, eo quod enunciatum ſyntheticum ſpectat ex anticipatione, neque vmquam cuiquam in mentem veniret, eiusmodi pronunciata non niſi ratione valere, quae eſſe poſſit, experientiae, ideoque etiam per ſolam deductionem poſſibilitatis experientiae poſſe probari; mirum non eſt, ſi cuique quidem experientiae inſtar fundamenti cuiusdam ſubiectum (ſenties enim in cognitione empirica te illo egere), numquam probatum videatur.

Philoſophus quidam, quum interrogatus eſſet: quantum fumi pondus erit? reſpondit: de pondere ligni combuſti deducas pondus cineris relicti, et pondus fumi habebis. Sumſit igitur tamquam extra dubitationem poſitum, vel in igne materiam (ſubſtantiam) haud interire, ſed ſolam formam illius mutationem experiri. Similiter decretum hoc: ex nihilo nihil fit, nil niſi aliud aliquod conſectarium erat ex decreto perpetui, vel potius permanentis exſiſtentiae ſubiecti proprii in viſis. Etenim, ſi id in viſo, quod ſubſtantia dicetur, proprium eſſe ſubſtratum debet vniuerſae determinationis temporis, cogitur, vt omnis exſiſtentia cum in praeterito tempore, tum in futuro, in eo ſolo poſſit definiri. Quam-

obrem viſo cuidam tantum propterea ſubſtantiae nomen poſſumus imponere, quod exſiſtentiam illius in omni tempore ſumimus, quod conſtantiae et perpetuitatis verbo nequidem commode effertur, ſi quidem hoc magis tempus ſpectare futurum videtur. Interim tamen neceſſitas interna perdurandi arctiſſime cohaeret cum neceſſitate, quae ſemper fuiſſe enunciat, et verbum poterit proinde manere. Gigni de nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti, duo erant pronunciata, quae, a veteribus arctiſſime coniuncta, nunc ſubinde videas opinionis errore diuelli, quoniam putantur res ſpectare per ſe ipſas (ὄντως ὄντα), priusque eſſe contrarium poſſe creditur rationi, qua mundus pendeat a cauſa quadam ſuprema (vel quoad ſubſtantiam eius); qui quidem metus vanus atque inanis erit, quoniam hic tantummodo de viſis in campo experientiae ſermo eſt, quorum numquam eſſe vnitas poſſet, ſi res nouas (quoad ſubſtantiam) poneremus oriri. Tum enim tolleretur id, quo ſolo poteſt temporis vnitas repraeſentari, nempe identitas ſubſtrati, quippe in qua ſola omni mutationi vnitas continua videtur. Interea haec perpetuitas in nulla re alia, niſi in modo verſatur, quo nobis exſiſtentiam rerum (in viſo) repraeſentamus.

Illae quidem determinationes ſubſtantiae, quae nihil ſunt aliud, quam ſingulares modi, quibus ea exſtat, dicuntur accidentia. Eae ſemper verae ac reales ſunt, quoniam ſubſtantiarum attingunt exſiſtentiam (negationes in ſolis determinationibus verſantur, quibus, non eſſe aliquid in ſubſtantia, notatur). Quodſi igitur huic reali in ſubſtantia ſingularis exſiſtentia tribuatur (veluti motui, tamquam cuipiam accidenti materiae), tum haec exſiſtentia vocatur inhaerentia, vt diſtinguatur ea ab exſiſtentia ſubſtantiae, quam ſubſiſtentiam appellamus. Verum inde multae exoriuntur interpretationes prauae, et rectius veriusque dixeris, ſi accidens duntaxat modum nomines, quo ſubſtantiae exſiſtentia poſitiue definita videtur. Interim tamen, propter leges vſus logici intelligentiae noſtrae, non poterit euitari, quo minus id, quod in exſiſtentia ſubſtantiae mutari poſſit et variari,

dum ipſa ſubſtantia manet, quaſi ſeparemus, atque in adfectione ad proprium illud perpetuum et radicale conſideremus; quamobrem haec categoria quoque titulo ſubeſt relationum, magis qua conditio earum, quam quod ipſa relationem quandam complectatur.

Atque ab hac perpetuitate porro etiam pendet correctio conceptus de *mutatione*. Ortus et interitus non ſunt mutationes eius, quod oritur et interit. Mutatio in modo cernitur, quo aliquid eſt, qui alium modum ſequitur, quo eadem obiecta res erat. Quamobrem omnia, quae mutantur, permanent, ſed ſolus eorum ſtatus variatur. Quae viciſſitudo igitur cum ſolas attingat determinationes, quae ceſſare poterunt, vel etiam incipere; poſſumus, quod quodammodo mirum videbitur, dicere: ſolum perpetuum (ſubſtantia) mutatur, inconſtans nullam mutationem patitur, ſed *viciſſitudinem*, quum aliae determinationes ceſſant, aliae incipiunt.

Igitur mutatio percipi tantum in ſubſtantiis poteſt, ortusque vel interitus, ſimpliciter, ita, vt non ſolum determinationem attingat perpetui, nullo modo eſſe poteſt, vt percipiatur, quoniam hoc idem conſtans atque perpetuum efficit, vt eſſe repraeſentatio queat transitionis a ſtatu in ſtatum, atque a non eſſe ad eſſe, quae ideo tamquam modi variantes eius, quod manet, poterunt empirice cognoſci. Fac, vt aliquid ſimpliciter abſoluteque eſſe incipiat; temporis articulum, neceſſe eſt, habeas, quo non fuit. Cuinam illum adfiges, niſi ei, quod iam adeſt? Nam tempus vacuum non res eſt perceptioni obnoxia; ſin autem hunc ortum adiungas rebus, quae antea exſtabant, quaeque ad id, quod oritur, perdurant, tum poſterius tantum in modis erit ſuperioris, tamquam perpetui. Pari ratione quoque comparatum eſt cum interitu, quippe qui repraeſentationem temporis requirit, quo viſum haud amplius exſtat.

Subſtantiae (in phaenomeno) in ſubſtratis verſantur omnium temporis modorum. Aliarum ortus et aliarum interitus vel ipſam vnam legem vnitatis empiricae temporis tolleret, viſaque tum duplex tempus ſpectarent,

in quo pone ea inuicem exſiſtentia elaberetur, id quod abſurdum eſt. Nam *vnum* duntaxat tempus eſt, in quo omnia diuerſa tempora non ſimul, ſed alia poſt alia ſunt ponenda.

Quamobrem conſtantia et perpetuitas lex quaedam neceſſaria eſt, qua ſola fit, vt viſa, tamquam res obiectae, poſſint in quadam experientia poſſibili determinari. Quae vero nota empirica huius neceſſariae perpetuitatis viſorumque ſit ſubſtantialitatis, infra locus erit, vberius diſputandi.

B.

ANALOGIA SECUNDA.

Decretum ſucceſſionis temporum ad legem cauſalitatis.

Omnes mutationes fiunt ſecundum legem colligationis cauſarum et effectorum.

Probatio.

(Omnia viſa ſucceſſionis temporum et ſingula tantum mutationes, id eſt, ſucceſſiuum eſſe et non eſſe modorum ſubſtantiae videri permanentis, proinde *τὸ* eſſe ſubſtantiae ipſius, quod *τὸ* non eſſe ipſius conſequatur, vel *τὸ* non eſſe illius, quod *τῷ* eſſe ſuccedat, ſiue, vt planius dicam, ortum interitumue ſubſtantiae ipſius non locum habere, ſuperiori decreto vicimus. Quod quidem decretum etiam ſic exprimi potuiſſet; *omnis viſorum ſucceſſio tantum in mutatione verſatur;* namque ortus ſubſtantiae vel interitus nullae illius mutationes ſunt, quoniam conceptu mutationis idem ſubiectum ſumitur cum modis contrariis qua exſtans, proinde qua conſtans et perpetuum. His praemonitis nunc ſequitur probatio.)

Equidem percipio, viſa ſiue phaenomena ſibi inuicem ſuccedere, id eſt, ſtatum rerum quendam eſſe tempore quodam, cuius erat in priſtino ſtatu contrarium. Igitur proprie duas perceptiones in tempore coniungo. Iam coniunctio non opus eſt ſolius ſenſus ac viſionis, ſed

hoc loco effectum facultatis cuiusdam ſyntheticae phantaſiae ſenſum intimum ratione relationis temporis determinantis. Haec autem illos ſtatus duos poteſt duplici modo coniungere, ita, vt vnus alterue in tempore praecedat; namque tempus ipſum non poteſt percipi, neque in adfectione ad illud quaſi empirice, quae antecedant quaeque ſequantur, in re obiecta determinari. Igitur tantummodo mihimet conſcius ſum, a phantaſia mea alterum ante, alterum poſt poni, non vero in obiecta re ſtatum alterum alterum antecedere, aut, vt breuius dicam, ſola perceptione adfectio obiectiua viſorum ſuccedentium manere indefinita videtur. Quae quidem vt definita agnoſcatur, amborum ſtatuum adfectio ſic debet cogitari, vt eo neceſſario definiatur, qui ſtatuum iſtorum ante, quique poſt, non verſa vice, poni debeat. Sed conceptus neceſſitatem comprehendens vnitatis ſyntheticae, eſſe duntaxat poteſt purus conceptus intelligentiae, non ſitus in perceptione, atque ille hic conceptus eſt *relationis cauſſae et effecti*, quorum prior poſterius, tamquam conſequens, non vt aliquid, quod in ſola phantaſia (vel nuſpiam omnino gentium eſſe perceptum) poſſit, definit. Ergo ſolo eo, vt ſucceſſionem viſorum, proinde vniuerſam mutationem legi colligationis cauſarum ſubiiciamus, ipſa eſſe experientia poterit, id eſt, cognitio illarum empirica; ideoque illae, vt res experientiae ſubiectae, ad ſolam eandem legem eſſe poſſunt.

Apprehenſio variorum in viſo ſemper ſucceſſiua videtur. Partium repraeſentationes ſuccedunt. An etiam in re obiecta ſuccedant, altera quaeſtio reflexioni propoſita eſt, ſuperiori illa haud comprehenſa. Iam vniverſa quidem, vel quaeque repraeſentatio, cuius nobis conſcii ſumus, res dici obiectae poterunt; ſed quae vis huius verbi in viſis ſit, non, quatenus (qua repraeſentationes) res obiectae videantur, ſed tantum rem obiectam deſignent, profundioris indagationis videtur. Quatenus ea duntaxat vt repraeſentationes ſimul res ſunt ſubiectae conſcientiae, ab apprehenſione, id eſt, receptione in ſynthesin phantaſiae nil quidquam differunt, et proinde dicendum eſt: varia viſorum ſemper in animo

ſucceſſiue generari. Quodſi viſa poſita forent in rebus per ſe ſpectatis (ὄντως ἔστι), nemo homo e ſucceſſione repraeſentationum varietatis eorum intelligere poſſet, quomodo varietas illa in obiecta re coniuncta videatur. Namque tantummodo in noſtris repraeſentationibus verſamur; quomodo res ipſae per ſe ſpectatae (nulla ratione habita repraeſentationum, quibus nos illae pelliunt atque adficiunt) comparatae ſint, vim omnem intelligentiae noſtrae notionemque fugere videntur. Quamvis igitur viſa non ſint res ipſae tales, quales videntur, eaque tamen ſola ſint, quibus nobis cognitio dari queat atque offerri, oſtendere debebo, quae ipſi in viſis varietati competat in tempore coniunctio, interea dum repraeſentatio illius in apprehenſione ſemper ſucceſſiua videtur. Sic, vt hoc vtar, apprehenſio variorum in viſo domus cuiusdam coram me conſtitutae ſucceſſiua eſt. Nunc oritur quaeſtio: anne domus huiusce varietas ipſa quoque per ſe ſucceſſiua videatur; id quod profecto nemo homo concedet. Atqui, ſi conceptus meos rei cuiusdam obiectae vsque ad vim notionemque transſcendentalem eueham, domus illa nulla res per ſe talis eſt, ſed tantum viſum quoddam, id eſt, repraeſentatio, cui quae ſubiecta eſt, res transſcendentalis illa prorſus ignota videtur; quae igitur ſententia quaeſtionis erit propoſitae: quomodo varia illa viſi ipſius (quod neutiquam quidquam eſt, quod per ſe ſit) coniuncta videantur? Atque hic id, quod in apprehenſione ineſt ſucceſſiua, tamquam repraeſentatio, ſed viſum, quod datum mihi atque oblatum eſt, quod quamquam nil, niſi complexus harum repraeſentationum eſt, vt res iis obnoxia conſideratur, quacum conceptus meus, ex repraeſentationibus ductus apprehenſionis, debet conuenire. Facile intelligitur, quoniam in conuenientia cognitionis cum obiecta re veritas verſatur, hic quaeri tantum leges poſſe veri empirici, viſumque in adfectione ad repraeſentationes apprehenſionis, eo duntaxat repraeſentari vt res illarum obiecta ab iis diuerſa, ſi legi ſubſit, qua ab omni alia apprehenſione diſcernatur, ratioque quaedam coniunctionis variorum neceſſaria efficiatur. Id autem in vi-

ſo, qua conditio continetur neceſſariae huiuſce legis apprehenſionis, obiecta res eſt.

Nunc ad propoſitam quaeſtionem progrediamur. Fieri aliquid, id eſt, quiddam exſiſtere, ſtatumue oriri, qui antea non erat, non poteſt percipi, niſi viſum quoddam praeceſſerit huncce ſtatum haud in ſe continens; etiam apparere aliquid in veritate, antegreſſo tempore vacuo, proinde oriri aliquid, quum nullus rerum ſtatus anteceſſit, aeque minus poteſt, atque ipſum tempus vacuum apprehendi. Vnaquaeque igitur euenti cuiusdam apprehenſio perceptio eſt alii perceptioni ſuccedens. Quoniam hóc autem in vniuerſa apprehenſionis ſyntheſi ſic ſe habet, vti ſupra in viſo domus oſtendi, ea re nondum illa ab aliis dignoſcitur. Sed animaduerto etiam: ſi in viſo, quod fieri aliquid oſtendit, ſtatum perceptionis antegreſſum A, ſequentem autem B dixero, illud B tantum ſequi A in apprehenſione, ſed perceptionem A non ſequi illud B poſſe, ſed tantum antecedere. Veluti ſi ſecundum flumen video nauem depelli. Mea loci eius perceptio inferioris perceptioni ſuccedit loci eiusdem ſuperioris curſus fluminis, et fieri non poteſt, vt in apprehenſione huiuſce viſi nauis primo in inferiore fluminis parte, deinde autem in ſuperiori percipiatur. Igitur ordo ſucceſſionis perceptionum in apprehenſione definitus eſt, ad eumque poſterior iuncta videtur. In ſuperiori domus exemplo perceptiones meae in apprehenſione a faſtigio poterant incipere, et in fundamento finire, ſed etiam ab inferiori inſtituere, et in ſuperiori deſinere, dextrorſum item ſiniſtrorſumue varia viſionis empiricae apprehendere. Ergo in ſerie harum perceptionum nullus erat definitus ordo, qui cogeret ad apprehenſionem inchoandam, vt varia empiricae coniungerem. Atque haec lex illa in perceptione eorum, quae fiunt, ſemper reperitur, eaque ordinem facit perceptionum ſuccedentium (in apperceptione horum viſorum) neceſſarium.

Quamobrem in hoc caſu noſtro *ſucceſſionem apprehenſionis ſubiectiuam* ab *ſucceſſione* viſorum *obiectiua*, oportebit, deriuem, alias enim illa prorſus indefinita erit,

nullumque ea ab altero viſum internoſcet. Illa ſola nil quidquam cuincit de coniunctione variorum rei obiectae, quia prorſus ex arbitrio pendet. Haec ergo in ordine verſabitur variorum viſi, ad quem apprehenſionis vnius (eius, quod ſit) apprehenſionem ex lege quadam ſequitur alterius (eius, quod antecedit). Atque hoc ſolo efficitur, vt de viſo ipſo, et non tantum de apprehenſione mea, iure queam dicere: in illa ſucceſſionem ineſſe, id quod idem erit, ac me apprehenſionem non aliter poſſe inſtituere, niſi in hac ipſa ſucceſſione.

Itaque ad talem legem in eo, quod omnino aliquod euentum antecedit, conditio legis inſit, neceſſe eſt, ſecundum quam ſemper ac neceſſario hoc euentum exſiſtat, ſed vice verſa non poſſum ab euento remeare, illudque (apprehenſione), quod antecedit, definire. Etenim a ſuccedente temporis puncto nullum phaenomenon, retro vertitur ad ſuperius, ſed refertur tamen ad *quodpiam* praecedentium; contra a dato tempore ad definitum ſuccedens neceſſaria progreſſio eſt. Quocirca, illud quia tamen eſt aliquid, quod ſuccedit, vt ad aliquid aliud generatim referam, neceſſe eſt, quod antecedit, quodque ex lege quadam, id eſt, neceſſario ſequitur, ita, vt euentum, qua ad conditionem adſtrictum, quampiam legem certo indicet, qua illud euentum determinetur.

Fac, euentum quoddam rem nullam antecedere, quam ſequi illud ex lege oporteret, tum omnis perceptionis ſucceſſio in ſola apprehenſione, id eſt, duntaxat ſubiectiva foret, ſed neutiquam ideo obiectiue determinatum, quod proprie antecedens, quodque eſſe conſequens perceptionum oporteret. Hoc modo luſum tantummodo repraeſentationum haberemus, qui ad nullam rem obiectam referretur, id eſt, noſtra perceptione viſum a quouis alio, quoad adfectionem temporis, prorſus non diſcerneretur; quoniam ſucceſſio in apprehendendo vbiuis eadem, et proinde nil quidquam in viſo eſt, quod illud determinet definiatque, ita, vt ea re certa quaedam ſucceſſio obiectiue neceſſaria reddatur. Quamobrem non dicam: duos in viſo ſtatus ſibi inuicem ſuccedere; ſed

tantummodo: apprehenſionem vnam ſequi apprehenſionem alteram; id quod eſt aliquid mere *ſubiectiuum*, nullamque rem obiectam determinat ac definit, ideoque plane non poteſt pro cognitione cuiuspiam obiectae rei (ne in ipſo viſo quidem) valere.

Si igitur, fieri aliquid, experimur, tum in eo ſemper ſumimus, quidpiam antecedere, cui illud ex lege quadam ſuccedat. Namque alias de obiecta re non dicerem, eam ſequi, quoniam ſola in apprehenſione mea ſucceſſio, niſi ex lege definita ſit in comparatione cum antecedente, nullam poterit in re obiecta ſucceſſionem efficere. Fit igitur ſemper ratione legis cuiusdam, qua viſa in ſucceſſione ſua, id eſt, ſic, vti fiunt atque eueniunt, priori ſtatu ſunt definita, vt ſyntheſin ſubiectiuam meam (apprehenſionis) faciam obiectiuam, et hac ſola ſumtione tantum, eius, quod fit, eſſe experientia poteſt.

Quod quidem videtur pugnare cum iis omnibus, quae omni tempore ſunt de progreſſu vſus noſtrae intelligentiae obſeruata, quibus edocemur, per perceptas et comparatas ſucceſſiones multorum euentorum conuenientes viſis praegreſſis demum eſſe ductos nos ad inueniendam legem aliquam, cui conuenienter certa quaedam euenta certa quaedam viſa ſemper ſequantur, eoque demum commotos eſſe, cauſſae conceptum mente concipere. Qua quidem ratione conceptus ille tantum empiricus foret, et lex illa, quam is largitur, quidquid fit, cauſam habere, pariter foret fortuita, atque ipſa experientia: vniuerſalitas illius et neceſſitas tum duntaxat fictae eſſent, nec verum vniuerſalem valorem haberent, ſi quidem non ex anticipatione foret, ſed ex inductione is profectus. Sed cum hiſce pariter eſt, atque cum aliis repraeſentationibus puris ex anticipatione comparatum (veluti cum ſpatio et tempore), quas propterea ab experientia vt claros conceptus deducere poſſumus, quod in experientiam eas indidiſſemus, hancque iis demum perfeciſſemus. Sane quidem logica harum repraeſentationum claritas, legis ſeriem euentorum determinantis, vt

notionis cauſae, tum demum eſſe poteſt, quum iis in experientia vſi fuerimus, ſed quidam tamen reſpectus illius, tamquam conditio ſyntheticae vnitatis viſorum in tempore, ipſum tamen fundamentum erat experientiae, eamque proinde ex anticipatione antecedebat.

Quamobrem opus erit exemplo docere, nos numquam in ipſa experientia ſucceſſionem (euenti cuiusdam, quum aliquid fit, quod antea non erat) obiectae rei tribuere, eamque a ſucceſſione ſubiectiua, apprehenſione noſtra, diſtinguere, niſi lex quaedam fundamento ſit, quae nos cogat, vt hunc perceptionum ordinem potius, quam alium, ſeruemus, quin hacce coactione proprie effici, vt eſſe demum poſſit repraeſentatio ſucceſſionis cuiusdam in re obiecta.

Intus in nobis repraeſentationes habemus, quarum nobismet etiam fieri conſcii poſſumus. Sed haec conſcientia tam late pateat, tamque accurata ſit ac diligens, quam velimus, tamen ea ſemper tantummodo repraeſentationibus efficietur, hoc eſt, modis animi internis in hac vel illa temporis relatione. Qui igitur fit, vt liceat nobis repraeſentationibus iſtis rem obiectam ponere, aut praeter realitatem ſubiectiuam illarum, vt modos (modificationes), iis inſuper, neſcio quam, obiectivam tribuere? Vis et ſignificatio obiectiua in adfectione ad aliam repraeſentationem (eius, quod de re obiecta diceres) eſſe nulla poteſt; tum enim denuo exorietur quaeſtio: qui fit, vt haec repraeſentatio, ab ſe ipſa profecta, vim obiectiuam nanciſcatur praeter ſubiectiuam illam, qua determinationem ſtatus animi, ſibi propriam? Si quaeſiuerimus, quam tandem relatio ad rem obiectam aliquam repraeſentationibus noſtris nouam naturam impertiat, quaeque ſit illa dignitas, quam illae ea re accipiant, inueniemus, nil quidquam illam amplius efficere, quam vt coniunctionem repraeſentationum quodammodo reddat neceſſariam, eamque legi cuidam ſubiiciat; vt vice verſa eo tantum, quod certus ordo quidam in temporis relatione repraeſentationum noſtrarum neceſſarius ſit, vis iis tribui obiectiua videatur.

In ſyntheſi viſorum varia repraeſentationum ſemper ſuccedunt. Quo quidem nulla prorſus res obiecta repraeſentatur; ſi quidem ſucceſſione, cuique apprehenſionis parti communi, nihil ab alio diſcernitur. Simulatque autem percipio, vel etiam ſumo, in hac ſucceſſione adfectionem quandam eſſe ad ſtatum antegreſſum, ex qua repraeſentatio ad legem quamdam conſequitur; tum repraeſentatur aliquid qua euentum, quodve fiat, id eſt, cognoſco rem obiectam aliquam, quam in tempore debeam certo quodam definito loco collocare, qui illi e ſtatu antegreſſo non poſſit, niſi ſic, imperti-ri. Si igitur percipio, aliquid fieri, primo hac repraeſentatione continetur: aliquid antecedere, quoniam eadem illa ad hoc adfectione ſit, vt viſum relationem ſuam temporis nanciſcatur, nempe, vt tempore quodam, quo illud non erat, antegreſſo, exſtare videatur. Sed definitum locum temporis in hac relatione eo tantum poteſt accipere, ſi in ſtatu antegreſſo aliquid ponatur, quod illud ſemper, id eſt, ad legem quamdam, ſequatur; ex quo efficitur, primo vt ſeriem nequeam inuertere, idque, quod ſit, illi anteponere poſſim, cui ſuccedit: deinde, vt, poſito ſtatu, qui antecedit, hoc euentum definitum certo ac neceſſario fiat. Quo quidem efficitur, vt ordo quidam exſiſtat repraeſentationum noſtrarum, in quo praeſens (quatenus factum eſt) ad quempiam ſtatum antegreſſum monſtrat, tamquam aliquod, quamuis nondum definitum, correlatum huiusce euenti dati, quod vero ad hoc, qua ſuum conſequens, definitiue refertur, idque neceſſario ſecum in ſerie temporis coniungit.

Quodſi autem lex ſenſus noſtri neceſſaria, proinde *formalis* quaedam omnium perceptionum *conditio* eſt: tempore antegreſſo tempus ſubſequens neceſſario determinari ac definiri (neque enim ad ſubſequens potero peruenire, niſi per tempus antegreſſum): item etiam lex neceſſaria erit *repraeſentationis empiricae* ſeriei temporis, viſis temporis praeteriti omnem exſiſtentiam in futuro definiri, eaque, qua euenta, locum non habere, niſi quatenus illis horum exſiſtentia in tempore definiatur, id eſt, ad quandam legem conſtituatur. Etenim in ſolis *viſis hanc-*

te continuitatem in contextu temporum empirice poſſumus cognoſcere.

Ad vniuerſam experientiam eiusque poſſibilitatem requiritur intelligentia, primumque, quod ea ad illam confert, non in eo cernitur, vt repraeſentationes rerum obiectarum diſtinctas et perſpicuas reddat, ſed vt efficiat, vt ipſa repraeſentatio cuiusdam obiectae rei in genere eſſe poſſit. Quod quidem eo efficitur, vt ordinem temporis transferat ad viſa, eorumque exſiſtentiam, dum cuique illorum qua ſucceſſioni, ratione viſorum antegreſſorum ex anticipatione definitum locum in tempore adſignat, ſine quo illud cum tempore ipſo, quod omnibus ſuis partibus ex anticipatione locum definit, haud conueniret. Haec loci determinatio autem non poteſt ab adfectione viſorum ad abſolutum tempus depromi (neque enim ea perceptioni obnoxia eſt), ſed vice verſa, viſa inuicem loca ſua in tempore ipſo, neceſſe eſt, definiant, eaque in ordine temporis neceſſaria reddant, id eſt, illud, quod ſequitur, vel fit, ad legem quandam vniuerſalem, id, quod in ſtatu antegreſſo complexum erat, ſequatur, neceſſe eſt, ex quo ſeries efficitur viſorum, quae ope intelligentiae eundem ordinem contextumque continuum in ſerie perceptionum poſſibilium producit eumque neceſſarium reddit, qui in forma viſionis internae (temporis), in qua vniuerſis perceptionibus locus tribuendus foret, ex anticipatione deprehenditur.

Igitur aliquid fieri, perceptio eſt, quae ad experientiam poſſibilem pertinet, quae eo in veritate rerum apparet, cum viſum conſidero, quoad locum illius, in tempore, qua definitum, proinde qua rem obiectam, quae ad legem quandam in contextu perceptionum ſemper poſſit offendi. Sed ea lex, ſecundum ſucceſſionem temporis determinandi aliquid, haec eſt: in eo, quod praecedit, conditionem ineſſe, qua fiat, vt euentum ſemper (id eſt, neceſſario) ſequatur. Igitur decretum cauſae perfectae et principalis (ſufficientis) cauſa atque ratio eſt poſſibilis experientiae, nempe cognitionis viſorum obiectiuae, ratione relationis illorum, in ſucceſſione ſerierum temporis.

Sed argumentum huiusce decreti poſitum in momentis eſt, quae mox adferemus. Ad omnem cognitionem empiricam neceſſaria eſt ſyntheſis variorum ope phantaſiae, quae ſemper eſt ſucceſſiua, id eſt, ea, in qua ſemper inuicem repraeſentationes ſuccedant. Succeſſio autem non eſt in phantaſia quoad ordinem (quid praegredi debeat, quid ſequi) definita, et ſeries vnius repraeſentationum ſuccedentium et retrorſum fieri et antrorſum poteſt. Sed ſi illa ſyntheſis effectio eſt apprehenſionis (variorum viſi dati), tum ordo eſt in re obiecta definitus, vel, vt verius dicam, ordo in ea ineſt ſyntheſeos ſucceſſiuae, rem quandam obiectam definientis, ad quem aliquid neceſſario antecedat, et hoc poſito, alterum neceſſario ſubſequatur. Ergo ſi perceptione mea cognitio debeat cuiusdam eueuti comprehendi, cum ſcilicet aliquid vere euenit; ea, neceſſe eſt, in iudicio empirico cernatur, quo cogitatur, eſſe ſucceſſionem determinatam, id eſt, ea poni aliud viſum, quoad tempus, antegreſſum, quod neceſſario, ſiue ad quandam legem, ſequatur. E contrario, ſi antegreſſum ponerem, nec euentum vero illud neceſſario ſequeretur, tum luſum quendam phantaſiae ſubiectiuum putare deberem, et, ſi tamen in eo obiectiuum quiddam cogitarem, ſomnium vocare. Igitur relatio viſorum, qua perceptionum poſſibilium, vi cuius ſubſequens (id quod euenit) per id, quod antecedit, ſecundum exſiſtentiam ſuam, neceſſario et ad legem quandam in tempore definitum eſt, proinde, adfectio cauſae ad effectum, conditio eſt valoris obiectivi iudiciorum empiricorum noſtrorum, ratione ſeriei perceptionum, ideoque veritatis illorum empiricae, ac proinde experientiae. Igitur decretum relationis cauſarum in ſucceſſione viſorum locum habet vel ante vniverſas res experientiae ſubiectas (ſub legibus ſucceſſionis), propterea quod illud ipſum in cauſa eſt, cur eſſe talis poſſe experientia videatur.

Sed hoc loco quaedam emergit dubitatio adhuc dispellenda. Decretum colligationis cauſarum in viſis informula noſtra, ad ſucceſſionem eſt ſerierum illorum adſtrictum, cum tamen in vſu eius pateat, illud etiam qua-

drare ad concomitantiam eorum, cauſamque atque effectum eſſe ſimul poſſe. Velut calor eſt in cubiculo, qui non in libero aëre inuenitur. Cauſſam eius quaero; fornacem calefactam conſpicio. Atqui haec fornax, qua cauſa, ſimul eſt cum effecto ſuo, calore cubiculi. Ergo hic nulla, quoad tempus, ſerierum ſucceſſio eſt, inter cauſam et effectum, ſed ſimul ſunt, et tamen lex illa valet. Maxima pars cauſarum efficientium in natura rerum ſimul eſt cum ſuis effectis, et temporis ſeries effectorum ab eo ſolum pendet, quod cauſa effectionem ſuam non totam poteſt vno temporis articulo exſerere. In illo autem puncto temporis, quo ea primum exoritur, ſemper vna eſt cum vi cauſae ſuae efficiendi, ſi quidem, ſi illa momento ante eſſe deſiiſſet, hoc neutiquam foret exortum. Hic bene notetur, ordinem ſolum ſpectari temporis, non illius defluxum; adfectio manet, quamquam nullum tempus praeterlapſum videtur. Tempus inter efficientiam cauſae, eiusque proximum effectum, poteſt euaneſcens (proinde illud ſimul) eſſe, ſed adfectio vnius ad alteram nihilominus, quoad tempus, manet determinabilis. Si globum in puluinari referto, cui foſſulam is imprimit, qua cauſam conſidero, tum is ſimul erit cum effecto. Verum vtrumque tamen ex relatione temporis diſcerno vtriusque dynamicae coniunctionis. Etenim ſi globum puluinari impono, priorem eius figuram laeuem ſequitur foſſula; ſed ſi puluinari (vnde neſcio) foſſula ineſt, tum eam non plumbeus globus ſequitur.

Quocirca ſane ſucceſſione temporis vna efficitur nota illa effecti empirica, in adfectione ad effectionem cauſae antegreſſae. Vitrum cauſa eſt aquae ſupra ſuperficiem horizontalem ſuam adſcendentis, quamquam vtrumque ſimul viſum videtur. Nam ſimulatque eam e maiori vaſe vitro hauſeris, ſequitur aliquid, nempe mutatio ſtatus horizontalis, quem ibi habebat, in concauum, quem in vitro accipit.

Haec effectio cauſae ad conceptum ducit actionis, haec ad conceptum virtutis, eaque ad conceptum ſub-

ſtantiae. Quum propoſitum criticum, quod ſolos fontes ſpectat cognitionis ſyntheticae ex anticipatione, nolim in rationibus analyſeos verſari conceptuum, quae ſolam explicationem (non dilatationem) conceptuum ſpectat, plenam expoſitionem earum futuro ſyſtemati cuidam rationis purae permittam; quamquam eiusmodi analyſin copioſe, vel in compendiis huiusce generis, quae adhuc innotuerunt, inueniemus. Sed notam empiricam ſubſtantiae, quatenus non perpetuitate conſtantiaque viſi, ſed melius faciliusque actione oſtendi videtur, non poſſum ſilentio praeterire.

Vbi actio, proinde actiuitas et vis eſt, ibi etiam erit ſubſtantia, et in hac ſola erit ſedes fontis illius fecundi viſorum quaerenda. Id bene quidem dictum eſt: ſed ſi mentem debeas explicare, quid ſubſtantiae ratione intelligatur, cupiasque vitioſum orbem iſtum euitari, haud ita facilis erit illius rei defenſio. Quomodo ex actione ſtatim ad *conſtantiam* perpetuitatemque concludes agentis, quod tamen internum quoddam propriumque ſubſtantiae (phaenomeni) criterium videtur? Sed ex iis, quae ſupra docuimus, ſolutio quaeſtionis nulla tanta difficultate laborat, quamquam ad vulgarem viam (duntaxat analytice de conceptibus tractandi) inſolubilis foret. Actio adfectionem deſignat ſubiecti effectionis ad effectum. Quoniam vero omne effectum in eo verſatur, quod fit, et euenit, proinde in variante ac mutabili, quod tempus denotat ſecundum ſucceſſionem; vltimum ſubiectum eius *conſtans* atque *perpetuum*, vtpote ſubſtratum, omnium eorum, quae variantur, id eſt, ſubſtantia. Namque ex decreto cauſalitatis actiones prima ſemper ſunt ratio et cauſa cuiusuis viciſſitudinis viſorum, ideoque eſſe non in ſubiecto poſſunt, quod ipſum varietur, quoniam alias aliae actiones opus forent, aliudque ſubiectum, quod illam viciſſitudinem definiret. Quo igitur pacto actione, qua perfecta nota empirica, ſubſtantialitas cuincitur, ita, vt conſtantiam illius comparatis demum perceptionibus quaerere non deberem, quod etiam in hac via non poſſet ea vbertate fieri, quae ad magnitudinem abſoluteque vniuerſalem conceptus va-

lorem neceſſaria videtur. Etenim ſubiectum primum cauſalitatis vniuerſi ortus atque interitus ipſum (in campo viſorum) nec oriri poſſe, nec occidere, firma concluſio eſt, quae ad neceſſitatem empiricam conſtantiamque in exſiſtentia, proinde ad conceptum redit ſubſtantiae qua viſi ſiue phaenomeni.

Si aliquid fit, tum ſolus ortus, nulla ratione habita eius, quod oritur, iam per ſe ipſe ſub deliberationem cadit. Tranſitio ſtatus ex eo, cum non erat, in ſtatum praeſentem, quamuis illo nulla in viſo qualitas comprehendatur, iam ſola erit inquirenda. Qui quidem ortus, vti ſupra numero A oſtendimus, non ſubſtantiam (quippe quae nulla oritur) attingit, ſed illius ſtatum. Igitur tantum mutatio eſt, non origo ex nihilo. Si haec origo vt effectum alienae cuiusdam cauſſae ſpectatur, tum ea vocatur creatio, quae tamquam euentum in viſis non poteſt admitti, propterea quod ſola illius poſſibilitate experientiae vnitas tolleretur, quamquam, ſi vniuerſas res non qua viſa, ſed qua res per ſe (ὄντως ὄντα) ſpectem, et qua res ſoli intelligentiae ſubiectas, eae, licet ſubſtantiae ſint, tamen, quoad exſiſtentiam, vt ex aliena cauſa aptae poterunt conſiderari; id quod vero tum longe alias verborum ſignificationes adferret, nec viſis, tamquam rebus, quae eſſe obuiae experientiae poſſint, conueniret.

Quomodo omnino aliquid poſſit mutari; qui eſſe poſſit, vt ſtatum in vno puncto temporis contrarius alius ſequi in altero queat; eius quidem rei ex anticipatione ne minimam quidem cogitationem habemus. Ad hoc virium verarum cognitio requiritur quae dari tantum offerrique empirice poteſt, veluti virium motricium, vel, quod idem eſt, viſorum certorum ſucceſſiuorum (vt motuum), quibus tales vires indicantur. Sed forma vniuscuiusque mutationis, conditio illa, qua ſola vt ortus alius cuiusdam ſtatus, euenire poteſt (materia eius, id eſt, ſtatus, qui mutatur, qualiscumque ſit), proinde ipſorum ſtatuum ſucceſſio (euentum), tamen ad legem cau-

ſalitatis poteſt et conditionum temporis ex anticipatione conſiderari. *)

Si ſubſtantia ex vno ſtatu *a* in alterum *b* tranſit, tum temporis punctum prioris ſtatus, a temporis puncto poſterioris diuerſum eſt, illudque ſubſequitur. Pariter etiam poſterior ſtatus qua realitas (in viſo) a priori illo, in quo hoc non erat, velut *b* ab *o* differt; id eſt, ſi ſtatus *b* a ſtatu *a* duntaxat quantitate diſtet, tum mutatio erit ortus a *b*—*a*, quod in priori ſtatu non erat, ratione cuius =o videtur.

Quamobrem quaeritur: quomodo res poſſit e ſtatu =*a* in alium ſtatum =*b* tranſire. Inter duo momenta ſemper quoddam tempus interiectum eſt, et inter duos ſtatus ſemper diſcrimen aliquod habens quantitatem (omnes enim viſorum partes ſemper ſunt viciſſim quanta). Itaque quaeque tranſitio ex vno ſtatu in alterum in tempore euenit, inter duo momenta comprehenſo, quorum priori ſtatus determinatur is, vnde res egreditur, poſteriori is, in quem peruenit. Vterque ergo in finibus ſunt et terminis temporis mutationis cuiusdam, proinde ſtatus in duos ſtatus medii, ideoque qua tales pertinent ad mutationem totam. Atqui vnicuique mutationi cauſa eſt, quae in toto illo tempore, in quo illa euenit, effectionem declarat. Ergo haecce cauſa mutationem non ſubito (vna ſiue in vno momento) perducit, ſed in tempore, ita, vt, quemadmodum tempus a momento primordii *a* ad abſolutionem in *b* creſcit, item etiam quantitatis realitatis (*b*—*a*), per omnes gradus minores, inter primum et vltimum interiectos, generatur. Ergo omnis mutatio eſſe duntaxat per actionem poteſt cauſalitatis continuam, quae, quatenus aequalis eſt, momentum vocatur. Ex hiſce momentis mutatio non conſtat, ſed iis gignitur qua effectum illorum.

*) Probe notetur, me non de mutatione certarum quarundam relationum vniuerſe loqui, ſed de mutatione ſtatus. Quapropter corpus quoddam, cum illud aequabiliter mouetur, ſtatum ſuum (motus) haudquaquam mutat; ſed ſane quidem, cum motus creſcit vel decreſcit.

Atque haec quidem lex eſt continuitatis mutationum omnium, cuius haec ratio eſt: nec tempus, nec viſum in tempore, partibus conſtare, quae minimae videantur, nihilominus tamen rei ſtatum in mutatione per haſce vniuerſas partes, vt elementa, ad alterum ſtatum tranſire. Nullum eſt realium diſcrimen in viſo, vti nullum diſcrimen in quantitate temporum, minimum, et ita nouus realitatis ſtatus inde a primo emergit, in quo haec non erat, per omnes illius gradus infinitos, quorum inter ſe inuicem diſcrimina cuncta ſunt minora, quam quod ſeparat ρ ab *a*.

Quamnam vtilitatem hocce decretum inueſtigationi naturae adſerat, hic nil attinet anquirere. Sed quomodo eiusmodi decretum, quo cognitio noſtra videtur dilatari, prorſus eſſe ex anticipatione poſſit, id quidem vehementer eget noſtra deliberatione, quamuis adſpectus ipſe fidem faciat veritati eius ac realitati, ideoque credi poſſit, quaeſtione illa, quo illud eſſe potuerit, facile poſſe ſuperſederi. Etenim tam variae rationes ſunt conatus cognitionis per rationem dilatandae augendaeque: vt generatim debeat pro norma proponi, vt ſuſpicionem foueas, neque quidquam credas, nec ſumas, vel ad clariſſimum argumentum dogmaticum, ſi documentis careas, quae accuratam queant deductionem ſuppeditare.

Omnis acceſſio cognitionis empiricae, quaeque perceptionis progreſſio nihil eſt, niſi dilatatio determinationis ſenſus interni, id eſt, progreſſus quidam in tempore, qualia illa cumque ſint, quae illi ſubiecta videantur, ſiue viſa ſint, ſiue viſiones purae. Hicce progreſſus in tempore cuncta determinat ac definit, ipſeque per ſe nulla re amplius determinatur; id eſt, partes illius ſolum in tempore ſunt, et per ſyntheſin huius, ſed minime ante tempus datae. Propterea vnaquaeque in perceptione tranſitio ad id, quod in tempore ſuccedit, determinatione efficitur temporis ex generatione huiusce perceptionis, cumque illud tempus, ſemper et in ſingulis ſuis partibus, quantitas videatur, generatione contine-

tur perceptionis vt quantitatis per gradus, quorum nullus ſit minimus ab o vsque ad gradum illius definitum. Ex quo perſpicuum eſt, fieri poſſe, vt legem mutationum, quoad formam earum, ex anticipatione cognoſcamus. Namque ſolam noſtram apprehenſionem anticipamus, cuius, cum nobis ea ipſa ante vniuerſa viſa data inſit, lex conditioque formalis, profecto neceſſe eſt, vt poſſit ex anticipatione cognoſci.

Quamobrem, vti tempore conditio continetur ſenſitiua ex anticipatione, qua eſſe poteſt progreſſus continuus eius, quod eſt atque apparet, ad id, quod ſequitur et ſuccedit, ita in intelligentia, per apperceptionis vnitatem, lex ineſt ex anticipatione, quae efficit, vt eſſe continua determinatio poſſit locorum omnium ad viſa ſpectantium in hocce tempore, per ſeriem cauſarum et effectorum, in qua illis horum exſiſtentia neceſſario efficitur, eoque fit, vt relationum chronicarum cognitio empirica ad quodque tempus vniuerſe, proinde obiective valere videatur.

C.

ANALOGIA TERTIA

Decretum ſimultanei, ex lege reciprocationis ſiue commercii.

Inter omnes ſubſtantias, quatenus in ſpatio poſſunt qua ſimul conſtitutae percipi, perpetuum intercedit commercium.

Probatio.

Res eſſe ſimul dicuntur, quum in viſione empirica perceptio vnius mutuo poteſt ſequi alterius perceptionem (quod fieri non poteſt in ſucceſſione viſorum, quemadmodum ſupra in decreto ſecundo oſtendimus). Sic perceptio primo in luna, deinde in terra, vel etiam retro poteſt primo in terra, et tum in luna inſtitui, et quoniam harum rerum perceptiones poſſunt ſe inuicem mutuo ſequi, propterea illae ſimul eſſe dicuntur. Atqui

ſimultaneum cernitur in exſiſtentia variorum in tempore eodem. Sed tempus ipſum non poteſt percipi, vt inde, quod e res in eodem tempore conſtituta ſunt, intelligas, perceptiones earum ſequi ſe inuicem poſſe mutuo. Igitur ſyntheſis phantaſiae in apprehenſione vnamquamque illarum perceptionum vt eam duntaxat indicaret, quae in ſubiecto adeſt, cum altera non exſtat, et mutuo, non autem res obiectas ſimul eſſe, id eſt, ſi vna ſit, eſſe et alteram in tempore eodem, idque neceſſarium eſſe, vt ſe inuicem mutuo poſſint ſequi perceptiones. Ergo opus erit conceptu intelligentiae ſucceſſionis mutuae determinationum harum rerum extra ſe ſimul apparentium, vt dici queat, ſucceſſionem perceptionum mutuam eſſe in re obiecta fundatam, eoque ſimultaneum vt obiectiuum repraeſentetur. Atqui relatio ſubſtantiarum, in qua vna determinationes complectitur, quarum cauſa altera continetur, in adfectione verſatur contagionis, et, ſi viciſſim haec cauſſam continet determinationum in altera, in adfectione commercii ſiue effectionis mutuae. Ergo ſimultaneum ſubſtantiarum in ſpatio non aliter poteſt in experientia cognoſci, niſi poſita effectione in ſe inuicem earum mutua; quae proinde conditio erit, qua eſſe res poſſunt ſubiectae experientiae.

Res ſimul ſunt, quatenus vno eae atque eodem tempore apparent. Sed quae nota erit, qua vno eodemque eas tempore eſſe cognoſcatur? Nimirum haec: cum ad ordinem in ſyntheſi apprehenſionis huius varietatis nihil intereſſe videtur, id eſt, ab A per B, C, D ad E, vel etiam retro ab E poteſt ad A progredi. Namque ſi is eſſet in tempore ſucceſſiue (ad ordinem ab A incipiente, atque in E deſinente), fieri non poſſet, vt apprehenſio in perceptione ab E inciperet, et retro ad A pergeret, eo quod A ad tempus praeteritum ſpectat, et proinde non amplius apprehenſioni poteſt obnoxium eſſe.

Iam vero fingas: in varietate ſubſtantiarum, tamquam viſorum vnamquamque illarum prorſus ſolitariam eſſe, id eſt, nullam in altera efficere, neque huius mutuo contagione teneri; tum equidem reſpondebo: ratio-

nem earum ſimultaneam non ſubiectam fore, quae eſſe poſſint, perceptionibus, exſiſtentiamque vnius nulla via ſyntheſeos empiricae ducere ad exſiſtentiam poſſe alterius. Etenim ſi eas animo informes ſpatii interuallo vacui ſeclusas diuulſasque, tum perceptio ab vna pergens ad alteram in tempore, huius quidem exſiſtentiam per ſequentem perceptionem determinare poſſet, non autem diſtinguere, vtrum viſum priori obiectiue ſuccedat, an potius cum illo ſimul videatur.

Igitur praeter ſolam exſiſtentiam ſit aliquid, neceſſe eſt, quo A huic B locum in tempore deſignet, et vice verſa rurſus B illi A, propterea quod ſola hacce lege ſit, vt ſubſtantiae illae, qua ſimul apparentes, empirice poſſint repraeſentari. Atqui id tantum alterius locum determinat in tempore, quod cauſa illius eiusue determinationum videtur. Ergo quaeque ſubſtantia (cum tantummodo ratione determinationum ſuarum eſſe conſequens poſſit) cauſalitatem certarum determinationum quarundam in altera, et ſimul effecta cauſalitatis alterius, neceſſe eſt, complectatur, id eſt, vt in communione dynamica (proxime, remoteue) ſint, oportebit, ſi ſimultaneum in quapiam poſſibili experientia debeat agnoſci. Atqui illa omnia ratione rerum experientiae ſubiectarum neceſſaria ſunt, ſine quibus experientia harum rerum obiectarum ipſa eſſe non poſſet. Ergo vniverſis ſubſtantiis in viſis, quatenus eae ſimul ſunt, neceſſarium eſt, vt inter ſe inuicem in commercio perpetuo effectionis mutuae videantur.

Sed commercium hoc loco communionem dicimus dynamicam, ſine qua vel ipſa communio ſpatii numquam poſſet empirice cognoſci. In noſtris experientiis facile intelligi poteſt, ſolas contagiones continuas in omnibus locis ſpatii ſenſum noſtrum ab vna re obiecta ducere ad aliam poſſe, lumineque inter oculum noſtrum et corpora coeleſtia micante, commercium quoddam remotum inter nos et illa effici, eoque ſimultaneum poſteriorum euinci, quod nullum locum poſſumus empirice mutare (hancce mutationem percipere), niſi materia efficiatur, vt

nobis vbique loci noſtri eſſe perceptio queat, et haec quidem ſola illius contagionis mutuae ratione ſimultaneum eorum, eoque vsque ad obiectas res remotiſſimas coëxſiſtentiam illorum (quamquam modo interuentu) poſſit euincere. Sine commercio quaeque perceptio (viſi in ſpatio) ab altera diuulſa eſt atque abrupta, catenaque repraeſentationum empiricarum, id eſt, experientia in obiecta re noua prorſus a principio inciperet, ita vt prior cum ea ne minime quidem cohaerere, vel eſſe in relatione temporis conſtituta poſſet. Neque haec ita dico, vt ſpatium vacuum redarguam: quippe quod ibi eſſe concedamus, quo perceptiones nullo modo pertinent, et proinde locum non habet empirica cognitio coëxſiſtentiae; tum vero vniuerſae, quae nobis eſſe poteſt, experientiae illud prorſus non obnoxium videtur.

Quod vt magis perſpicuum fiat, notandum erit, in animo noſtro omnia viſa, qua in experientia complexa poſſibili, in communione eſſe debere apperceptionis, et quatenus res obiectae, qua ſimultanea coniuncta repraeſentari debent, locum ſuum in tempore, neceſſe eſt, mutuo determinent eoque totum aliquod conſtituant. Quae ſubiectiua communio ſi fundamento debet obiectiuo niti, aut ad viſa qua ſubſtantias referri, perceptione vnius, qua cauſſa, oportebit, vt eſſe perceptio poſſit alterius, et ſic vice verſa, vt ſucceſſio, quae ſemper ineſt in perceptionibus, qua appreheuſionibus, non rebus tribuatur obiectis, ſed hae qua ſimultaneae poſſint repraeſentari. Sed hoc cernitur in contagione ad viciſſitudinem, id eſt, in commercio ſubſtantiarum reali, ſine quo proinde relatio empirica ſimultanei haud poſſet locum in experientia inuenire. Atque hocce commercio fit, vt viſorum, quatenus extra ſeſe, ſed tamen in coniunctione ſunt, compoſitum reale exſiſtat, cuiusmodi compoſita eſſe variis modis poſſunt. Igitur tres illae relationes dynamicae, e quibus caeterae omnes oriuntur, in inhaerentia, conſequentia et compoſitione verſantur.

* * *

His igitur tribus analogiis experientiae nil niſi decreta continentur determinandae circumſcribendaeque viſorum exſiſtentiae in tempore, e cunctis tribus modis, tum adfectione ad tempus ipſum, qua quantitatem (quantitatem exſiſtentiae, hoc eſt, durationem), tum adfectione in tempore, qua ſerie (ſucceſſiue), tum denique etiam in eo, qua complexu omnis exſiſtentiae (ſimul). Haec vnitas determinandi temporis quanta quanta dynamica eſt, id eſt, tempus non tamquam illud ſpectatur, in quo cuiusque locum experientia proxime determinet, id quod fieri non poteſt, quoniam tempus abſolutum haud cadit in perceptionem, quacum viſa poſſint comparari; verum lex intelligentiae, qua ſola poteſt viſorum exſiſtentiae vnitas ſynthetica ad temporis relationes impertiri, cuique illorum locum in tempore definit, proinde ex anticipatione, et ita, vt omni omnino tempori conueniat.

Vocabulo naturae (ſenſu empirico) intelligimus contextum viſorum quoad exſiſtentiam eorum ex regulis neceſſariis, hoc eſt, legibus. Sunt ergo certae leges, eaeque ex anticipatione, quibus fit demum, vt eſſe natura poſſit; leges empiricae ope ſolius experientiae, et quidem ſecundum leges illas originarias, quibus efficitur, vt eſſe demum ipſa poſſit experientia, locum habere poſſunt, et reperiri. Quocirca proprie analogiae noſtrae vnitatem proponunt naturae in contextu omnium viſorum certis ſubiectam exponentibus, quae nihil aliud exprimunt, quam adfectionem temporis (quatenus hoc omnem exſiſtentiam complectitur) ad apperceptionis vnitatem, cui tantum ad regulas eſſe locus poteſt in ſynthesi. Itaque iis coniunctis hoc enunciatur: omnia viſa ſiue phaenomena in natura inſunt, in eaque oportet ineſſe, ſi quidem ſine hacce vnitate ex anticipatione nulla vnitas experientiae, proinde etiam nulla determinatio finitioque rerum obiectarum in eadem eſſe poſſet.

Sed de argumenti genere, quo in hiſce legibus naturae transſcendentalibus vſi ſumus, eiusque peculiari

natura quaedam adhuc monenda videntur, quae ſimul qua norma alius cuiusque periculi in intellectualibus iisdemque ſyntheticis decretis ex anticipatione probandis permagni eſſe momenti debebunt. Quodſi haſce analogias δογματικῶς, id eſt, e notionibus voluiſſem euincere: nempe omne, quod exſtat, duntaxat in eo deprehendi, quod conſtans eſt et perpetuum, vnoquoque euentu aliquid poni in ſtatu antegreſſo, quod ad regulam quandam ſubſequatur, in variis denique, quae ſimul ſunt, ſtatus in adfectione ad ſe inuicem ſecundum regulam aliquam ſimul eſſe (in commercio verſari), tum omnis opera prorſus inanis atque irrita fuiſſet. Namque non poteſt ab obiecta re eiusque exſiſtentia ad exſiſtentiam alterius ſolis harum rerum conceptibus perueniri, quo earum cumque modo analyſin perſequare. Quid igitur nobis reliqui foret? Poſſibilitas experientiae, vtpote cognitionis, in qua, neceſſe eſt, vt omnes nobis obiectae res dari tandem poſſint, ſi earum repraeſentatio nobis debeat realitatem obiectiuam largiri. Itaque in hoc tertio, cuius interna forma et neceſſaria in vnitate apperceptionis ſynthetica verſatur omnium viſorum, leges aperuimus ex anticipatione perpetuae et neceſſariae temporis determinationis vniuerſae exſiſtentiae in phaenomeno, ſine qua eſſe non poſſet ipſa temporis determinatio empirica, legesque inuenimus vnitatis ſyntheticae ex anticipatione, quarum ope anticipare experientiam poteramus. Huiuſce viae defectu, et opinionis errore, quo enunciata ſynthetica, ab vſu empirico intelligentiae pro principiis commendata δογματικῶς poſſe putabantur probari, accidit, vt decreti cauſae perfectae et principalis (rationis ſufficientis) tam crebro, ſed ſemper fruſtra, probatio tentaretur. De duabus reliquis analogiis numquam quisquam cogitauit, quamquam ſemper ſunt tacite vſurpatae; *) ſi quidem via carebatur categoriarum, qua ſola poſſit quaeque intelli-

*) Vnitas vniuerſitatis rerum, in qua omnia viſa eſſe coniuncta debent, aperte eſt mera conſecutio decreti clanculum ſumti commercii omnium ſubſtantiarum, quae ſimul ſunt: etenim, ſi ſolitariae eſſent, iis qua partibus numquam totum

gentiae lacuna, tam in conceptibus, quam in decretis, aperiri ac ſentiri.

4.

POSTULATA

Cogitationis empiricae in genere.

1) Quod legibus formalibus illis experientiae (quoad viſiones conceptusque) congruens eſt atque conueniens, id *eſſe poteſt.*

2) Quod cum lege experientiae materiali (ſenſatione) connexum cohaeret, id *vere eſt* atque apparet.

3) Id, cuius cum eo, quod vere exſtat, connexio contagioque ad vniuerſales experientiae leges determinata et circumſcripta eſt, *neceſſario exſtat.*

Illuſtratio.

Categoriarum modalitatis ea peculiaris natura eſt, vt conceptum, cui qua attributa iunguntur, qua obiectae rei determinatio, ne minimum quidem augeant, ſed adfectionem tantummodo exprimant ad facultatem cognoſcendi. Si conceptus rei cuiusdam iam prorſus plena ſit ac perfecta, tamen de illa re quaeri poterit, num ea eſſe tantum poſſit, an re vera exſtet, aut, ſi hoc ſit, an ea etiam adeo neceſſaria videatur? Ea re nullae amplius in re obiecta ipſa determinationes cogitantur, ſed modo quaeritur, quomodo ea res (cum modis omnibus et determinationibus ſuis) ad intelligentiam, eiusque vſum empiricum, ad vim iudicandi empiricam, ad rationemque (in eius vſu ad experientiam) ſeſe habere videatur.

efficeretur, et ſi coniunctio illarum (variorum effecti ad ſimilitudinem) iam propter coëxſiſtentiam non neceſſaria eſſet, non poſſet ab hac, qua adfectione mere ideali, ad illud, vt ad reale, concludi. Quamquam ſuo loco monſtrauimus, commercium illud proprie in cauſa eſſe, qua fiat, vt eſſe cognitio empirica poſſit, coëxſiſtentia, et proinde proprie ex hac ad illud, tamquam conditionem eius legemque, retro concluſionem fieri.

Eademque de cauſa decretis modalitatis nil quidquam continetur amplius, quam enodationes conceptuum eius, quod eſſe poſſit, quod vere exſtet, quodque neceſſarium ſit, in vſu eorum empirico, et ſimul etiam omnium categoriarum ad ſolum vſum empiricum adſtrictiones, vſu transſcendentali nec admiſſo neue conceſſo. Quippe quae, ſi illis ſignificatio non mere logica competere, formaque cogitandi debeat analytice exprimi, ſed *res* earumque poſſibilitatem, exſiſtentiam vel neceſſitatem attingere, ad experientiam poſſibilem eiusque vnitatem ſyntheticam, ſpectent illae, neceſſe eſt, in qua ſola res poſſunt experientiae offerri atque proponi.

Igitur poſtulatum poſſibilitatis rerum vult, vt conceptus earum cum legibus formalibus experientiae vniverſe congruat et conueniat. Qua vero, nempe forma obiectiua omnium viſorum in genere, vniuerſa continetur ſynthesis ad rerum obiectarum cognitionem neceſſaria. Conceptus ſyntheſin complectens vacuus et inanis putandus eſt, neque ad vllam rem obiectam refertur, niſi haec ſyntheſis pertineat ad experientiam, vt tamquam ab illa mutuo accepta, et tum *conceptus empiricus* vocatur, aut vt talis, in qua, vt lege ex anticipatione, experientia vniuerſe (forma eius) nitatur, et tum ea *notio pura* eſt, quae nihilominus tamen ad experientiam pertinet, eo quod, quae ipſi obnoxia eſt, *res tantum* in ea poteſt deprehendi. Namque vnde inſigne poſſibilitatis cuiusdam rei obiectae, conceptu ſynthetico ex anticipatione cogitatae, depromas, niſi de ſyntheſi formam cognitionis obiectarum rerum empiricae conſtituente? In tali conceptu nullam ineſſe repugnantiam oportere, id quidem ad neceſſariam conditionem logicam poſtulatur, ſed ad obiectiuam conceptus realitatem, id eſt, ad poſſibilitatem eiusmodi obiectae rei, quae conceptu illo cogitatur, permultum abeſt, quin ſatis videatur. Velut in conceptu figurae lineis duabus rectis incluſae nulla repugnantia ineſt; ſi quidem conceptu duarum linearum rectarum earumque contagione nulla figurae negatio continetur; ſed impoſſibilitas poſita non eſt in conceptu ipſo, ſed in conſtructione illius in ſpa-

tio, id eſt, in legibus ſpatii eiusque determinationibus et modis, quae vero rurſus realitate obiectiua gaudent, id eſt, res ſpectant poſſibiles, quoniam iis vniuerſe forma continetur experientiae ex anticipatione.

Nunc huiusce poſtulati poſſibilium permagnum vſum contagionemque ante oculos collocabimus. Si rem cogito, quae conſtet et perpetua ſit, ita, vt cuncta, quae variantur atque ſuccedunt, ad ſolum eius ſtatum pertineant, numquam potero e tali conceptu ſolo cognoſcere, eiusmodi rem eſſe poſſe. Aut vero aliquid cogito, quod ita debeat eſſe comparatum, vt, eo poſito, ſemper illud et neceſſario aliud quid ſequatur, hoc quidem profecto ſine repugnantia poterit cogitari; an vero eiusmodi qualitas (cauſalitas) vſpiam in quapiam re poſſibili offendatur, eo non poteſt diiudicari. Tandem res poſſum diuerſas (ſubſtantias) cogitare, ita comparatas, vt ſtatus vnius in ſtatu alterius conſequentiam relinquat, et ſic verſa vice; ſed, vtrum talis adfectio aliqua cadere vſpiam in res queat, id ex conceptibus hisce, quae ſyntheſin duntaxat arbitrariam continent, nullo modo poteſt intelligi. Igitur ex eo tantum, quod conceptibus iſtis adfectiones perceptionum in vnaquaque experientia ex anticipatione exprimuntur, obiectiua illorum realitas, id eſt, veritas transſcendentalis, cognoſcitur, et ſane quidem libera ab omni experientia, neque tamen vacua ab omni adfectione ad formam experientiae in vniuerſum, vnitasque ſynthetica, in qua ſola poſſunt oblatae res empirice cognoſci.

Si vero nouos adeo conceptus ſubſtantiarum, virium, effectionum mutuarum, ex materia, quam nobis perceptio miniſtrat, animo informare velles, ita, vt ne exemplum earum coniunctionis ab experientia ipſa depromeres; tum in mera portenta ingenii incurreres, quae an eſſe queant, ex quo intelligi poſſit, nullum prorſus veſtigium apparet, quoniam in iis non ducem et magiſtram experientiam ſequeris, neque ex illa conceptus iſti depromti videntur. Tales conceptus ficti notam poſſibilitatis ſuae non poſſunt, ad modum categoria-

rum, ex anticipatione, tamquam leges, e quibus omnis experientia pendeat, nanciſci, ſed tantum ex adſumto (a poſteriori), vt tales, quales per ipſam experientiam offerantur, et poſſibilitas earum, aut ex adſumto debebit atque empirice, aut nullo prorſus modo poterit cognoſci. Subſtantia, quae conſtanter praeſens in ſpatio foret, ita tamen, vt ne illud expleret (quemadmodum media illa ratio materiam inter et naturam cogitantem, quam voluerunt quidam introducere), aut ſingularis aliqua vis primitiua animi noſtri praeuidendi futura (non ſolum concludendi), aut denique vis quaedam eiusdem animi commercium cum aliis hominibus (vtcumque remotis) cogitationum habendi, hi omnes conceptus ſunt, omni poſſibilitatis fundamento carentes ac deſtituti, quippe quod non poni in experientia poteſt, et notis legibus illius, ſine quibus ea in coniunctione cogitationum arbitraria verſatur, quae, quamuis ab repugnantia libera ſit, tamen ſibi non poterit realitatem obiectiuam, proinde nec poſſibilitatem eiusmodi obiectae rei arrogare, quam ſibi hic volunt animo informare. Realitatis ratio per naturam rei non poterit in ſingulo (in concreto) cogitari, niſi experientia adiuuemur; quippe quae tantum ſenſationem, materiam experientiae, ſpectare poteſt, neque adfectionis formam attingit, quacum ludi fortaſſe in fictionibus poſſet.

Sed miſſis omnibus, quorum poſſibilitas ex ſola veritate in experientia poteſt intelligi, ſolam hic poſſibilitatem rerum per conceptus ex anticipatione, quibus adſeuerare pergo numquam ex eiusmodi conceptibus ſolis, ſed ſemper qua legibus formalibus et obiectiuis experientiae in vniuerſum eſſe locum poſſe.

Videtur quidem trianguli poſſibilitas ex conceptu ſuo per ſe ſolo cognoſci poſſe (profecto is non pendet ab experientia); namque reapſe illi poſſumus prorſus ex anticipatione rem quandam ſubiicere, id eſt, illum conſtruere. Quod quoniam tantum in forma rei obiectae verſatur, tamen ſemper tantummodo effectum phantaſiae maneret, cuius obiectae rei poſſibilitas adhuc dubia

foret, quippe ad quam requiretur, vt eiuſmodi figura ad meras leges cogitata ſit, in quibus poſitae res omnes ſint experientiae ſubiectae. Igitur ſpatium in lege verti formali ex anticipatione experientiarum externarum, eamdem ſyntheſin formantem, qua in phantaſia triangulum conſtruimus, cum ea, quam in apprehendendo viſo efficimus, vt de illo conceptum empiricum efformemus, vnam prorſus atque eandem eſſe, id ſolum eſt, quo poſſibilitas eiuſmodi rei cum hocce conceptu coniungitur. Atque ita poſſibilitas quantitatum continuarum, quin quantitatum in vniuerſum, quoniam conceptus earum omnes ac ſinguli ſynthetici ſunt, numquam ex conceptibus ipſis, ſed ex iis, qua legibus formalibus determinationis obiectarum rerum in experientia in genere demum perſpicua erit; et vbi tandem res obiectas quaeres conceptibus conſentaneas, niſi in experientia, in qua ſola nobis res offeruntur? quamquam, non ipſa praemiſſa experientia, tantummodo in adfectione ad leges formales, quibus in ea generatim aliquid tamquam quod oblatum ſit definitur, proinde prorſus ex anticipatione, ſed tamen in adfectione ad eam, intraque fines illius ac terminos, poſſibilitatem rerum et agnoſcere poſſumus et notare ac diſtinguere.

Poſtulatum rerum *veritatis* et *exſiſtentiae* cognoſcendae requirit perceptionem, proinde ſenſationem, cuius tibi conſcius ſis, non proxime quidem, rei obiectae ipſius, cuius debet exſiſtentia cognoſci, at cohaerentiam illius cum quapiam perceptione vera, ex analogiis experientiae, quae vniuerſam coniunctionem realem in experientia vniuerſe proponunt.

In ſolo conceptu rei nulla nota ineſſe poteſt eius exſiſtentiae. Quamuis enim ille pleniſſimus et perfectiſſimus ſit, ita, vt ne minimum quidem in eo deſit, ad rem cum omnibus modis ſuis ac determinationibus cogitandam, tamen exſiſtentiae cum iſtis omnibus nihil quidquam negotii eſt, ſed in hac tantum quaeſtione occupatur: num eiuſmodi res data nobis atque oblata videatur, ita, vt perceptio eius conceptum poſſit antece-

dere. Namque eo, quod conceptus perceptionem antecedit, ſola illius poſſibilitas indicatur: ſed perceptio materiam conceptui ſuppeditans, vna eſt nota exſiſtentiae. Verum etiam ante rei perceptionem, ideoque comparatiue ex anticipatione poteſt exſiſtentia illius cognoſci, ſi modo cum perceptionibus nonnullis, ad decreta coniunctionis illarum empiricae (analogiarum) cohaerere videatur. Tum enim exſiſtentia rei cum perceptionibus noſtris in experientia poſſibili eſt connexa, ad viamque analogiarum illarum a noſtra vera perceptione poſſumus ad rem in ſerie perceptionum poſſibilium peruenire. Sic exſiſtentiam cognoſcimus materiae magneticae omnia corpora permeantis ex perceptione ſcobis ferreae attractae, quamquam pro natura inſtrumentorum ſenſus noſtri, eſſe non poteſt proxima huiusce materiae perceptio. Namque omnino, pro legibus ſenſus contextuque perceptionum noſtrarum, in experientia et in proximam viſionem empiricam illius offenderemus, ſi ſenſuum noſtrorum acies eſſet ſubtilior, quorum quippe craſſitudo formam nil quidquam attinet experientiae poſſibilis. Itaque quo perceptio, quaeque illam ſequuntur, ex legibus empiricis pertinebunt, eo etiam noſtra pertinebit cognitio exſiſtentiae rerum. Niſi ab experientia proficiſcamur, atque ſecundum leges contextus empirici viſorum pergamus, fruſtra ſperabimus, nos rei cuiuſpiam exſiſtentiam diuinaturos eſſe vel exploraturos. Grauiſſimam quidem dubitationem contra hasce leges exſiſtentiae remotius probandae mouet *Idealiſmi* ratio, quam haud abs re eſſe cenſeo data hac occaſione hoc loco refutare.

* * *

Refutatio Idealiſmi.

Idealismus (nempe materialem intelligo) cernitur in theoria, quae exſiſtentiam rerum in ſpatio extra nos vel ſolum dubiam nulliſque rationibus confirmandam, vel falſam et impoſſibilem declarat; illa ratio *problematica* Carteſii eſt, quae vnam ſolam illam adſertionem em-

piricam: *Ego ſum*, perhibet indubitatam; altera eſt *dogmatica* Berkleji, ſpatium cum vniuerſis rebus, quibus illud qua lex quaedam inſeparabilis adhaeret, aliquid reputans, quod eſſe per ſe ipſum nequeat, et propterea res in ſpatio meras vmbras et phantasmata faciens. Idealismus dogmaticus non poterit euitari, vbi ſpatium ſumſeris, qua proprietatem, quae rebus ipſis per ſe ſpectatis (ὄντως ἔστι) debeat competere; tum illud enim cum vniuerſis iis, quibus, qua conditio, inſeruit, nihilum (non-ens) videtur. Sed fundamentum huiusce idealismi ſupra in aeſthetica transſcendentali euertimus. Sed problematica idealismi ratio, nil quidquam ea de re adſerens, ſed tantum impotentiam quandam, practer noſtram, exſiſtentiae rationem ex proxima experientia euincendi, perhibens, rationi conuenit decetque ſubtilitatem inueſtigationis philoſophicae, nimirum, ne diiudicemus, antequam firmum perfectumque aliquod argumentum repertum videatur. Proinde vincendum argumento erit, rerum externarum nos non ſolum *opinionem* habere, verum etiam *experientiam*; id quod fieri non poterit, niſi, vt probari queat, vel ipſam intimam, Carteſio indubitatam, experientiam noſtram eſſe ſola poſſe ſumta experientia externa.

Theorema.

Sola, ſed empirice determinata, *exſiſtentiae* mei ipſius *conſcientia exſiſtentiam* euincit *rerum obiectarum in ſpatio* extra me.

Probatio.

Conſcius mihi ſum exſiſtentiae meae vtpote in tempore definitae. Omnis determinatio temporis aliquid *conſtans* et perpetuum ponit in perceptione. Sed conſtans et perpetuum illud eſſe non poteſt aliquid, quod in me ſit; ſi quidem ipſa exſiſtentia mea in tempore poteſt demum conſtanti illo ac perpetuo determinari ac definiri. Igitur perceptio huiusce perpetui eſſe tantum poteſt per *rem* aliquam extra me, non vero per ſolam repraeſenta

tionem rei extra me. Ergo determinatio exſiſtentiae meae in tempore duntaxat eſſe poteſt per exſiſtentiam rerum in veritate apparentium, quas extra me percipio. Atqui conſcientia in tempore cum conſcientia poſſibilitatis huiusce determinationis temporis neceſſario coniuncta eſt: ergo ea etiam cum exſiſtentia rerum extra me, qua conditio determinationis temporis, neceſſario coniuncta videtur; id eſt, conſcientia exſiſtentiae mei ipſius ſimul eſt conſcientia proxima exſiſtentiae rerum extra me aliarum.

Scholion 1. In hoc argumento animaduerti poteſt, idealiſmo luſum, quem is fecerat, maiori iure ad viciſſitudinem retribui. Is enim ſumſit, vnam proximam experientiam eſſe internam, indeque ad res externas ſolum *concludi*, ſed, vti vbique, quum ab effectis datis ad cauſas determinatas concluditur, tantum incerte, quoniam etiam in nobis ipſis repraeſentationum latere cauſa poteſt, quam rebus externis, fortaſſe falſo, attribuimus. Sed hoc loco vincimus, experientiam externam proprie proximam*) eſſe, cuiusque ſolius ope, non conſcientiam illam quidem exſiſtentiae noſtri ipſius, ſed tamen illius in tempore determinationem, id eſt, experientiam internam eſſe poſſe. Sane quidem repraeſentatione: *ego ſum*, conſcientiam exprimente, quae omnem poteſt cogitationem comitari, illud efficitur, quod proxime in ſe cohibet exſiſtentiam cuiuspiam ſubiecti,

*) Conſcientia *proxima* exſiſtentiae rerum externarum in praeſenti theoremate non ſupponitur, ſed probatur, poſſibilitatem huiusce conſcientiae perſpiciamus, nec ne, nil intereſt. Sed quaeſtio de poſſibilitate huius conſcientiae haec foret: an ſolo nos ſenſu interno gaudeamus, externo careamus, phantaſia tamen externa pollere videamur? Sed manifeſtum eſt, quo duntaxat aliquid qua extrinſecus imaginari poſſis, id eſt, ſenſui in viſione proponere, iam ſenſum externum habeas, eoque ſolam viſi externi receptiuitatem, à ſpontaneitate, qua quaeque phantaſia inſignitur, proxime debeas discernere, neceſſe eſſe. Nam ſi ſenſum externum tibi phantaſiae ope creares, facultatem videndi, quae per phantaſiam debet determinari, ipſam tolleres.

ſed nondum eius *cognitionem*, proinde quoque nullam empiricam, hoc eſt, experientiam; ad id enim, praeter cogitationem de re quadam in veritate rerum apparente, etiam viſio, et hoc loco interna, requiritur, cuius, id eſt, temporis, ratione ſubiectum determinandum videtur, ad quod neceſſario opus eſt rebus externis, ita, vt proinde ipſa interna experientia interuentu tantum, et duntaxat per externam eſſe poſſit.

Scholion 2. Quocum vſus omnis empiricus facultatis cognoſcendi noſtrae in determinando tempore definiendoque prorſus conſentire videtur. Non ſolum vt omnes determinationes temporis ſola viciſſitudine relationum externarum (motuum) reſpectu perpetui in ſpatio (veluti motum ſolarem ratione rerum obiectarum terrae) inſtituere poſſimus, nihil adeo quidquam perpetui habemus, quod notioni ſubſtantiae poſſimus, qua viſioni, ſubiicere, quam ſolam *materiam*, et hoc ipſum perpetuum non ex experientia externa hauritur, ſed ex anticipatione, tamquam lex conditioque neceſſaria cuiuscumque determinationis temporis, proinde quoque tamquam determinatio ſenſus interni ratione exſiſtentiae noſtri ipſius per exſiſtentiam rerum externarum ponitur. Conſcientia mei ipſius in repraeſentatione *ego* in nulla omnino viſione verſatur, ſed in repraeſentatione intellectuali ſpontaneitatis ſubiecti cogitantis. Inde huic *ego* ne minimum quidem attributum eſt viſionis, quod, qua conſtans et perpetuum, determinationi temporis in ſenſu intimo ſeruire correlatum queat: ſicut fere in materia *ratio imperuia* eſt qua viſio empirica.

Scholion 3. Ex eo autem, quod exſiſtentia rerum externarum ad poſſibilitatem conſcientiae noſtri ipſius determinatae requiritur, non efficitur, vt quauis repraeſentatione rerum externarum viſioni ſubiecta ſimul etiam earum exſiſtentia contineatur; ſi quidem illa commode eſſe poteſt ſolum phantaſiae effectum (tam in ſomniis, quam in errore atque deliriis), ſed tantummodo per reproductionem priſtinarum perceptionum externarum, quae, vti oſtendimus, per ſolam eſſe exſiſtentiam

poſſunt rerum extrinſecus oblatarum. Hoc loco ſolum probandum fuit, omnino experientiam internam eſſe poſſe per experientiam externam in vniuerſum. An haec vel illa experientia putatitia non in ſola opinione verſetur fictitia, ex ſingularibus illius determinationibus, et comparatione cum criteriis vniuerſae experientiae verae diiudicandum videtur.

* * *

Tandem tertium poſtulatum quidem neceſſitatem materialem in exſiſtentia ſpectat, non ſolam formalem et logicam in coniunctione conceptuum. Quum vero nulla exſiſtentia rerum ſenſibus obnoxiarum penitus poſſit ex anticipatione cognoſci, ſed comparate tamen ex anticipatione relata ad exſiſtentiam aliam iam datam, nihilominus tamen tum quoque ad illam perueniri exſiſtentiam poſſit, quae vſpiam in contextu experientiae, cuius data perceptio in partibus eſt, eſſe comprehenſa debeat: neceſſitas exſiſtentiae numquam ex conceptibus poterit, ſed ſemper tantum e coniunctione cum iis, quae percipiuntur, ad leges experientiae vniuerſales cognoſci. Nulla omnino exſiſtentia eſt, quae ſub conditione aliorum viſorum datorum qua neceſſaria queat cognoſci, praeter exſiſtentiam e cauſis datis ad leges effectionis cauſarum (cauſalitatis). Ergo non rerum (ſubſtantiarum) exſiſtentia eſt, ſed ſtatus earum, cuius ſolam neceſſitatem cognoſcere poſſumus, idque ex aliis ſtatibus, in perceptione datis, ex legibus empiricis effectionis cauſſarum. Ex quo conſequitur, criterium neceſſitatis ſola in lege ineſſe experientiae poſſibilis: quidquid fiat, qualecumque ſit, per cauſam in viſo ſiue phaenomeno ex anticipatione determinari. Hinc fit, vt ſolam neceſſitatem effectorum in rerum natura, quorum nobis cauſae datae ſunt, cognoſcamus, notaque neceſſitatis in exſiſtentia non latius pateat, quam campus experientiae poſſibilis, in eoque ipſo non exſiſtentiam rerum attingat, qua ſubſtantiarum, quippe quae numquam poſſunt qua effectum empiricum, ſiue quiddam, quod fiat et oriatur, conſiderari. Igitur neceſſitas ſolas attinet adfectiones viſorum

ex legibus dynamicis cauſalitatis, et ſuffultam iis poſſibilitatem, ab exſiſtentia vſpiam data (a cauſa) ad aliam exſiſtentiam (ad effectum) ex anticipatione concludendi. Quidquid fit, cum adiunctione (hypothetice) neceſſarium eſt; quo quidem decreto mutatio in mundo legi ſubiicitur, id eſt, regulae exſiſtentiae neceſſariae, ſine qua ne quidem locus foret rerum naturae. Vnde efficitur, decretum, quod, in mundo non *caſum* eſſe *fortuitum*, enunciat, naturae legem eſſe ex anticipatione; item nullam in natura rerum neceſſitatem caecam eſſe, ſed cum adiunctione, proinde intelligibilem neceſſitatem (non eſſe *fatum*). Vtrumque in legibus verſatur, quibus fit, vt mutationum luſus *naturae rerum* (vt viſorum) ſubiiciatur, ſiue, quod idem erit, vnitati intelligentiae, in qua ſola poſſunt ad experientiam quandam, vtpote vnitatem viſorum empiricam, pertinere. Atque haec decreta duo attingunt dynamica. Prius illud proprie in conſectario verſatur decreti cauſalitatis (in analogiis experientiae). Alterum decreta ſpectat modalitatis, quae in determinatione cauſarum conceptum inſuper addit neceſſitatis, legi tamen ſubditae intelligentiae. Decretum continui in ſerie viſorum (mutationum) vllum *ſaltum* nolebat, verum etiam in complexu omnium viſionum empiricarum in ſpatio inter duo viſa vllam lacunam, vllumue *hiatum*: namque ita poterit pronunciatum illud exprimi: nil poſſe venire in experientiam, quo *vacuum* euincatur, vel etiam qua pars ſyntheſeos empiricae concedatur. Ac vacuum quidem illud, quod extra campum experientiae poſſibilis (mundi) cogitaueris, non iurisdictioni ſubeſt ſolius intelligentiae eas tantum quaeſtiones diiudicantis, quae vſum attingunt viſorum datorum ad cognitionem empiricam, illudque quaeſtio eſt rationi propoſita ideali, ſphaeram poſſibilis experientiae transmigranti, de iisque iudicanti, quae eam ipſam cingunt et finiunt, quae proinde in dialectica transſcendentali erit examinanda. Quae decreta quatuor (in mundo non eſt hiatus, non eſt ſaltus, non eſt caſus, non eſt fatum) facile poſſemus, vti omnia decreta originis transſcendentalis, ad ordinem illorum, ordini conuenienter categoriarum

proponere, et ſuum cuique locum probare, ſed lector earum rerum peritus et exercitatus hoc ſponte faciet, viamue ad illud facile inueniet. Vniuerſa autem eo tantummodo communiter redeunt, vt in ſyntheſi empirica nil quidquam concedatur, quod intelligentiae, et continenti viſorum omnium contextui, id eſt, conceptuum vnitati, poſſit derogare. Namque in ea ſola eſſe vnitas poteſt experientiae, in qua omnes debent locum perceptiones obtinere.

Num campus eorum, quae eſſe poſſunt, maior ſit campo illorum, quae vere ſunt atque apparent, hic vero rurſus pateat latius, quam vis eorum, quae neceſſaria videntur, quaeruntur illa belle quidem, ſed ſunt ſynthetice ſoluenda, ſolique rationis iurisdictioni pariter permittenda; eo enim fere redeunt: vtrum res vniverſae, qua viſa, coniunctim ad complexum contextumque pertineant experientiae vnius, cuius vnaquaeque data perceptio in partibus ſit, quaeque proinde cum nullo alio viſo poſſit coniungi, an mea perceptio ad plures, quam ad vnam experientiam poſſibilem (in vniuerſali contextu ſuo), poſſint pertinere. Intelligentia experientiae ex anticipatione vniuerſe tantummodo regulam praecipit, ſecundum conditiones ſubiectiuas et formales cum facultatis ſenſitiuae, tum apperceptionis, quibus ea ſolis ſit, vt eſſe poſſit. Alias viſionis formas (ac ſpatium tempusque) alias item formas intelligentiae (ac diſcurſivas illas cogitationis cognitionisue per conceptus), quamquam eſſe poſſent, tamen nullo modo excogitare poſſumus et comprehendere, ſed, vt poſſemus, tamen haud pertinerent ad experientiam, ſolam cognitionem illam, in qua nobis res offeruntur. An aliae perceptiones, quam quae vniuerſe ad omnem noſtram experientiam poſſibilem pertinent, proinde quoque longe alius materiae eſſe campus queat, intelligentia non poteſt decernere, quae tantum occupata eſt in ſyntheſi eorum, quae data videntur. Praeterea tenuitas ratiociniorum noſtrorum ſolitorum, quibus permagna regio eorum, quae eſſe poſſunt, efficitur, quorum quae vere ſunt et apparent (quaecumque ſubiecta ſunt experientiae), duntaxat parua

particula videntur, in oculos incurrit. Quidquid vere exſtat, id eſſe poteſt; inde per naturam rei ex regulis logices conuerſionis, enunciatum conſequitur ſolum particulare iſtud: quaedam, quae eſſe poſſunt, re vera ſunt atque apparent; id quod idem eſſe videtur, atque: multa eſſe poſſunt, quae tamen non exſtant, neque in veritate rerum apparent. Videtur quidem eorum, quae eſſe poſſunt, numerus poſſe maior cenſeri, eorum numero, quae vere apparent, propterea quod ad poſſibilitatem debeat aliquid accedere, vt exſiſtentia conſtituatur. Verum non noſco illam ad poſſibile acceſſionem: ſiquidem quod praeterea illi deberet addi, eſſe non poſſet. Ad ſolam meam intelligentiam aliqua fieri acceſſio poteſt praeter conuenientiam cum legibus formalibus experientiae, nempe coniunctio cum quapiam perceptione; quidquid autem cum hac ex legibus empiricis coniunctum eſt, illud vere eſt et apparet, quamquam non poteſt proxime percipi. In continuo autem contextu eorum, quae data mihi in perceptione videntur, et aliam viſorum ſeriem, proinde plures vna experientia omnia complectente eſſe poſſe, ex eo, quod datum eſt, non poteſt concludi, nedum, ſi nil quidquam datum videatur; ſiquidem ſine materia nihil omnino quidquam cogitari poteſt. Quod ex legibus ſolum, quae ipſae tantummodo queunt eſſe, poteſt eſſe, non vbiuis eſt *omnique reſpectu*. Hoc vero reſpectu quaeſtio ſumitur, ſi ſcire cupimus, an poſſibilitas rerum latius pateat, quam experientia patere poſſit.

Harum quaeſtionum propterea modo mentionem feci, vt ne lacunam reliquam in iis facerem, quae, ex communi quidem ſententia, ad conceptus pertinent intelligentiae. Reapſe autem poſſibilitas abſoluta, quae omni reſpectu valet, non in ſolo conceptu intelligentiae verſatur, neque vllo modo vſum habere empiricum poteſt, ſed rationi propria eſt, omnem poſſibilem vſum intelligentiae empiricum tranſeunti. Quamobrem hic nobis in ſolo ſcholio critico acquieſcendum fuit, qui rem caeteroquin hactenus futurae disquiſitioni ſeruamus.

Antequam vero huic quarto loco, ſimulque ſyſtemati omnium decretorum intelligentiae purae finem imponam, reddenda mihi ratio erit, cur ipſa decreta modalitatis poſtulata nominem. Nolo hoc vocabulum ea ſignificatione hic accipi, quam ei quidam recentiores ſcriptores philoſophici, contra ſenſum mathematicorum, quibus illud tamen proprium eſt, tribuerunt, ita, vt poſtulare idem dicatur, atque enunciatum quoddam pro proxime certo declarare, non addita eius vel deductione vel probatione; etenim ſi iſtud in enunciatis ſyntheticis, vtcumque euidentibus, concedere deberemus, vt ea, omni deductione deſtituta, ad ſolam ſententiae illorum auctoritatem, ſimplici adſenſu comprobare liceret, actum erit de vniuerſa critica intelligentiae, cumque nulla inopia ſit adſertionum fidentium, quas etiam communis fides haud recuſat (cui vero nullum teſtimonium fidem facit); intelligentia noſtra cuiuis opinioni patebit, neque ea adſenſum decretis denegare poterit, quae, quamuis illegitime, tamen eadem fiducia pro veris axiomatis cupiant admitti. Itaque cum ad conceptum cuiusdam rei determinatio ex anticipatione accedit ſynthetice, tum eiusmodi enunciati, ſi non probatio, tamen certe deductio iuris factae adſertionis neceſſario addenda erit.

Sed decreta modalitatis non ſunt obiectiue ſynthetica, eo quod attributis poſſibilium, exſtantium, neceſſariorum conceptus, de quo illa enunciantur, ne minimum quidem augetur, ita, vt repraeſentationi obiectae rei iis aliquid adiiciatur. Verum cum tamen ſynthetica ſint, ſunt ea ſubiectiua tantummodo, id eſt, ad conceptum rei (realis), de quo nil amplius quidquam enunciant, vim cognoſcendi iungunt, ex qua ille oritur, et in qua ſedem habet, ita, vt, ſi in intelligentia cum ſolis legibus experientiae formalibus coniunctus eſt, res ei ſubiecta poſſibilis dicatur; ſi cum perceptione (ſenſatione, qua materia ſenſuum) connexus, per eamque ope intelligentiae determinatus eſt, res ei obnoxia vere apparens atque exſtans vocetur; ſi denique contextu perceptionum ſecundum conceptus determinatus eſt, res ei

propoſita neceſſaria nominetur. Igitur decreta modalitatis nil quidquam aliud de conceptu enunciant, quam eam facultatis cognoſcendi actionem, qua ille generatur. Atqui poſtulatum in matheſi pronunciatum dicitur *actiuum* (practicum), nil in ſe continens praeter ſyntheſin, qua nobis rem primum ſubiicimus, eiusque conceptum generamus, veluti data linea puncto dato in ſuperficie orbem deſcribere, atque eiusmodi enunciatio propterea non probari poteſt atque euinci, quoniam, quam poſtulat, eadem illa tractatio eſt, qua conceptum talis figurae generamus. Ergo eodem iure decreta modalitatis poſtulare poſſumus, quia conceptum rerum omnino non augent, *) ſed ſolum modum oſtendunt, quo ille vniuerſe cum facultate cognoſcendi coniungitur.

* * *

Scholion generale ad ſyſtema decretorum.

Dignum maxime notatu eſt, nullius nos poſſibilitatem rei e ſola categoria perſpicere poſſe, ſed ſemper in promtu habere viſionem oportere, in qua realitatem obiectivam conceptus puri intelligentiae proponamus. Eius generis exemplo nobis poſita ſit categoria adfectionis (relationis). Quomodo 1) aliquid tantummodo qua *ſubiectum*, non qua ſola determinatio aliarum rerum exſtare, id eſt, eſſe *ſubſtantia* poſſit, aut quomodo 2) propterea, quod aliquid eſt, aliquid eſſe neceſſe ſit, proinde quomodo omnino aliquid eſſe cauſa poſſit, aut 3) quomodo, ſi res plures exſtant, inde, quod vna earum exſtat, aliquid reliquas atque ita mutuo conſequatur, et ſic commercio ſubſtantiarum eſſe locus poſſit, nullis prorſus e conceptibus poterit perſpici. Idem etiam et in reliquis

*) Per *exſiſtentiam* rei cuiusdam profecto plus ponitur poſſibilitate, ſed non *in ea re*; quippe quae in exſiſtentia numquam plus continet, quam quae in plena illius abſolutaque poſſibilitate comprehendebantur. Verum cum poſſibilitas in ſola poſitione rei in adfectione ad intelligentiam (vſum eius empiricum) cernatur, ſequitur, vt exſiſtentia ſimul in coniunctione verſetur illius cum perceptione.

categoriis valet, quomodo res cum multis coniunctim idem, id eſt, eſſe quantitas poſſit, et quae ſunt de genere eodem. Itaque quamdiu viſio deeſt, neſcias, an categoriis rem obiectam cogites, et an iis etiam omnino quaepiam poſſit res obiecta competere, atque ita confirmatur, eas per ſe nullas prorſus cognitiones eſſe, ſed ſolas formas cogitationum, quibus fiat, vt e viſionibus datis exſiſtant cognitiones. Atque hinc pariter accidit, vt e categoriis ſolis nil quidquam queat *συνθετικῶς* enunciari. Exemplo ſit hocce pronunciatum: in quauis exſiſtentia eſt ſubſtantia, id eſt, quiddam, quod ſolum qua ſubiectum queat, neque qua ſolum attributum exſtare; vel hoc: quaeque res eſt quantum aliquod, et quae ſunt generis eiusdem; vbi plane nihil erit, quo nosmet innitamur, vt conceptum datum transgredi cum eoque alium connectere poſſimus. Vnde etiam nemini vmquam ſucceſſit, vt e ſolis conceptibus puris intelligentiae pronunciatum aliquod ſyntheticum probaret, velut hocce decretum: quidquid fortuito exſtat, cauſam habet. Nil quidquam in ea re effectum eſt amplius, quam vt probaretur, absque hac adfectione, nos prorſus *non* poſſe exſiſtentiam fortuiti *comprehendere*, id eſt, ex anticipatione per intelligentiam eiusmodi rei exſiſtentiam cognoſcere; ex quo tamen non ſequitur, vt eadem etiam conditio ſit poſſibilitatis rei ipſius. Si igitur noſtram probationem decreti cauſalitatis reſpexeris, animaduertes, nos non potuiſſe illud euincere, niſi de rebus experientiae ſubiectis poſſibili: quidquid fit (quoduis euentum) cauſam ante ſe habeat, neceſſe eſt, et ita quidem, vt illud etiam tantummodo qua decretum poſſibilitatis experientiae, proinde *cognitionis* rei obiectae in *viſione empirica* datae poſſemus, non e ſolis conceptibus probare. Nihilominus tamen haud negandum eſt, effatum hocce: omnia fortuita cauſam habeant, neceſſe eſt, cuique e ſolis conceptibus perſpicuum eſſe; tum vero conceptus fortuiti ita informatus eſt, vt haud categoriam modalitatis (tamquam eius, quod non eſſe cogitari queat), ſed relationis (vt eius, quod qua conſecutio alterius exſtare poſſit), contineat, atque illud ſane pronunciatio identica eſt: quid-

quid exſtare qua ſolum conſequens poteſt, cauſam ſui habet. Ac ſane quidem, ſi exempla ponere exſiſtentiae fortuitae debemus, ad *mutationes* ſolemus, non ad ſolam poſſibilitatem cogitationis *contrarii* *) prouocare. Sed mutatio cernitur in euento, quod, qua tale, eſſe ex ſola cauſa poteſt, quae, vt non ſit, per ſe eſſe poteſt, atque ita fortuita ratio cognoſcitur ex eo, quod non poteſt aliquid, niſi qua effectum cauſae cuiusdam exſtare; itaque ſi res qua fortuita ſumitur, tum, eam ſui cauſam habere, *ἀναλυτικῶς* enunciatur.

Sed longe magis notatu dignum videtur, vt poſſibilitatem rerum ex categoriis intelligamus, atque ita harum *realitatem* obiectiuam probemus, nobis non ſolis opus viſionibus eſſe, ſed adeo ſemper *viſionibus externis*. Veluti ſi, vt hoc vtar, conceptus ſumamus puros *relationis*, inuenimus, 1) vt conceptui *ſubſtantiae* congruenter aliquid *conſtantis* perpetuique in viſione offeramus (eoque realitatem huiusce notionis obiectiuam euincamus), nos opus viſione in *ſpatio* (materia) habere, ſi quidem ſpatium ſolum conſtanter determinat, ſed tempus, proinde cuncta, quae ſunt in ſenſu interno, perpetuo fluit et labitur. 2) Vt mutationem, qua viſionem notioni cauſalitatis conſentaneam, oſtendamus, motum, oportebit, vt mutationem in ſpatio, exemplo ponamus, quin adeo hoc ſolo poſſumus mutationes, quarum nulla pura intelligentia poteſt poſſibilitatem comprehendere, viſioni ſubiicere. Mutatio cernitur in coniunctione deter-

*) Non eſſe materiam facile cogitari poteſt, nec inde vero veteres effecerunt, eam eſſe fortuitam. Sed ipſa viciſſitudo exſiſtentiae et non-exſiſtentiae cuiuspiam ſtatus dati alicuius rei, in quo omnis mutatio cernitur, minime probat, hunc ſtatum eſſe fortuitum, quaſi ex exſiſtentia contrarii, veluti quies corporis, quae motum ſequitur, nondum euincit, motum illius fortuitum eſſe, inde quoniam quies motui contraria videtur. Nam iſtuc contrarium hoc loco tantummodo logice eſt, haud vere atque realiter alteri *oppoſitum*. Probandum foret, *loco* motus in articulo temporis antegreſſo, potuiſſe fieri, vt corpus *tum* quieniſſet, vt probaretur, motum fortuitum eſſe, non illud *poſtea* quieſcat; tum enim commode poſſunt ambo contraria conſiſtere.

minationum ex contrariis diſiunctarum in exſiſtentia vnius eiusdemque rei. Qui igitur fieri poſſit, vt e ſtatu dato contrarius eiusdem rei ſtatus conſequatur, non ſolum nulla ratio poteſt ſine exemplo comprehendere, ſed ne quidem ſine viſione intelligere, atque haec eſt viſio motionis puncti in ſpatio, cuius exſiſtentia in diuerſis locis (tamquam conſequens determinationum contrariarum) primum nobis ſola mutationem reddit conſpiciendam: ſi quidem, vt deinde queamus ipſas mutationes internas cogitare, tempus, oportebit, vt formam ſenſus intimi, figurate per lineam, et mutationem internam hacce linea ducenda (motu), ideoque ſucceſſiuam noſtri ipſius exſiſtentiam in ſtatu diuerſo per viſionem externam nobis perſpicuam reddamus; cuius rei quidem vera cauſa haec eſt, quod omni mutatione aliquid ponitur conſtans et perpetuum in viſione, vt ipſa poſſit qua ſola mutatio percipi, in ſenſu autem intimo nulla prorſus conſtans viſio deprehenditur. Tandem categoria *commercii*, ſecundum poſſibilitatem ſuam nullo modo poteſt ex ſola ratione comprehendi, ideoque obiectiua conceptus huiusce realitas ſine viſione, eaque externa in ſpatio haud perſpici. Nam quomodo poterit poſſibilitas cogitari, ſi plures exſtent ſubſtantiae, ex exſiſtentia vnius poſt exſiſtentiam alterius viciſſim aliquid (qua effectum) conſequi poſſe, et proinde, quoniam in illa aliquid eſt, propterea etiam in altera eſſe quiddam oportere, quod ex exſiſtentia huiusce alterius ſola intelligi non poteſt? hoc enim requiritur ad commercium, nec vero in rebus quibusque ex ſubſiſtentia ſua ſolitariis, prorſus non poteſt comprehendi. Id quod in cauſa fuit, cur *Leibnitius*, cum ſubſtantiis mundi, tantummodo vti eas intelligentia ſola cogitat, commercium tribueret, deo opus interveniente haberet; illi enim iure optimo videbatur ex ſola exſiſtentia is non poſſe comprehendi. Sed facile poſſumus poſſibilitatem commercii (ſubſtantiarum qua viſorum) docere, ſi nobis eas in ſpatio, proinde in viſione externa repraeſentamus. Namque ſpatio iam ex anticipatione adfectiones externae formales qua leges poſſibilitatis realium (in actione et reactione, ideoque commer-

cii) continentur. Itidem facile poteſt euinci, poſſibilitatem rerum qua *quantitatum*, ideoque realitatem obiectiuam categoriae quantitatis etiam in ſola poſſe viſione externa oſtendi, ſolaque hac interueniente deinde etiam ad ſenſum internum accommodari. Sed, ne longus videar, eius rei exempla permittere lectori cogor.

Hoc totum ſcholion permagni momenti eſt, non ſolum vt praemiſſa idealiſmi confutatio confirmetur, ſed praeterea potius, vt, ſi de *cognitione ſui* ex ſola conſcientia interna, naturaeque noſtrae determinatione ſine adminiculo viſionum empiricarum externarum ſermo erit, carceres poſſibilitatis eiusmodi cognitionis nobis monſtrentur.

Itaque vltimum ex hac tota ſectione hocce conſectarium videtur: omnia decreta intelligentiae purae nil quidquam amplius ſunt, quam principia ex anticipatione poſſibilitatis experientiae, atque ad hanc poſteriorem ſolam et vniuerſa pronunciata ſynthetica ex anticipatione referuntur, atque etiam ipſa illorum poſſibilitas tota pendet ex hacce relatione.

Doctrinae transſcendentalis facultatis iudicandi

(Analytices decretorum)

CAPUT TERTIUM.

De fundamento diuiſionis omnium omnino rerum oblatarum in phaenomena et noumena.

Intelligentiae purae regionem iam non ſolum peragrauimus, et vnamquamque eius partem diligenter luſtrauimus, ſed etiam ſumus emenſi, et ſuum cuique in ea locum rei decreuimus. Sed ea regio inſula eſt, per naturam ipſam immotis carceribus incluſa. Eſt ea regio veri (bellum nomen!) amplo et procelloſo circumdata oceano, propria ſede fallentis formae, vbi multa nebula, multaque glacies breui liqueſcens nouas terras mentitur, nautamque vagum nouasque oras anquirentem, vana ſpe perpetuo lactans, temeritatibus implicat,

quibus numquam abſtinere, neque tamen vmquam ſeſe inde poteſt expedire. Priusquam autem huic nos mari committamus, vt illud ex omnibus latitudinis partibus perſcrutemur, certique euadamus, an quidquam ſit in iis ſperandum, multum proderit, antea mappam inſpicere regionis illius, quam iam relicturi ſumus, primoque quaerere, vtrum iis, quae in ſe ea continet, omnino eſſe contenti poſſimus, aut etiam neceſſitate quadam contenti eſſe cogamur, ſi nuſpiam omnino territorium ſit, quod colere poſſimus; deinde quo titulo regionem illam tenere, nosque contra omnes petitiones hoſtiles habere tutos queamus. Quamquam in pertractatione analytices ad iſtas quaeſtiones iam ſatis reſpondimus, tamen breui ſolutionum recenſione firmitas animi corroborabitur, quo magis eo momenta illius in vno puncto videntur coniungi.

Vidimus nimirum, quae ex ſe ipſa haurit, neque ab experientia mutuat, cuncta tamen intelligentiam non, niſi ad ſolum vſum empiricum habere. Decreta intelligentiae purae, ſiue ex anticipatione conſtitutiua ſint (vti mathematica), ſiue duntaxat regulatiua (velut dynamica) nihil in ſe continent, quam quaſi ſolum ſchema purum ad experientiam poſſibilem; quippe quae vnitatem habet ab vnitate illa ſynthetica acceptam, quam intelligentia ſyntheſi phantaſiae in adfectione ad apperceptionem originarie et ſponte impertit, atque ad quam viſa, qua data ad cognitionem poſſibilem iam ex anticipatione adfecta eſſe debent, cum iisque conuenire. Quamquam autem hae leges intelligentiae non ſolum ex anticipatione verae ſunt, ſed vel ipſum fontem vniuerſi veri efficiunt, hoc eſt, conuenientiae cognitionis noſtrae cum rebus obiectis, eo, quod cauſa iis continetur poſſibilitatis experientiae, tamquam complexus cognitionis vniuerſae, in qua res obiectae dari nobis queant, tamen nobis non videtur ſatis, vt ſola ea, quae vera ſunt, proponantur, ſed quae ſcire cupimus. Quodſi igitur ex hac inueſtigatione critica haud plura diſcimus, quam quae ex ſolo vſu empirico intelligentiae, nulla tam ſubtili perſcrutatione adhibita, ipſi fere didiciſſemus, videtur commodum,

quod inde percipitur, haud dignum impenſa atque apparatu. Cui quidem reſponderi poteſt: nullam temeritatem eſſe cognitioni noſtrae dilatandae perniciosiorem, quam quae commodum ante noſſe cupiat, quam inueſtigatio inſtituatur, et priusquam ne minimam quidem illius commodi in animo poſſis cogitationem informare, ſi illud etiam ob oculos poneretur. Sed et aliud adhuc commodum eſt, vel difficillimo ac tardiſſimo tironi talis inueſtigationis transſcendentalis facile comprehenſu, quod illi etiam poſſit carum reddi et iucundum, idque in eo cernitur, quod intelligentia, vſu tantum ſuo empirico occupata, quae fontes propriae cognitionis ſuae animo non perſcrutatur, bene quidem progredi poteſt, vnum tamen efficere non poteſt, nempe ſibimet ipſi fines ac terminos vſus ſui definire, et, quae intra vel extra omnem ſphaeram ſuam ſita ſint, noſſe; ad id enim opus eſt profundis inueſtigationibus illis a nobis inſtitutis. Quodſi autem non poterit diſcernere, certa quaedam ſita in orbe ſuo finiente (horizonte) ſint, nec ne, numquam de iure ſuo ac poſſeſſione certa erit, ſed innumeras, quae ruborem incutiant, reprehenſiones exſpectet, neceſſe erit, ſi (quod cuitari non poterit) carceres ditionis ſuae perpetuo migrauerit, ad opinionemque et fallacias delabi ſe paſſa fuerit.

Igitur intelligentiam vniuerſis decretis ex anticipatione ſuis, quin omnibus conceptibus ſuis vti non niſi empirice poſſe, numquam via transſcendentali, pronunciatum eſt, quod, ſi cum firmitate agnoſci poteſt, grauiſſima conſequentia proſpectat. Vſus conceptus transſcendentalis cuiuspiam decreti in eo cernitur, vt ad res vniuerſe et per ſe, ſed empiricus, vt ad ſola *viſa*, id eſt, res experientiae ſubiectas poſſibili, referatur. Eſſe autem poſteriori vſui locum poſſe, ex hoc intelligitur. Ad quemque conceptum primo forma logica conceptus (cogitationis) generatim, deinde etiam poſſibilitas, rem illi quandam ſubiiciendi, requiritur. Sine hac re obiecta ſenſu ille conceptus caret, prorſusque materia vacuus eſt, quantumuis functionem logicam contineat, ex qui-

buſdam fortaſſe datis conceptus efficiendi. Atqui res non poteſt conceptui ſubiici, niſi in viſione, et, ſi viſio pura iam ante rem obiectam eſſe ex anticipatione poteſt, tamen haec ipſa rem ſibi ſubiectam, proinde obiectivum valorem poteſt ſola viſione empirica, cuius ea forma eſt, accipere. Ergo vniuerſi conceptus, et vniuerſa decreta, quantumuis ex anticipatione ſint, tamen ad viſiones empiricas, ad data experientiae poſſibilis referuntur. Quodſi ſecus ſit, nullus iis valor ſubiectiuus erit, potiusque in ſolo illi luſo verſabantur, ſiue phantaſiae, ſiue intelligentiae vna cum repraeſentationibus ſuis cuiusque. Exemplo eſſe conceptus mathematicorum poſſunt, et primo quidem in viſionibus puris. Spatium tres dimenſiones habet, inter duo puncta eſſe tantum linea recta poteſt, et ſimilia. Quamquam cuncta haec decreta, reique obiectae repraeſentatio, in quibus illa ſcientia verſatur, prorſus ex anticipatione in animo generantur, tamen nil quidquam ſignificarent, ſi in viſis (rebus obiectis empiricis) earum non poſſet ſignificatio oſtendi. Quamobrem etiam poſtulatur, vt conceptus ſeparatio ad ſenſum reuocetur, id eſt, vt ei obiecta res conſentanea in viſione proponatur, quoniam, ſi ſecus ſit, conceptus (vt aiunt) ſine *ſenſu*, id eſt, ſine ſignificatione maneret. Matheſis hoc efficit conſtruenda figura, quae cernitur in praeſenti ſenſibus (quamuis ex anticipatione abſoluto) viſo. Notio quantitatis in eadem doctrina poteſtatem et ſenſum quaerit in numero, hic vero in digitis, in calculis abaci, vel lineis et punctis ob oculos collocatis. Sed notio ſemper manet ex anticipatione nata, cum decretis ſyntheticis formulisue ex eiusmodi notionibus profectis: Verum vſus eorum adfectioque ad res obiectas nusquam poteſt niſi in experientia quaeri, cuius poſſibilitas (quoad formam) illis ex anticipatione comprehenſa tenetur.

Idem vero etiam in cunctis categoriis et inde effectis decretis locum habere, inde quoque perſpicuum eſt, quod earum ne vllam quidem realiter definire, id eſt, poſſibilitatem rei ipſis obiectae poſſumus enodare, niſi

ad conditiones ſenſus, proinde ad formam viſorum, nosmet demittamus, ad quas, vt ſolas res ſubiectas ſibi, proinde eſſe adſtrictae debent, quoniam hac conditione ſublata, omnis ſignificatio, id eſt, ad rem obiectam relatio, tollitur, nulloque tibi exemplo reddere perſpicuum poſſis, quid hiſce tandem notionibus proprie intelligatur.

Notionem quantitatis in genere nemo poteſt, niſi ſic fere, definire, vt in determinatione rei verſetur ea, qua, quoties poſitum in ea vnum ſit, poſſit cogitari. Sed illud quoties pendet a repetitione ſucceſſiua, proinde a tempore atque a ſyntheſi (homogenei) in eo. Realitas negationi oppoſita tum ſolum poteſt definiri, cum tempus (vt complexus cuiusuis exſiſtentiae) cogitatur, aut repletum aliqua re, aut vacuum. Quodſi conſtantiam et perpetuitatem (quae in exſiſtentia in omni tempore verſatur) omiſerim, nil mihi quidquam ad ſubſtantiae notionem relinquitur, praeterquam repraeſentatio logica ſubiecti, quam eo veram effici puto, vt mihi repraeſentem aliquid, cui tantum qua ſubiecto (ita, vt nullius attributum ſit) eſſe locus poſſit. Neque vllas vero conditiones ſcio, quibus fiat, vt hic logicus principatus cuipiam rei ſit proprius futurus; ſed etiam ad nihil ille vtilis videtur, neque quidquam inde elici poteſt, quoniam eo nulla prorſus res determinatur vſui ſubiecta conceptus huiusce, proinde plane neſcias, an illi omnino aliqua vis ac poteſtas ineſſe videatur. De notione cauſae (omiſſo tempore, in quo aliud quid ad regulam conſequitur) in categoria pura nihil amplius reperirem, quam tale quiddam eſſe, e quo poſſit ad alius exſiſtentiam concludi, eoque non ſolum cauſa ab effecto poſſet diſcerni, ſed quoniam, vt ſic concludere poſſim, leges mox requirantur, quas prorſus neſciam, conceptus omni determinatione careret, quomodo in quampiam rem obiectam quadret. Putatitium decretum illud: omne fortuitum cauſam habet, tamquam in ſe dignitatem ſuam habeat, grauiter hic occurrit. Verum quaero; quam verbo fortuiti vim poteſtatemque tribuitis? et reſpondetis, id, quod, vt non ſit, eſſe poteſt. Sed

ſcire aueo, quanam ex re iſtam poſſibilitatem non-exſiſtentiae cognoſcere velitis, niſi in ſerie phaenomenorum ſucceſſionem, et in hacce exſiſtentiam, quae non-exſiſtentiam ſubſequatur (vel viciſſim retro), proinde ſucceſſionem cogitetis; namque non-exſiſtentiam rei ſibi ipſam non repugnare, claudicans prouocatio eſt ad conditionem logicam, neceſſariam illam quidem ad conceptum, ſed ad poſſibilitatem realem minime idoneam; quemadmodum quamque ſubſtantiam exſtantem cogitatione tollere poſſum ac delere, ita, vt minime mihi repugnem, inde autem ad rationem fortuitam in exſiſtentia obiectiuam, id eſt, ad poſſibilitatem non-exſiſtentiae per ſe, minime potero concludere. Quod notionem attinet commercii, facile intelligitur, cum categoriae purae et ſubſtantiae et cauſalitatis nullam definitionem permittant, rem obiectam determinantem, cauſalitatem mutuam in relatione ſubſtantiarum ad ſe inuicem (commercio) aeque minus iſtud poſſe. Et poſſibilitatem, et exſiſtentiam, et neceſſitatem nemo vmquam homo potuit, niſi per manifeſtam tantologiam, definire, qui definitionem earum ex intelligentia pura haurire vellet. Qui enim poſſibilitatem *conceptus* logicam (cum ſecum ipſo haud is pugnet) poſſibilitati *rerum* transſcendentali (cum conceptui res obiecta reſpondet) ſupponunt, ii praeſtigias faciunt, quibus imperitis tantum imponi poteſt et ſatisfieri. *)

Ex quo neceſſario efficitur, vt conceptus puri intelligentiae numquam vſum transſcendentalem poſſe, ſed ſemper ſolum empiricum habere, vtque decreta intelligentiae purae duntaxat in adfectione ad leges vniuerſales experientiae poſſibilis, ad res ſenſibus ſubiectas,

*) Ad ſummam, omnes iſti conceptus nulla re poſſunt *probari*, eoque realis illorum poſſibilitas euinci, vniuerſa viſione ſenſitiua ſublatâ (ſola illa, quam habemus), nihilque tum niſi poſſibilitas logica relinquitur, id eſt, conceptum (cogitationem) eſſe poſſe, de quo vero non ſermo eſt, ſed an is rem quampiam obiectam ſpectet, ideoque vllum quidpiam ſignificet.

numquam autem ad res in vniuerſum (nulla habita ratione modi iſtius, quo eas videre atque intueri poſſimus), queant referri.

Inde planum eſt, ex analytica transſcendentali, quod ſane grauiſſimum eſt, conſequi: intelligentiam ex anticipatione numquam poſſe quidquam amplius efficere, quam vt formam experientiae vniuerſe anticipet, cumque id, quod non eſt viſum, haud eſſe obnoxium poteſt experientiae, carceres ſenſus, intra quos ſolos res nobis offeruntur, numquam poſſe migrare. Decreta eius in ſolis ſunt principiis expoſitionis viſorum, nomenque illud ontologiae ſuperbiens, quae per arrogantiam conatur omnino cognitionem rerum ſyntheticam ex anticipatione in doctrina quadam ad diſciplinae formam compoſita proponere (velut decretum cauſalitatis) modeſto merae analytices intelligentiae purae nomini, oportebit, locum concedat.

Cogitatio actione continetur datas viſiones ad rem obiectam referendi. Cum genus huiusce viſionis nullo modo datum eſt, tum res obiecta mere transſcendentalis erit, et conceptui nullus competit vſus, niſi transſcendentalis, nempe vnitas cogitationis varietatis cuiusdam vniuerſe. Igitur per categoriam puram, in qua ab omni lege viſionis ſenſus abſtinueris, nulla res oblata determinatur, ſed ſolum cogitatio obiectae rei in genere, ex variis modis, exprimitur. Iam ad vſum conceptus et praeterea functio pertinet facultatis indicandi, ad quam res obiecta adſumitur, proinde lex illa certe formalis, qua fit, vt poſſit aliquid in viſione offerri. Quae lex ſi deerit facultati indicandi (ſchema), nullus quoque locus adſumtioni relinquetur; neque enim datur quidquam atque offertur, quod queat ad conceptum adſumi. Quamobrem ſolus categoriarum vſus transſcendentalis vſus reapſe nullus eſt, neque in determinata, aut vel ad ſolam formam determinabili re oblata verſatur. Quae cum ita ſint, effectum eſt, categorias puras etiam ad nullum decretum ſyntheticum ex anticipatione idoneas, decretorumque intelligentiae vſum ſolum empiricum vi-

deri, non vero transſcendentalem, nuſpiam autem locorum extra campum poſſibilis experientiae eſſe poſſe decreta ſynthetica ex anticipatione.

Quocirca e re eſſe poterit, ſi ſic dicamus: categoriae purae, legibus ſenſus formalibus deſtitutae, ſolam vim habent transſcendentalem, nec tamen transſcendentalem vſum, quippe qui per ſe non poteſt eſſe, eo quod omni lege cuiuspiam vſus (in iudiciis) illae carent, nempe legibus formalibus adſumtionis cuiuspiam rei obiectae ad haſce notiones. Cum igitur (qua purae categoriae) vſum habere empiricum non debeant, et transſcendentalem non poſſint, ſequitur, vt, a ſenſibus ſeiunctae, nullius prorſus vſus ſint, id eſt, vt nequeant ad vllam rem obiectam transferri; potiusque in ſola forma pura verſantur vſus intelligentiae ratione rerum obiectarum in genere et cogitationis, ita tamen, vt iis ſolis nulla vſpiam obiecta res cogitari queat, aut determinari.

Interea hic illuſio ſubeſt perdifficiliter euitanda. Categoriae ratione originis ſuae haud a ſenſu pendent, veluti formae viſionis, ſpatium tempusque; proinde videntur vſum ad omnes res ſenſibus ſubiectas extenſum concedere. Verum per ſe nihil quidquam ſunt, quam *formae cogitandi*, quae ſolam in ſe vim logicam continent; varia in viſione data in conſcientia ex anticipatione coniungendi, tum vero, ſi, quae nobis eſſe ſolis poteſt, iis viſio dematur, minorem vim habere poſſunt, quam illae formae purae ſenſitiuae, quibus ſaltem res quaedam offertur, cum noſtrae intelligentiae proprius coniunctionis variorum modus, niſi illa viſio, in qua haec ſola poſſunt offerri, accedat, nil quidquam valeat. Nihilominus tamen in noſtro iam conceptu ineſt, ſi certas res oblatas quasdam, vt viſa, naturas ſenſibiles (phaenomena) dicimus, dum modum, quo eas conſpicimus et intuemur, a natura illarum abſoluta diſcernimus, vt vel easdem ad hanc illarum naturam, quamuis eas in ea haud conſpiciamus, vel etiam alias res poſſibiles noſtro ſenſui non obnoxias, vt res oblatas per ſolam intelligentiam cogitatas, iis quaſi ex aduerſo collocemus, easque res in-

telligibiles (noumena) vocemus. Itaque quaeritur: anne noſtrae notiones purae intelligentiae ratione harum poſteriorum vim habere queant, earumque eſſe modus cognitionis poſſit?

Verum hic ſtatim in principio ambiguitas emergit, quae cauſa permagni eſſe erroris poteſt. Quippe intelligentia, ſi rem obiectam aliquam certo reſpectu ſolum phaenomenon appellat, praeterea ſimul repraeſentationem informat rei oblatae per ſe ſpectatae, proinde cogitat, ſe etiam poſſe eiusmodi obiectae rei conceptum effingere. Cum vero intelligentia nil quidquam ex ſe praeter categorias promat, fit, vt ſibi perſuadeat, illam rem oblatam per ſe (ὄντως ὄν) his certe notionibus puris ſuis cogitatione informari poſſe. Sed ea re facile adducitur, vt conceptum naturae intelligibilis, vt cuiuspiam in vniuerſum extra ſenſum noſtrum conſtitutae, indefinitum prorſus illum quidem pro conceptu *determinato* naturae habeat cuiusdam, quam ope intelligentiae aliquo modo cognoſcere poſſimus.

Si vocabulo noumeni rem intelligimus, quatenus noſtrae viſioni ſenſitiuae haud eſt ſubiecta, dum a noſtro illam videndi modo mentem abducimus; ea res ſenſu *negatiuo* noumenon dicetur. Si autem rem intelligimus viſioni ſubiectam *non ſenſitiuae*, peculiarem videndi modum ſumimus, nimirum intellectualem, quae vero non noſtra eſt, cuius etiam non poſſumus poſſibilitatem perſpicere; eaque res ſenſu *poſitiuo* noumenon foret.

Doctrina de facultate ſenſitiua ſimul doctrina continetur noumenorum ſenſu negatiuo, id eſt, rerum, quas intelligentia ſine hac adfectione ad noſtram videndi rationem, proinde non qua mera viſa, ſed qua res per ſe tales, quales videntur, cogitare debet, quas in hac ſeiunctione autem ex categoriis in eo genere ſe non poſſe perpendere, neque hiſce vti poſſe facile comprehendit, quippe quae in ſola adfectione ad vnitatem viſionum in ſpatio et tempore vim habent, eamdem vnitatem illam propter ſolam ſpatii temporisque idealitatem ex vniuerſalibus conceptibus copulatiuis ex anticipatione definire

poſſunt. Vbi non poteſt haec vnitas chronica deprehendi, proinde in noumeno, ibi omnis vſus ceſſat prorſus, quin ipſa vniuerſa vis categoriarum; namque ipſa poſſibilitas rerum, quae categoriis debent reſpondere, nullo modo poteſt perſpici; qua de re ad ea liceat prouocare, quae ſupra in ſcholio generali ad caput antecedens ſtatim in principio monui. Atqui poſſibilitas rei cuiusdam numquam ex conceptu illius non repugnante, ſed ita poterit euinci, vt hunc viſione conſentanea illi et congruente muniamus. Si igitur categorias ad res obiectas adplicare velimus, quae haud contemplantur qua viſa, aliam, quam quae ab ſenſu proficiſcitur, neceſſe eſt, viſionem habeamus, actum res oblata phaenomenon ſenſu poſitiuo videretur. Quum autem talis, nempe intellectualis viſio omnino extra noſtram cognoſcendi facultatem ſita videatur, fieri non poteſt, vt vſus categoriarum vllo modo vltra fines ac terminos rerum experientiae ſubiectarum porrigatur, ac naturis ſenſitiuis ſane quidem naturae intelligibiles reſpondent, ſint etiam fortaſſe naturae intelligibiles, ad quas nulla prorſus facultatis videndi ſenſitiuae noſtrae adfectio eſt, ſed conceptus intelligentiae noſtrae, qua ſolae formae cogitandi viſioni ſenſitiuae noſtrae accommodatae, minime ad haſce pertinent; ex quo efficitur, vt, quod nos phaenomenon dicimus, ſenſu tantummodo negatiuo intelligatur.

Quodſi omnem (per categorias) cogitationem e cognitione empirica ſuſtulero, nulla prorſus cuiuspiam oblatae rei cognitio relinquitur; namque ſola viſione nil quidquam cogitatur, eoque, quod haec adfectio ſenſus in me ineſt, nulla omnino relatio efficitur talium repraeſentationum ad quampiam rem oblatam. Si e contrario omnem viſionem tollo, tamen adhuc forma cogitationis manet, id eſt, modus, quo varietati poſſit viſionis poſſibilis res quaedam obiecta determinari. Vnde categoriae propterea latius patent, quam viſio ſenſitiua, quoniam eae res obiectas vniuerſe cogitant, ita, vt haud modum peculiarem reſpiciant (ſenſus), in quo dari poſſint atque offerri. Neque tamen eo maiorem ſphaeram

rerum obiectarum determinant, ſi quidem, eas poſſe dari, non poteſt ſumi, niſi aliam, quam quae a ſenſu proficiſcitur, eſſe viſionem poſſe, poſueris, quod nullo iure fieri poterit.

Conceptum dico problematicum, qui liber eſt ab repugnantia, quique qua circumſcriptio conceptuum datorum cum aliis notitiis cohaeret, cuius autem realitas obiectiua nullo modo cognoſci poteſt. Conceptus noumeni, hoc eſt, rei, quae neutiquam qua res ſubiecta ſenſibus, ſed qua res per ſe (per ſolam intelligentiam puram) cogitari debet, minime repugnat; nam ſenſum ſolam eſſe rationem viſionis poſſibilem, non poteſt adſeri. Iam vero hic conceptus neceſſarius eſt, vt ne viſio ſenſitiua ad res per ſe ipſas extendatur, ideoque vt cognitionis a ſenſu profectae obiectiuus valor circumſcribatur (caetera enim, quae illa haud attingit, hac ipſa de cauſa dicuntur noumena, vt eo indicetur, illarum cognitionum ditionem non poſſe ad vniuerſa, quae intelligentia cogitat, extendi). Tandem vero talium noumenorum poſſibilitas non poteſt perſpici, et ambitus extra ſphaeram viſorum (ratione noſtri) vacuus eſt, id eſt, intelligentia gaudemus, *problematice* latius patente, quam illa, nec viſionem tamen, atque etiam ne notionem quidem eiusmodi viſionis poſſibilis habemus, qua extra campum ſenſus nobis poſſent obiectae res offerri, intelligentiamque vltra eum *adſerendo* vſurpari. Igitur conceptus noumeni in ſolo *conceptu* verſatur *finali*, qua arrogantia ſenſus coërceatur, et proinde vſus illius erit duntaxat negatiuus. Neque is tamen fictus ex lubidine eſt, ſed cum circumſcriptione ſenſus cohaeret, ita tamen, vt extra eius ambitum quidquam nequeat poſitiui poni.

Ex quo perſpicitur, deſcriptionem et rerum obiectarum in phaenomena et noumena, et mundi in ſenſibilem et intelligibilem, minime poſſe poſitiuo ſenſu admitti, quamquam conceptus re vera poſſint in ſenſuales et intellectuales diſpertiri; namque poſterioribus hiſce nulla res obiecta conſtitui poteſt, eisque proinde haud

obiectiua vis attribui. Quomodo, ſi a ſenſibus diſcedas, doceri poterit, categoriarum noſtrarum (quae ſolae relinquerentur noumenis apti conceptus) vſpiam quampiam vim ac poteſtatem eſſe, quum ad eas ad quampiam rem obiectam referendas, quiddam amplius, quam ſola vnitas cogitationis, nempe praeterea viſio poſſibilis, ad quam illa queat referri, datum ſit, neceſſe videatur? Conceptus noumeni, duntaxat problematice ſumtus, nihilominus non ſolum manet permiſſus, ſed etiam, qua conceptus carceribus vim ſenſitiuam coërcens, haud euitandus. Tum autem illud non in re verſatur intelligibili intelligentiae ſubiecta, verum intelligentia, in quam iſtud caderet, ipſa in problemate cernitur, nempe non diſcurſiue ex categoriis, ſed intuitiue in viſione non ſenſitiua complexa rei obnoxiae ſibi cognoſcendae, de qua quomodo eſſe poſſit, vim omnem fugit notionis et intelligentiae noſtrae. Itaque hoc modo intelligentia noſtra negatiue dilatatur, id eſt, non ſenſu coërcetur, ſed ſenſum ea potius coërcet, ita, vt res per ſe (non qua viſa ſpectatas) noumena appellet. Sed ſe ipſam illa carceribus continuo includit, ita, vt nullis eas categoriis cognoſcat, proinde tantum eas verbo certi cuiusdam cogitet ignoti.

Interea in ſcriptis recentiorum longe alium vſum vocabulorum mundi ſenſibilis et intelligibilis *) reperio, a ſenſu veterum penitus abhorrentem, et in quo quidem ſane nulla difficultate laboratur, verum etiam nil quidquam, praeter inanem verborum nundinationem, deprehenditur. Placuit enim quibusdam complexum viſorum, quatenus videtur et conſpicitur, mundum ſenſibilem, ſed quatenus contextus eorum ex vniuerſalibus legibus intelligentiae cogitatur, mundum intelligibilem vocari. Aſtronomia theoretica, quae ſolam obſeruatio-

*) Pro hoc vocabulo non debet verbum *mundi intellectualis* vſurpari; ſi quidem ſolae *cognitiones* aut intellectuales ſunt, aut ſenſitiuae. Sed quae vni vel alteri videndi modo eſſe ſubiecta poſſunt, proinde res obiectae (quamuis durius ſonat), intelligibilia et ſenſibilia dici debebunt.

nem coeli ſtellati proponit, ſenſibilem, ſed contemplatiua (ad ordinem fortaſſe Copernicanum mundi, aut ex Newtoni legibus grauitationis explicata) alterum, nempe intelligibilem, mundum oſtenderet. Sed talis verborum contorſio non niſi effugium ſophiſticum eſt, quo euitare quaeſtionem moleſtam quaerunt, ita, vt ſenſum illius temperent ad ſuam cuiusque commoditatem. Ac profecto quidem ratione viſorum et intelligentiae vſus erit, et rationis; ſed dubitatur, num earum eſſe adhuc vllus vſus poſſit, ſi res obiecta non in viſo (ſed noumeno) verſetur, ſed in hoc ſenſu ea ſumitur, ſi per ſe qua tantummodo intelligibilis, id eſt, intelligentiae ſoli, neutiquam ſenſibus data, cogitatur. Quamobrem quaeritur: an praeter illum vſum intelligentiae empiricum (in ipſa illa Newtoniana fabricationis mundi deſcriptione) etiam eſſe transſcendentalis poſſit, qui noumenon qua rem obiectam ſpectet: id quod negauimus.

Quum ergo dicimus: ſenſibus nobis res oblatas repraeſentari, vti videntur, ſed intelligentia ſic, vti ſunt; tum hoc poſterius non ſenſu transſcendentali accipi debet, ſed tantum empirico, nempe vti qua res experientiae ſubiectae, in continenti viſorum contextu, repraeſentari debent, neque pro eo, quod extra relationem ad experientiam poſſibilem, et proinde ad ſenſus vniuerſe, ideoque qua res obnoxiae intelligentiae purae videantur. Namque hoc nobis ſemper ignotum manebit, adeo, vt etiam ignotum maneat, an omnino eſſe poſſit talis cognitio transſcendentalis (extraordinaria), ſaltem qua ea, quae conſuetis categoriis noſtris ſubeſſe videatur. Intelligentia et facultas ſentiendi in nobis tantummodo coniunctae poſſunt res obiectas determinare. Quas ſi ſeparaueris, viſiones habebis conceptibus priuatas, vel conceptus viſionibus denudatos, in vtraque cauſa autem repraeſentationes, quas nequeas ad vllam rem obiectam definitam referre.

Quibus omnibus expoſitis, ſi quis adhuc dubitet, vſum categoriarum mere transſcendentalem mittere, earum periculum faciat in quapiam adſertione ſynthetica

Nam ex analytica haud promouetur intelligentia, quae cum ſolum in eo occupata ſit, quod in conceptu iam cogitatur, in dubio relinquit, vtrum haec per ſe adfectione ad obiectas res teneatur, an ſolam cogitationis vnitatem deſignet (quae ſibi prorſus a modo temperat, quo res poteſt obiecta offerri), ei ſatis eſt, ſi ſciat, quid in conceptu ſuo inſit; quo ipſe ſe referat conceptus, quodue ſpectet, nil ſua intereſt. Quocirca periculum faciat alicuius decreti ſynthetici et putatitie transſcendentalis, veluti eius: Quidquid exſtat, exſtat qua ſubſtantia, aut qua modus illi adhaerens: omne fortuitum exſtat qua effectum alius rei, nempe cauſae ſuae, et ſimilium. Iam quaero: vnde tandem haec decreta ſynthetica ſumet, cum conceptus non in adfectione ad experientiam poſſibilem debeant, ſed de rebus ipſis per ſe (noumenis) valere? Vbinam hic illud tertium eſt, quod ſemper ad enunciatum ſyntheticum requiritur, in quo conceptus, nulla affinitate logica (analytica) coniuncti, inuicem copulentur? Numquam pronunciatum ſuum probare, quid? quod, ſe ne quidem de poſſibilitate eiusmodi adſertionis purae poterit purgare, niſi rationem habeat vſus intelligentiae empirici, eoque iudicio puro a ſenſuque libero ſeſe abdicet. Quocirca conceptus obiectarum rerum purarum mereque intelligibilium prorſus vacuus ab omnibus decretis vſus earum, ſi quidem nulla excogitari ratio poteſt, qua poſſint dari, et cogitatio problematica, qua tamen iis locus patet, tantum, veluti ſpatium vacuum, ad circumſcribenda decreta empirica facit, neque tamen quampiam aliam rem cognitioni ſubiectam, praeter poſteriorum ſphaeram in ſe continere atque oſtendere videtur.

A P P E N D I X

De amphibolia notionum reflexarum per confuſionem vſus intelligentiae empirici cum transſcendentali.

Reflexio, quam dicunt, non in rebus obiectis ipſis occupatur, vt directe earum conceptus nanciſcamur, ſed in ſtatu animi verſatur eo, in quo primum nosmet com-

ponimus ac paramus ad inueniendas conditiones ſubiectiuas, quibus fit, vt conceptus haurire poſſimus. Ea cernitur in conſcientia adfectionis repraeſentationum datarum ad noſtros fontes cognitionis diuerſos, qua ſola poteſt earum ad ſe inuicem adfectio accurate definiri. Antequam vlterius in tractatione repraeſentationum noſtrarum progrediamur, quaeſtionem anquiramus hancce: in quanam cognoſcendi facultate videntur coniunctae? Eſtne intelligentia, an ſenſus ſunt, in quibus coniunguntur vel comparantur. Multa ex conſuetudine iudicia accipiuntur, vel propenſione coniunguntur; quoniam autem nulla reflexio antecedit, vel certe critice illa ſequitur, valet pro eo, quod in intelligentia ſua primordia ceperit. Non omnia iudicia opus habent *exploratione*, id eſt, animi attentione ad rationes veri; etenim ſi proxime abſoluteque certa ſunt, velut hoc: inter duo puncta linea duntaxat recta eſſe poteſt; nulla nota propior veritatis eorum, quam quae iis ipſis enunciatur, poteſt oſtendi. Sed vniuerſa iudicia, quin comparationes vniuerſae opus habent *reflexione*, id eſt, diſtinctione facultatis cognoſcendi, ad quam conceptus dati videntur pertinere. Actionem, qua comparationem repraeſentationum generatim cum facultate cognoſcendi, in qua ea inſtituitur, confero, quaue diſcerno, vtrum illae vt intelligentiae purae propriae, an ad viſionem ſenſitiuam pertinentes inuicem comparentur, *reflexionem transſcendentalem* appello. Sed comparatio, in qua conceptus in ſtatu animi quodam pertinere ad ſe inuicem poſſunt, verſatur in *identitate* et *diuerſitate*, *conuenientia* et *repugnantia*, *interno* et *externo*, denique in *determinabili* et *determinatione* (materia et forma). Vera huiusce comparationis determinatio in eo vertitur, vt ſcias, quanam in facultate cognoſcendi *ſubiectiue* ad ſe inuicem pertineant, in ſenſune, an intelligentia. Nam differentia poſteriorum permagnum diſcrimen efficit modi illius, quo priores debeant cogitari.

Ante omnia iudicia obiectiua conceptus comparamus ex *identitate* (multarum repraeſentationum vno

conceptu complexarum) in gratiam iudiciorum *vniuerſalium*, aut *diuerſitate* ad generanda particularia; ex *conuenientia*, vnde aientia, et *repugnantia*, vnde negantia poſſunt effici, et ſic porro. Quamobrem, vt videtur, dictos conceptus illos dicere conceptus comparationis deberemus. Sed, quoniam, cum haud de forma logica agitur, ſed de conceptuum materia, id eſt, res ipſae vtrum eaedem ſint, an diuerſae, conuenientes an pugnantes, et ſic porro, res duplicem habere adfectionem poſſunt ad facultatem cognoſcendi noſtram, nempe ad ſenſum et ad intelligentiam, a loco autem, quo pertinent, modus pendet, quo inuicem inter ſe contagione teneri debeant; reflexio transſcendentalis, id eſt, adfectio repraeſentationum datarum, ad vnam vel alteram cognitionis partem, adfectionem earum ad ſe inuicem ſola poterit definire, atque res eaedem, an diuerſae, congruentes an pugnantes videantur, non continuo e conceptibus ipſis per ſolam comparationem, ſed diſtinctione formae cognitionis, ad quam pertinent, ope reflexionis transſcendentalis poterit diiudicari. Igitur dici quidem poſſet: reflexionem logicam cerni in ſola comparatione; namque in ea a facultate cognoſcendi, ad quam datae repraeſentationes pertinent, prorſus mentem abducimus et auocamus, ideoque eatenus quoad ſedem; in animo, ſunt vt homogeneae tractandae; ſed reflexione transſcendentali (quae ipſas res ſpectat oblatas) fundamentum continetur poſſibilitatis comparationis repraeſentationum inter ſe inuicem obiectiuae, et proinde ab hac poſteriori permultum differt, ſi quidem, ad quam pertinent, vis cognoſcendi non fere eadem videtur. Haec reflexio transſcendentalis adeo in officio eſt, vt ab ea nemo poſſit ſeſe liberare, ſi quidquam velit ex anticipatione de rebus iudicare. Iam eam pertractabimus, nec parum inde lucis determinando proprio intelligentiae negotio accipiemus.

1) *Identitas* et *diuerſitas*. Cum res obiecta nobis ſaepius, ſed ſemper cum iisdem determinationibus internis (*qualitate* et *quantitate*) oſtenditur, tum, ſi qua

res intelligentiae ſubiecta purae valet, ſemper eſt illa eadem, nec plures, ſed vna duntaxat res *(identitas numerica)*; cum autem ea res in viſis eſt, tum nil quidquam a comparatione conceptuum pendet, ſed quantumuis ratione huius omnia eadem ſint, tamen in diuerſitate locorum huiusce viſi eodem tempore ratio ineſt perfecta diuerſitatis numericae obiectae rei (ſenſuum) ipſius. Sic in duabus ſtillis aqueis ab omni omnino diuerſitate interna (qualitatis et quantitatis) mens poteſt auocari, et ſatis eſt, in locis eas diuerſis ſimul videri, vt eas numero diuerſas reputes. *Leibnitius* viſa pro rebus per ſe ipſis, proinde intelligibilibus ſumſit, id eſt, rationi purae ſubiectis (quamquam ob confuſionem repraeſentationum illarum nomine phaenomenorum ea inſigniret), et tum decretum illius identitatis indiſcernibilium profecto non poterat impugnari; ſed cum viſa illa obnoxia ſenſibus ſint, vſusque in iis intelligentiae nullus purus ſit, ſed omnis empiricus, ſequitur, vt multitudo eorum et numerica diuerſitas iam ipſo ſpatio, qua conditione viſorum externorum, indicetur. Etenim pars ſpatii, quamvis alterius prorſus ſimilis et aequalis ſit, tamen extra eam eſt, eoque ipſo pars a priori parte diuerſa, quae ad eam accedit, vt maius ſpatium efficiatur, idque valeat, neceſſe eſt, in vniuerſis in variis ſpatii locis ſimul conſtitutis, quantumuis ea alias ſui ſimilia atque aequalia videantur.

2) *Conuenientia* et *repugnantia*. Cum realitas per ſolam intelligentiam puram repraeſentatur *(realitas noumenon)* nulla poteſt pugna in realitatibus cogitari, id eſt, talis quaedam adfectio, quae efficiat, vt in vno ſubiecto coniunctae ſuas inuicem conſecutiones tollant, atque vt $3 - -3 = 0$ videatur. E contrario reale in viſo *(realitas phaenomenon)* ſane inter ſe poteſt pugnare, in ſubiectoque coniunctum eodem alterum alterius tollere prorſus vel ex parte conſecutionem poteſt, velut duae vires motrices in eadem linea recta, quatenus in directione contrarie oppoſita punctum ducunt, aut premunt, vel etiam voluptas, quae par dolori videtur.

3) *Internum* et *externum*. In re intelligentiae purae ſubiecta id ſolum eſt internum, quod haud adfectum eſt (quoad exſiſtentiam) ad quidpiam ab ſe diuerſum. Contra ea vero determinationes internae ſubſtantiae phaenomeni in ſpatio non niſi adfectionibus continentur, quae ipſae quidem totae in complexu verſantur relationum. Subſtantiam in ſpatio non nouimus niſi ex effectione eius virium in eo vel attrahentium vel repellentium; aliae nobis proprietates ignotae ſunt, praeter eas, quibus conceptus ſubſtantiae in ſpatio apparentis, quamque materiam vocamus, efficitur. Sed quaeuis ſubſtantia, qua intelligentiae purae ſubiecta, inteſtinas, neceſſe eſt, determinationes habeat viresque, quae realitatem ſpectent internam. Sed quaenam cogitare poſſum inteſtina accidentia, praeter ea, quae ſenſu mihi intimo offeruntur? nempe id, quod vel ipſum ſit in *cogitatione* poſitum, vel certe illius ſimile (analogon) videatur. Inde factum eſt, vt *Leibnitius* omnia faceret ſubſtantias, quoniam eas ſibi qua noumena cogitabat, vel ipſas adeo partes conſtitutiuas materiae, quibus omnia, quae adfectionibus externis adnumerari poterunt, proinde etiam *compoſitionem* cogitatione iis detraxerat, ſubiecta ſimplicia faceret, viribus repraeſentandi ornata, verbo *monadas*.

4) *Materia* et *forma*. Hae duae notiones tam arcto vinculo cum quouis intelligentiae vſu coniunctae tenentur, vt quibusque aliis reflexionis partibus fundamento ponantur. Materiae verbum determinabile in vniverſum denotat, vocabulum formae determinationem (vtrumque ſenſu transſcendentali, cum ab omni diſcrimine eorum, quae data ſunt, atque a modo, quo determinantur, cogitationem abducimus). Logici quondam generale vocabant materiam, ſed diſcrimen ſpecificum, formam. Iam in quouis iudicio conceptus dati dici materia logica poterunt (iudicii), ſed adfectio eorum (ope copulae) forma iudicii. In vnaquaque natura eſſentialibus efficitur materia; ſed modo, quo in re coniuncta ſunt, eſſentialis forma. Iam ratione rerum in vniuerſum infinita realitas qua materia vniuerſae poſſi-

bilitatis ſpectabatur, ſed finitio et limitatio illius (negatio), qua ea forma, qua res a re altera ex conceptibus transſcendentalibus discernitur. Nempe intelligentia primo poſtulat, vt aliquid datum ſit (in conceptu ſaltem), quod poſſit ea certo modo determinare. Quocirca in conceptu intelligentiae purae materia formam antecedit, et propterea *Leibnitius* primo res ſumſit (monadas) et intus vim repraeſentandi illarum, vt poſtea relationem earum externam, communionemque ſtatuum (nempe repraeſentationum) in ea conſtitueret. Vnde ſpatium tempusque eſſe qua cauſae et conſecutiones poterant, illud quidem ſola adfectione ſubſtantiarum, hocce coniunctione determinationum earum inter ſe inuicem. Atque ita reapſe eſſe deberet, ſi proxime ad res obiectas poſſet intelligentia pura referri, et ſi ſpatium tempusque eſſent in determinationibus rerum per ſe ipſarum. Sed ſi vniverſas res duntaxat qua viſa in ſolis viſionibus ſenſitiuis determinamus, forma viſionis (vtpote qualitas ſenſus ſubiectiua) vniuerſam materiam (ſenſationes), proinde ſpatium tempusque omnia viſa, omniaque experientiae data antecedit, eaque potius efficitur, vt haec demum eſſe poſſit. Philoſophus intellectualis ferre non poterat, vt forma res ipſas antecedat, huiusque poſſibilitatem determinet; verum ſane iudicium foret, ſi ſumeret, nobis res videri tales, quales re vera ſunt (quamuis cogitatione confuſa). Cum autem viſio ſenſitiua in conditione ſubiectiua prorſus peculiari verſetur, quae vniuerſae perceptioni ex anticipatione, quaſi fundamentum quoddam ſubſtrata videatur, eiusque forma originaria ſit; ſequitur, vt forma per ſe ipſa ſit ſola data, tantumque abeſt, vt materia (ſiue res ipſae, quae videntur) fundamento ſit (quemadmodum deberet ex ſolis conceptibus iudicari), vt potius poſſibilitate illius viſio formalis (ſpatium tempusque) qua data ponatur.

SCHOLION

ad amphiboliam notionum reflexarum.

Locum, quem conceptui ſiue in ſenſu, ſiue in intelligentia pura adſignamus, liceat *locum transſcendentalem*

vocare. Proinde diiudicatione huiusce loci, qui cuique conceptui pro diuerſitate vſus ſui competit, inſtitutioneque hunc locum vniuerſis conceptibus ad regulas determinandi, *topica transſcendentalis* efficeretur; quae quidem doctrina a ſubreptionibus intelligentiae purae, atque inde oriundis illuſionibus ac praeſtigiis optime caveret, dum ea ſemper discerneret, ad quamnam cognoſcendi facultatem proprie conceptus pertineant. Vnusquisque conceptus poterit, vnusquisque titulus, quo multae notitiae continentur, *locus* dici *transſcendentalis*. Atque in eo nititur *topica logica* Ariſtotelis, qua vti ludimagiſtri poterant et oratores, vt in certis titulis inquirerent, quod maxime propoſitae materiae conueniret, de eoque cum ſpecie quadam doctrinae argutari poſſent, ſiue verboſe garrire.

Contra topica transſcendentali haud plures quatuor illis tituli omnis comparationis et diſtinctionis continentur, qui in eo a categoriis differunt, quod illis non res obiecta ſecundum ea, quibus eius conceptus efficitur (quantitas, realitas), ſed tantum comparatio repraeſentationum conceptum rerum antegreſſa, in vniuerſa ſua varietate oſtendatur. Sed haec comparatio praecipue opus habet reflexione, id eſt, determinatione loci iſtius, quo, quae comparantur, rerum repraeſentationes pertinent, purane eas intelligentia cogitet, an ſenſus in viſo offerat.

Conceptus logice comparari poſſunt, ita vt haud cures, quo res iis ſubiectae pertineant, vtrum vt noumena ad intelligentiam, an vt phaenomena ad ſenſum. Si vero cum his conceptibus pergere ad res obiectas velis, potiſſimum opus erit reflexione transſcendentali, cuinam cognoſcendi facultati eſſe ſubiectae debeant, puraene intelligentiae, an ſenſui. Sine hac reflexione vſus admodum incertus erit horum conceptuum, putatitiaque orientur decreta ſynthetica, quae non poteſt critica ratio agnoſcere et probare, quaeque tantummodo poſita ſunt in amphibolia transſcendentali, id eſt, in confuſione rei intelligentiae purae ſubiectae cum viſo.

Cuiuſcemodi topica transſcendentali carens, proinde amphibolia notionum reflexarum inductus, celeberrimus *Leibnitius ſyſtema mundi intellectuale* conſtituit, potiusue credidit internam rerum naturam cognoſcere, ſi quidem vniuerſas res obiectas cum ſola intelligentia, cumque ſeparatis cogitationis ſuae conceptibus formalibus comparauit. Noſtra notionum reflexarum tabula inopinatum illud nobis commodum adfert, vt, quibus diſciplina eius in ſingulis partibus ſuis diſtat ab aliis, ſimulque viam cauſasque huiusce cogitandi rationis peculiaris, quae non, niſi in errore quodam verſatur, ponere ob oculos poſſimus. Qui cum vniuerſas res ex ſolis conceptibus inter ſe comparaſſet, non mirum erat, ſi nullas alias diuerſitates videret, quam quibus intelligentia conceptus puros ſuos diſtingueret. Leges conditionesque viſionis ſenſitiuae, quarum ſua cuique diſcrimina inſunt, non originarias agnouit; ſi quidem ſenſum ponebat in genere repraeſentationum duntaxat confuſarum, neque in peculiari fonte repraeſentationum; viſum ſeu phaenomenon ei cerni videbatur in repraeſentatione *rei per ſe ipſius*, quamuis, quoad formam logicam, a cognitione ex intelligentia diuerſae, cum ſenſu, qui ſolet analyſi carere, conceptus rei quodammodo repraeſentationibus ſecundariis augetur, quas intelligentia poteſt ab eo ſeparare. Verbo: *Leibnitius* viſa fecit intellectualia, cum *Lockius* ſecundum diſciplinam *Noogeniae* (ſi hocce vti vocabulo licitum ſit) conceptus intelligentiae cunctos feciſſet ſenſitiuos, id eſt, prorſus empiricos, aut ſeparatas notiones reflexas. Quisque horum magnorum hominum, cum in intelligentia ſenſuque duos prorſus diuerſos repraeſentationum fontes, quibus tamen *coniunctis* ius eſſet, obiectiue de rebus iudicandi, quaerere debuiſſent, vnum horum fontium duntaxat ſequebantur, qui ex eorum ſententia proxime ad res per ſe ipſas referrentur, cumalter nil quidquam ageret amplius, quam vt alterius repraeſentationes vel confunderet, vel ordine disponeret.

Proinde *Leibnitius* res ſenſibus ſubiectas inter ſe comparat, tamquam res vniuerſe in ſola intelligentia,

primo, quatenus ab hac debeant eaedem diuerſaeque iudicari. Igitur, cum ſolos earum conceptus, non locum in viſione, in qua ſola poſſunt res obiectae dari atque offerri, ſpectaret, locumque transſcendentalem horum conceptuum (viſisne, an rebus per ſe ipſis res obiecta adnumerari debeat) plane negligeret, fieri aliter non poterat, quam vt decretum indiſcernibilium, quod tantum in genere de conceptibus valet, etiam ad res ſenſibus obnoxias (ad mundum phaenomenon) dilataret, neque exiguam inde amplificationem cognitioni naturae rerum adferri exiſtimaret. Sane quidem, ſi ſtillam aqueam vt rem per ſe ipſam ex omnibus ipſius determinationibus internis noueris, nullam earum diuerſam poteris ab aliis ſtillis concedere, ſi ſcilicet conceptus illius totus idem cum illa videatur. Sed ſi illa viſo in ſpatio continetur, locum ſuum habebit non tantum in intelligentia (in conceptibus), verum etiam in viſione externa ſenſitiua (in ſpatio), ibique nil quidquam intereſt locorum phyſicorum, ratione determinationum internarum rerum, locusque $=b$ rem poterit alii in loco $=a$ prorſus ſimilem atque aequalem pariter recipere, ac ſi ab hac, quantum fieri poſſit, diuerſa videatur. Diuerſitate locorum fit, vt multitudo diſtinctioque obiectarum rerum qua viſorum, ſine vlla conditione alia non modo eſſe queat, ſed etiam neceſſaria ſit. Ergo lex illa opinata non in legibus naturae verſatur: ſed tantummodo in regula cernitur analytica, ſiue in comparatione rerum e ſolis conceptibus.

Deinde decretum: realitates (qua ſolas adfirmationes) ſibi inuicem numquam logice repugnare, ſane quidem verum de adfectionibus conceptuum decretum eſt, neque vero minimam vim illud habet, nec ratione naturae, nec vniuerſe cuiuspiam omnino rei per ſe ipſius (quippe quae omnem noſtram notionem atque intelligentiam prorſus fugit). Etenim pugna realis locum vbique habet, vbi $A-B=0$, id eſt, vbi realitas realitati in ſubiecto iuncta, altera alterius effectum tollit, id quod omnia impedimenta effectionesque mutuae in rerum natura perpetuo planum faciunt, quae tamen, quum in viribus

poſitae ſint, neceſſe eſt, realitates phaenomena dicantur. Mechanica vniuerſalis vel ipſam legem empiricam huiusce pugnae in lege ex anticipatione poteſt oſtendere, dum oppoſitionem ſpectat directionum; quam legem quidem conceptus transſcendentalis realitatis plane ignorat. Quamquam generoſiſſimus *Leibnitius* hocce pronunciatum haud nouum perhibuit, tamen eo eſt ad adſertiones nouas vſus, eiusque ſectatores nominatim ſyſtemati ſuo *Leibnitio-Wolfiano* inſeruerunt. Cui quidem decreto conuenienter exempli gratia vniuerſa mala nequidquam aliud ſunt, niſi conſecutiones determinationum rerum creatarum, id eſt, negationes, quippe quae ſolae realitati repugnant (et in ſolo conceptu rei in genere reapſe etiam ſic ſe habet, ſed non in rebus qua viſis). Iam vero adſeclis *Leibnitii* videtur non ſolum eſſe poſſe, ſed etiam naturae conuenienter eſſe, vt omnis realitas, ſine omni pugna metuenda, in natura quadam coniungatur, quoniam nullam pugnam aliam norunt, quam contradictionis (qua conceptus rei ipſe tollitur), non vero detrimenti mutui, cum cauſa alterius effectum tollit, quam pugnam vt cogitare poſſimus, in ſolo ſenſu conditiones deprehendimus.

Tum monadologia *Leibnitiana* nullo alio fundamento nititur, quam quod philoſophus diſcrimen interni et externi in ſola ad intelligentiam adfectione poneret. In ſubſtantiis omnino, neceſſe eſt, inſit aliquid interni, quod proinde ab omnibus adfectionibus internis, ideoque etiam a compoſitione liberum videatur. Quamobrem in ſimplicitate fundamentum interni erit rerum per ſe ipſarum. Sed inteſtinum ſtatus eorum nec motu (cunctis quippe determinationibus adfectionum externarum) efficietur, neque alium ſubſtantiis inteſtinum ſtatum tribuere poſſumus, quam, quo ipſi ſenſum noſtrum intus determinamus, nimirum *ſtatum repraeſentationum*. Ita monades in medium prodiere, quibus materia totius vniuerſi conſtitutiua efficeretur, quarum vero vis actiua in ſolis repraeſentationibus verſaretur, qua fiat, vt proprie in ſe ipſae efficaces viderentur.

Sed ob ipſam hancce cauſam decretum eius commercii poſſibilis inter ſubſtantias oportebat in *harmonia praeſtabilita* verti, neque poſitum eſſe poterat in contagione phyſica. Quoniam enim omnia duntaxat intus, id eſt, in repraeſentationibus ſuis, occupata videntur, ſtatus repraeſentationum ſubſtantiae vnius cum ſtatu alterius in nulla prorſus poterit efficaci coniunctione eſſe, ſed tertia quaedam cauſa omnes omnino contagione attingens ſtatus earum inuicem reddere conſentaneos debebat, non adiumento quidem per occaſionem idoneam et in quoque ſingulari caſu ſingulatim dato (ex ſyſtemate adſiſtentiae), ſed per vnitatem ideae cauſae vniuerſis iuſtae atque idoneae, in qua cunctae exſiſtentiam conſtantiamque, proinde etiam mutuam in ſe inuicem conuenientiam, ex legibus vniuerſalibus debeant nanciſci.

Quarto denique celebrata illa theoria illius de tempore et ſpatio, qua haſce ſenſus formas fecit intellectuales, ex eadem ſola illuſione reflexionis transſcendentalis orta videtur. Quodſi per ſolam velim intelligentiam relationes rerum externas cogitare, fieri illud tantummodo poterit ope conceptus effectionis earum mutuae, et ſi ſtatum eiusdem rei debeam cum aliis ſtatibus coniungere, id tantummodo effici poterit ad ordinem cauſarum et conſecutionum. Ita factum eſt, vt *Leibnitius* ſpatium cogitaret vt certum quendam ordinem in commercio ſubſtantiarum, tempusque vt conſecutionem dynamicam ſtatuum illarum. Id vero, quod vtrique eſſe proprium videtur, a rebusque liberum, quod in vtrisque videtur eſſe, confuſioni horum conceptuum tribuit, quae efficeret, vt id, quod in ſola forma adfectionum dynamicarum verſetur, peculiaris quaedam in ſeſe conſiſtens, res ipſasque antecedens viſio putetur. Ergo ſpatium tempusque erant in forma intelligibili coniunctionis rerum (ſubſtantiarum earumque ſtatuum) per ſe ipſarum; ſed res ſubſtantiae intelligibiles (ſubſtantiae noumena). Nihilominus tamen hoſce conceptus pro viſis venditabat, propterea quod ſenſui nullum proprium viſionis genus concederet, ſed omnes, ipſasque empiricas rerum re-

praeſentationes in intelligentia quaereret, nihilque quidquam ſenſibus reliquum faceret, praeter vile iſtud negotium, conceptus intelligentiae confundendi ac deformandi.

Etſi autem de rebus per ſe ipſis ex intelligentia pura poſſemus συνθετικῶς pronunciare (quod tamen fieri non poteſt), tamen hoc neutiquam ad viſa poſſet, quippe quae res per ſe ipſas haud repraeſentant, referri. Quo quidem in caſu in reflexione transſcendentali conceptus meos ſemper debebo ſolum ſub ſenſus conditionibus comparare, atque ita ſpatium tempusque non in determinationibus rerum per ſe ipſarum, ſed potius viſorum, verſabuntur: qualis rerum per ſe ipſarum natura ſit, neſcio, neque etiam ſcire attinet, quoniam mihi res numquam poteſt, niſi in viſo, occurrere. Hanc rationem etiam in reliquis notionibus reflexis tractandis ſervo. Materia eſt ſubſtantia phaenomenon. Quid illi intus competat, id in vniuerſi ſpatii, quod occupat, partibus, in vniuerſisque effectis quaero, quae ea exſerit, quaeque ſemper nil niſi viſa ſenſuum externorum eſſe poſſunt. Proinde necquidquam habeo, quod quidem ſimpliciter abſoluteque, ſed ſolum comparatiue inteſtinum ſit, ſed ipſum viciſſim in relationibus externis poſitum. Verum ſimpliciter iſtud, ex intelligentia pura, inteſtinum materiae etiam in mera argutia verſatur; quippe quae intelligentiae purae nuſpiam eſſe obnoxia videtur, ſed obiecta res transſcendentalis, quae huic viſo eſſe ſubiecta poterit, quod materiam vocamus, ſolum quiddam eſt, quod, quale ſit, ne intelligeremus quidem, ſi etiam poſſit nobis a quoquam aperiri. Neque enim quidquam poſſumus intelligere, niſi quod aliquid complectatur verbis noſtris in viſione conſentaneum. Si querelae: nos inteſtinam rerum naturam nequaquam perſpicimus, hanc vim habere debeant, nos per intelligentiam puram haud comprehendere, quales, quae nobis videntur, res per ſe ipſae ſint; iniquae illae quidem ſunt et rationi contrariae. Namque volumus ſenſibus haud ſamul's cognoſci res poſſe, proinde videri, ideoque facultatem cognoſcendi habere, ab humana hacce non ſolo

gradu. ſed viſione adeo et genere prorſus diuerſam, proinde non homines eſſe nos, ſed naturas debere, quas, ne quidem an eſſe poſſint, nedum quales ſint, poſſumus oſtendere. Inteſtinam rerum naturae rationem obſeruatio penetrat atque analyſis viſorum, nec ſciri poterit, quo vsque hoc temporis progreſſu excultum iri videatur. Sed quaeſtiones transſcendentales illae vltra naturam tendentes numquam a nobis poſſent expediri, ſi vel vniverſa rerum natura aperta videretur, quum nobis ne quidem datum ſit, ipſum animum noſtrum alia viſione, quam ſenſus intimi noſtri, obſeruare. In eo enim arcanum latet originis noſtri ſenſus. Adfectio eius ad obiectam rem, qualisque cauſa ſit huiusce vnitatis transſcendentalis ſine dubio profundius abſtruſum ac reconditum latet, quam vt nos, qui vel nosmet ipſos non niſi ſenſu interno, proinde qua phaenomenon, noſcimus, tam alieno inueſtigationis inſtrumento vti ad illud poſſimus, quo aliud quid, quod non viciſſim in viſis ſit, reperiamus, quorum cauſam tamen, ſenſibus haud ſubiectam illam quidem, cupimus indagare.

Atque haec critica concluſionum, e ſolis actionibus reflexionis effectarum, nobis commodum adfert egregium. Namque vanitatem monſtrat ratiociniorum omnium de rebus obiectis in ſola intelligentia inter ſe comparatis, idque ſimul confirmat, quod inprimis praecepimus, viſa ſcilicet, quamuis haud qua res per ſe ipſae ſub rebus intelligentiae purae ſubiectis ſint comprehenſae, tamen vna et ſola eſſe, in quibus cognitio noſtra realitatem poſſit obiectiuam habere, nempe tum, cum conceptibus viſiones reſpondebunt.

Si tantum logice reflectimus, duntaxat conceptus noſtros inter ſe in intelligentia comparamus, videmusque, num vtroque idem contineatur, pugnent nec ne, vtrum aliquid intus in conceptu inſit, an extrinſecus ad eum accedat, et vter datus ſit, qui tamen tantummodo, qua ratio quaedam datum cogitandi, valere debeat. Si vero hisce conceptibus vtor ad obiectam rem in genere (ſenſu transſcendentali), ita, vt haud amplius definiam,

vtrum ſenſitiuae viſioni ſit, an intellectuali ſubiecta, ſtatim circumſcriptiones emergunt (quae vetant conceptum iſtum relinquere) omnem vſum illorum empiricum convertentes, quae eo ipſo probant, repraeſentationem obiectae rei, qua rei in genere, non ſolum haud idoneam, ſed ſine determinatione eius ſenſitiua et ab empirica lege libera, per ſe ipſam *pugnare*, proinde ab omni re obiecta abſtineri, aut, ſi quaedam ſumatur, eam ex legibus viſionis ſenſitiuae cogitari debere, proinde intelligibilia peculiare quoddam viſionis genus, quo caremus, requirere, quo cum careamus, nobis nihil exſtare, contra ea vero viſa non poſſe in rebus per ſe ipſis verſari. Etenim, cum tantum res in vniuerſum cogitatione informo, tum ſane diuerſitate adfectionum externarum haud poterit diſcrimen rerum ipſarum effici, ſed haec potius illa ponitur, cumque conceptus vnius a conceptu alterius interne non diſtat, tum vnam atque eamdem rem pono in adfectionibus diuerſis. Iam vero addita ad alteram adſeueratione (realitate) ſola, poſitiuum augetur, nihilque ei detrahitur aut demitur; vnde non poſſunt in rebus vniuerſe realia inter ſe pugnare.

* * *

Notionum reflexionis, vti docuimus, ex certa quadam interpretatione falſa tanta cum vſu intelligentiae contagio eſt, vt omnium philoſophorum acutiſſimo imponerent, ita, vt poſſe diſciplinam condi cognitionis intellectualis putaret, quae res ſibi ſubiectas haud interuentu ſenſuum determinare conaretur. Quamobrem enodatio illuſionis amphiboliae harum notionum, qua ſit, vt ad falſa decreta delabamur, permagnum emolumentum adferet, vt fines ac terminos intelligentiae certo queamus definire, iisque cauere.

Dici quidem debet: quidquid conceptui competit in genere vel repugnat, id competit etiam pugnatue omnibus ſingulis illo conceptu complexis (dictum de omni et nullo). Sed abſurdum foret, ſi iſtud decretum logicum ita mutares, vt enunciet: quidquid conceptu

vniuerſali non eſt complexum, id etiam in ſingularibus haud ineſt, in eo comprehenſis; namque hi ob hanc ipſam cauſam conceptus ſingulares ſunt, quoniam plus in ſe cohibent et continent, quam in iis cogitatur. Iam profecto in hoc poſteriori decreto vniuerſum *Leibnitii* ſyſtema intellectuale extructum videmus; quod proinde vna cum decreto iſto, cumque omni, quae inde exſiſtit, amphibolia in vſu intelligentiae concidit.

Vidimus decretum indiſcernibilium proprie in hacce ſumtione niti: ſi in conceptu cuiusdam rei in genere certum diſcrimen quoddam haud reperiatur, illud etiam in re ipſa non inueniri; proinde res vniuerſas eſſe numero easdem, quae non iam in conceptu (quoad qualitatem vel quantitatem) ſint inter ſe diuerſae. Quoniam autem in ſolo conceptu cuiuspiam rei a multis neceſſariis viſionis legibus abſtinetur; fit, vt ſingulari quadam temeritate id, a quo abſtinetur, ſumatur, nuspiam deprehendi poſſe, reique nil conceditur, quam quod conceptu comprehenſum eius videtur.

Conceptus ſpatii pedis cubici, vbi illum cumque quotiesue cogitauerim, per ſe prorſus idem eſt. Sed duo pedes cubici in ſpatio nihilominus ſolis locis diſtant (numero diuerſi ſunt); hi loci in conditionibus verſantur viſionis, in qua res huic conceptui propoſita datur, quae haud ad conceptum pertinent, ſed ad ſentiendi facultatem vniuerſam. Pariter in conceptu rei cuiusdam nil quidquam pugnae ineſt, niſi quidquam negatiuum cum adfirmatiuo coniunctum fuerit, ſolisque conceptibus aientibus in coniunctione nil quidquam tolli poteſt. Sed in viſione ſenſitiua, in qua realitas (veluti motus) datur, conditiones inſunt (directiones contrariae) a quibus in conceptu motus temperatur, quibus efficitur, vt, ſane quidem haud logice, pugna eſſe poſſit, nempe e ſolo poſitiuo zero = o, neque dici poterat: omnem realitatem propterea inuicem in conuenientia verſari, quod in conceptibus illius nulla pugna inueniatur. *) Ex ſolis con-

*) Si hic conſuetum illud quaerere effugium velis: realitates certe noumenas inuicem non poſſe pugnare; tamen exem-

ceptibus inteſtinum in ſubſtrato cernitur omnium adfectionum ſiue determinationum externarum. Quodſi igitur ab omni viſionum lege mihi temperem, ſolique conceptui rei in genere inhaeream, ab omni potero adfectione externa cogitationem auocare, et tamen conceptus relinquetur illius, quod nullam prorſus adfectionem denotat, ſed ſolas determinationes internas. Ex quo quidem videtur conſequi: in quaque re (ſubſtantia) eſſe quiddam, quod ſimpliciter inteſtinum ſit, quodque omnes determinationes externas antecedat, quoniam, vt hae eſſe queant, eo demum efficiatur; proinde hocce ſubſtratum tale quiddam eſſe, quo nullae amplius adfectiones externae teneantur, ideoque *ſimplex* eſſe (namque res corporeae ſemper duntaxat in ſolis adfectionibus verſantur, ſaltem partium extra ſe): et, quoniam nullas determinationes ſimpliciter internas nouimus, quam quae ſenſu intimo efficiuntur, ſubſtratum hocce non ſolum ſimplex eſſe, verum etiam (ad analogiam ſenſus interni noſtri) repraeſentationibus definitum, id eſt, vniuerſas res proprie monadas eſſe, ſiue naturas ſimplices repraeſentationibus ornatas. Atque hoc ſane verum foret, niſi plus quam conceptus rei in genere ad leges illas requireretur, quibus ſolis fit, vt res ſubiici viſioni externae queant, a quibus conceptus purus ſibimet temperat. Tum enim apparet, viſum conſtans in ſpatio ac perpetuum (extenſio imperuia) ſolas adfectiones in ſe, nihilque quidquam ſimpliciter inteſtini continere, et tamen primum vniuerſae perceptionis externae eſſe ſubſtratum poſſe. Ac fieri quidem non poteſt, vt ſolis conceptibus externi quidquam ſine inteſtino quodam queam cogitare, ſi quidem conceptibus relatiuis res abſolute datae ponuntur,

plum adferri deberet eiusmodi realitatis purae a ſenſuque liberae, vt intelligeretur, vtrum talis omnino aliquid, an neutiquam quidquam repraeſentaret. Sed nullum aliunde poteſt, quam ab experientia, exemplum depromi, quae quidem numquam quidquam amplius, praeter phaenomena, praebet, atque ita hocce pronunciatum tantummodo enunciat, conceptu, qui ſola aientia continet, nil quidquam negantis contineri. De quo numquam dubitauimus.

iisque ſine his eſſe locus non poteſt. Verum cum viſione aliquid contineatur, quod in conceptu ſolo rei in genere neutiquam ineſt, idque ſubſtratum, quod ſolis conceptibus prorſus non cognoſceretur, ſuppeditet, nempe ſpatium quoddam, quod vna cum omnibus, quae complectitur, in ſolis relationibus formalibus, vel etiam realibus, verſatur, non dici poterit: quoniam nulla res, ſine abſolute inteſtino quodam, ſolis queat conceptibus repraeſentari, etiam in rebus ipſis his conceptibus comprehenſis, earumque viſione nihil quidquam eſſe externi, cui haud ſubſit aliquid ſimpliciter abſoluteque inteſtini. Etenim ſi ab omni lege viſionis mentem abduxerimus, ſane quidem in ſolo conceptu nihil relinquitur, praeter inteſtinum in vniuerſum, eiusque relationem ad ſe inuicem, qua ſola eſſe externum poteſt. Sed haec neceſſitas, quae in ſola ſeparatione et abſtractione nititur, nullum locum in rebus habet, quatenus eae in viſione cum eiusmodi determinationibus offeruntur, quae ſolas relationes exprimunt, niſi iis quiddam inteſtinum ſubſit, eo quod non in rebus per ſe ipſis, ſed ſolum in viſis cernuntur. Quae illa cumque ſint, quae in materia nouimus, ea in ſolis relationibus verſantur (id, quod nos determinationes internas dicimus, tantummodo comparatiue internum eſt), ſed inſunt in iis in ſeſe conſiſtentia et conſtantia, quibus obiecta res definita datur. Cogitatione ab hiſce relationibus abducta, nihil ad cogitandum amplius mihi relinqui, eo quidem conceptus rei, qua viſi, haudquaquam tollitur, neque conceptus obiectae rei, quod vocant, in abſtracto, ſed ſane quidem vniuerſa poſſibilitas eiusmodi, qui e ſolis conceptibus determinabilis ſit, id eſt, noumeni. Sane quidem mirum auditu erit, rem totam ex relationibus conſtare debere; ſed talis res etiam in ſolo viſo verſatur, nec categoriis puris vllo modo poterit cogitari; ipſa cernitur in ſolis adfectionibus cuiuspiam in vniuerſum ad noſtros ſenſus Similiter adfectiones rerum in abſtracto, ſi ſolis illud conceptibus inſtituas, haud aliter poterunt cogitari, quam alteram eſſe cauſam determinationum in altera; haec enim noſtra intelligentiae notio eſt adfectionum ipſarum.

Sed, cum tunc ab omni viſione mentem auocemus, longe alia ratio, qua varia ſibi poſſint inuicem locum determinare, nempe forma ſenſus (ſpatium) tollitur, quod tamen omnem effectionem cauſarum empiricam antecedit.

Si obiectas res intelligibiles eas intelligimus, quae categoriis puris, ſine omni ſenſus ſchemate, cogitantur, tum eiusmodi res eſſe nequeunt. Namque conditio vſus obiectiui noſtrorum omnium intelligentiae conceptuum in ſolo modo verſatur noſtrae viſionis ſenſitiuae, quo res nobis offeruntur, a quo ſi cogitationem abduxerimus, illis (notionibus) nulla prorſus adfectio erit ad quampiam rem obiectam. Atque ſi aliud videndi genus, quam hocce ſenſitiuum noſtrum, ſumeremus, tamen functiones cogitandi noſtrae ratione iſtius nullam prorſus vim haberent. Sed ſi eas tantum res intelligimus ſubiectas viſioni haud ſenſitiuae, de quibus quidem categoriae noſtrae ſane haud valent, quarumque ideo nulla vmquam prorſus nobis eſſe cognitio (nec viſio, nec conceptus) poteſt, profecto debent in hac ſignificatione duntaxat negante noumena concedi: ſed tum iis nihil indicatur, niſi noſtram videndi rationem non vniuerſas res ſpectare, ſed ſolas res ſenſibus noſtris obnoxias, proinde valorem eius obiectiuum circumſcriptum eſſe, ideoque alii cuipiam videndi rationi, et ita etiam rebus illi ſubiectis, locum relinqui. Tum autem noumeni conceptus problematicus erit, id eſt, repraeſentatio rei, quam neque dicere poſſumus eſſe poſſe, neque non poſſe, quoniam praeter noſtrum ſenſitiuum, nullum aliud videndi genus novimus, neque conceptuum partem, quam categorias, neutrum vero rei aptum eſt extra ſenſum propoſitae. Igitur campum rerum cogitationi noſtrae obuiarum vltra leges ſenſus noſtri propterea nondum poſſumus poſitiue dilatare, praeterque viſa res cogitationi purae ſubiectas, id eſt, noumena, ſtatuere, quoniam harum non poteſt ſententia poſitiua declarari. Namque categorias fateamur, neceſſe eſt, ſolas nondum ſufficere ad cognitionem rerum per ſe ipſarum, et ſine datis ſenſus meras formas ſubiectiuas vnitatis intelligentiae, verum omni re obiecta

deſtitutas, fore. Cogitatio per ſe quidem haud eſt in effectis ſenſuum, neque eatenus iis circumſcripta, ſed propterea haud proprii purique vſus, niſi ſenſus acceſſerit, quoniam tum re caret obiecta. Neque etiam noumenon dici eiusmodi obiecta res poterit; etenim hoc ipſum illum conceptum oblatae rei problematicum notat, alienae prorſus viſioni intelligentiaeque aptae, quam noſtrae, quae proinde ipſa in problemate cernitur. Itaque conceptus noumeni haud conceptus eſt oblatae rei cuiusquam, ſed in quaeſtione verſatur cum circumſcriptione ſenſus noſtri neceſſario cohaerente, an res fortaſſe ſint ab illius viſione prorſus vacuae; quae quidem indefinite tantummodo quaeſtio explicari poteſt, ita nempe, vt, quoniam ſenſitiua viſio non omnes omnino ſine diſcrimine ſpectat, pluribus aliisque locus obiectis rebus relinquatur, quaeque proinde haud ſimpliciter negari, ſed, cum conceptus determinatus deſit (id quod nulla poterit categoria efficere), nec vt res intelligentiae ſubiectae adſeuerari poſſint.

Quamobrem ſenſum circumſcribit intelligentia, ita quidem, vt haud eo ſuum campum proprium dilatet, dumque hunc ea monet, ne ſibi arroget, res per ſe ipſas ſpectare, ſed ſola viſa, informat ſibi cogitationem oblatae rei per ſe ipſius, ſed tantummodo qua rei obiectae transſcendentalis, quae cauſa viſi (proinde non ipſum viſum) ſit, quaeque neque qua quantitas, neque qua realitas, neque qua ſubſtantia etc. cogitari poſſit (quoniam hae notiones ſemper indigent formis ſenſitiuis, in quibus oblatam rem definiant), quam penitus neſcimus, vtrum in nobis, an extra nos deprehendi queat, vtrum ſimul cum ſenſu tollatur, an, hoc ſublato, relinquatur. Quam quidem rem oblatam, ſi dicere noumenon velis, quoniam eius repraeſentatio haud ſenſitiua eſt, liberum eſto. Cum autem nullam notionum noſtrarum intelligentiae ad eam poſſimus transferre, tamen nobis illa repraeſentatio vacua atque inanis manebit, nihilque quidquam efficiet, quam vt fines iis deſignentur cognitionis noſtrae ſenſitiuae, ſpatiumque reliquum fiat, nulla neque experientia poſſibili, neque pura intelligentia explendum.

Itaque huic intelligentiae purae per criticam haud licet, vt nouum ſibi campum creet oblatarum rerum, praeter eas, quae qua phaenomena illi eſſe obuiae poſſunt, neque in mundos intelligibiles, ne adeo quidem in eorum conceptum, euagetur. Peccatum autem, quod ad id per ſummam ſpeciem ſeducit, quodque ſane exſari quidem, quamquam haud defendi poteſt, in eo cernitur, quod vſus intelligentiae contra finem ſuum, transſcendentalis redditur, et res obiectae, id eſt, viſiones poſſibiles, ſequi conceptus ad eosque ſeſe componere, non vero conceptus ad viſiones poſſibiles debent (vtpote in quibus ſolis eorum valor obiectiuus poſitus eſt). Cuius quidem rei itidem cauſa eſt, quod apperceptio, cum eaque cogitatio omnem poſſibilem determinatam ordinationem repraeſentationum antecedit. Quocirca aliquid vniuerſe cogitamus, illudque partim ſenſitiue determinamus, ſed tamen rem obiectam vniuerſalem atque, quod vocant, in abſtracto repraeſentatam ab hac ratione illam videndi diſtinguimus; tum ratio nobis relinquitur illius cogitatione ſolum determinandae, quae quidem in ſola forma verſatur materia deſtituta, nobis tamen nihilominus ratio quaedam eſſe videtur, qua oblata res per ſe exſtet (noumenon), viſione haud ſpectata, quae ad ſenſum noſtrum adſtricta videtur.

* * *

Antequam analyticam transſcendentalem mittamus, quaedam videntur addenda, quae, quamquam per ſe non ita magni momenti, tamen ad perfectionem ſyſtematis eſſe neceſſaria queant videri. Summa notio, qua philoſophia transſcendentalis ſolet inſtitui, plerumque diuiſione efficitur in poſſibile et impoſſibile. Cum autem omnis diuiſio conceptum diuiſum ſupponat et requirat, altior quidam debebit oſtendi, isque eſt conceptus obiectae rei vniuerſae (problematice ſumtus, in medioque, aliquid is ſit, an nihilum, relictus). Quoniam categoriae ſunt conceptus ſoli, ad obiectas res vniuerſe ſpectantes, diſtinctio rei cuiusdam oblatae, quidpiamne ſit, an ni-

hilum, ſecundum ordinem et inſtitutionem categoriarum progredietur.

1) Conceptibus vniuerſi, multi, atque vnius oppoſitus eſt is, qui omnia tollit, id eſt, *nullius*, atque ita comparata res eſt ſubiecta conceptui, cui nulla, quae indicari poſſit, viſio reſpondet, = nihilo, id eſt, conceptus re oblata carens, velut noumena, quae non poſſunt poſſibilitatibus adnumerari, quamquam ideo non debent impoſſibilia perhiberi (*ens rationis*), aut veluti certae quaedam nouae vires primitiuae, quae cogitatione finguntur, ſine repugnantia quidem, ſed etiam absque exemplo ex experientia depromto cogitantur, ideoque non debent poſſibilitatibus accenſeri.

2) Realitas eſt *aliquid*, negatio *nihil* eſt, nempe conceptus carentiae rei obiectae, velut vmbra, frigus (*nihil priuatiuum*).

3) Sola viſionis forma, absque ſubſtantia, per ſe nulla res obiecta eſt, ſed ſola conditio formalis illius (qua viſi), velut ſpatium purum, tempusque purum, quae quidem ſunt aliquid, qua formae videndi, ſed ipſa non ſunt res oblatae, quae videantur (*ens imaginarium*).

4) Res conceptui ſubiecta ſecum ipſi pugnanti, nihil eſt, quoniam conceptus nihil eſt, impoſſibile, vti fere figura rectilinea duorum laterum (*nihil negatiuum*).

Tabula huiusce diuiſionis notionis *nihili* (namque huic aequalis diuiſio cuiuspiam per ſe efficitur) proinde ſic inſtitui debebit.

Nihilum
vt

1.

Conceptus inanis re obiecta carens,
ens rationis.

2.

Inanis res obiecta
conceptus,
nihilum priuatiuum.

3.

Viſio inanis re obiecta
carens,
ens imaginarium.

4.

Inanis res obiecta conceptu
carens,
nihilum negatiuum.

Intelligitur, ens rationis (n. 1.) a nihilo negatiuo (n. 4.) eo diſcerni, quod illud non licitum ſit poſſibilitatibus adnumerari, quoniam in ſola (licet haud repugnante) fictione cernitur, hoc vero oppoſitum poſſibilitati eſt, dum ſe ipſum conceptus tollit. Ambo autem in conceptibus inanibus verſantur. Contraque nihilum priuatiuum (n. 2.) et ens imaginarium (n. 3.) in datis ad conceptus ſunt inanibus. Si lumen non datum fuerit ſenſibus, neque caligo, et ſi haud perceptae fuerint naturae extenſae, nullum ſpatium poterit repraeſentari. Et negatio, et ſola forma viſionis, reali deſtitutae, in nullis rebus obiectis verſantur.

LOGICES TRANSSCENDENTALIS

TOMUS POSTERIOR.

DIALECTICA TRANSSCENDENTALIS.

INSTITUTIO.

I.

De ſpecie transſcendentali.

Supra dialecticam vniuerſe *logicam* diximus *ſpeciei* et putatitii. Quod non ita diximus, vt doctrina *probabilitatis* ea videretur; nam haec in veritate cernitur, rationibus agnita imperfectis, cuius proinde cognitio manca illa quidem, neque tamen propterea falſa eſt, ideoque a parte logices analytica haud ſeiungenda. Multo minus *viſum* et *ſpecies* eadem putanda videntur. Nam neque veritas neque ſpecies inſunt in re obiecta, quatenus ea videtur et conſpicitur, ſed in iudicio de illa, quatenus ea cogitatur. Itaque recte dici poterit, ſenſus haud errare, ſed non propterea, quod ſemper recte iudicent, ſed quia omnino non iudicant. Quamobrem et veritas, et error, proinde ſpecies quoque, quae eſt ad errorem ſeductio, in iudicio tantummodo, id eſt, in ſola adfectione oblatae rei ad intelligentiam noſtram reperiuntur. In cognitione legibus intelligentiae perpetuo conſentanea, nullus error ineſt. In repraeſentatione ſenſuum, eo quod illa nullum iudicium continetur, nullus etiam error ineſt. Sed nulla vis naturae ſponte poteſt a legibus ſuis deflectere. Proinde neque intelligentia per ſe ſola (niſi alius cuiusdam cauſſae contagione ſollicitata), neque ſenſus per ſe, errarent: atque illa quidem propterea, quoniam, ſi ad ſolas ſuas leges agit, effectum (iudicium), neceſſe eſt, vt cum hiſce legibus conueniat. Sed in conuenientia cum legibus intelligentiae vniuerſi veri formale cernitur. Nullum prorſus in ſenſibus iudicium

ineſt, nec verum, nec falſum. Igitur, quoniam, praeter hoſce duos, nullum alium cognitionis fontem habemus, ſequitur, vt error ſola ſenſus contagione haud animaduerſa cum intelligentia efficiatur, qua fit, vt rationes iudicii ſubiectiuae cum obiectiuis coëant, quaſique confluant, illisque hae a via deflectantur, *) velut commotum corpus per ſe ſemper quidem lineam rectam in eadem directione ſeruaret, quae vero, ſi alia vis ad aliam directionem ſimul illud adficiat, in motum curuilineum erumpit. Quamobrem, vt peculiarem intelligentiae actionem a vi ſemet vna immiſcente dignoſcamus, neceſſe erit, vt iudicium erroneum conſideremus velut lineam diagonalem inter duas vires interiectam, quibus iudicium ad duas directiones diuerſas determinatur, quemdam quaſi angulum includentes, vtque illam effectionem compoſitam in ſimplicem illam intelligentiae ſenſusque reſoluamus, quod in iudiciis puris ex anticipatione reflexione transſcendentali fieri debet, quo (vti iam ſupra oſtendimus) ſuus cuique repraeſentationi locus in vi cognoſcendi ſibi conſentanea deſignatur, proinde quoque effectio ſenſus in intelligentia internoſcitur.

Nobis nunc non propoſitum eſt, de ſpecie empirica (velut optica) tractare, quae in vſu empirico legum intelligentiae alioquin probarum rectarumque deprehenditur, quaque facultas iudicandi ex contagione phantaſiae mouetur, ſed omne nobis negotium cum ſola ſpecie transſcendentali erit, quae ſeſe exſerit in decretis, quorum vſus ne quidem ſpectat experientiam, quippe in quo caſu certe quidam nobis probitatis eorum lapis Lydius foret, ſed quae, quamuis vel maxime nos critica monente, ſupra vſum categoriarum empiricum nobis ſublatis praeſtigiis imponit intelligentiae purae dilatandae. Ac decreta quidem, quorum vſus prorſus carceribus expe-

*) Facultas ſenſitiua, intelligentiae ſuppoſita, qua res, ad quam ea adhibet functionem ſuam, fons eſt cognitionum realium. Sed eadem, quatenus in ipſam actionem intelligentiae vim exſerit, eamque ad iudicandum determinat, cauſa erroris videtur.

rientiae coërcetur poſſibilis, *immanentia* appellabimus, quibus vero iſti carceres transuolandi videntur, decreta *tranſcendentia* dicemus. Neque per haec tamen vſum abuſumue categoriarum *tranſcendentalem* intelligo, qui in ſolo vitio cernitur facultatis iudicandi non ſatis per criticam frenatae, nec fines terminosque territorii, in quo ſolo intelligentiae purae conceſſum eſt ludere, ſatis attendentis; ſed vera decreta intelligo, quae poſtulant a nobis, vt limites illos euertamus, prorſusque nouo territorio, nuspiam omnino oram nec extremitatem agnoſcente, potiamur. Quocirca *tranſcendentale* non idem cum *tranſcendente* videtur. Decreta intelligentiae purae, quae ſupra propoſuimus, vſum tantum empiricum debent, non transſcendentalem, habere, id eſt, eum, qui vltra fines et carceres experientiae progredlatur. Sed decretum, quod hoſce carceres tollit, atque etiam migrandos praecipit, *tranſcendens* vocatur. Quodſi critica noſtra eo poterit pertinere, vt ſpeciem horum decretorum iniuſte vſurpatorum aperiat, tum illa decreta vſus empirici, poſterioribus hiſce oppoſita, decreta *immanentia* poterunt intelligentiae purae vocari.

Species logica, quae in ſola imitatione verſatur formae rationis (ſpecies falſarum concluſiuncularum, ſiue paralogismorum) e ſolo defectu attentionis ad regulam logicam exſiſtit. Proinde ſimul atque haec ad praeſentem caſum acuitur, ea ſpecies prorſus euaneſcit. E contrario ſpecies transſcendentalis nihilominus tamen haud ceſſat, licet aperta fuerit, eiusque vanitas ex critica transſcendentali dilucide perſpecta ſit (veluti ſpecies in hocce decreto: mundus, neceſſe eſt, vt, quoad tempus, initium ceperit). Cuius rei quidem haec cauſa eſt: in ratione noſtra (qua facultate cognoſcendi humana ſubiectiue ſpectata) inſunt regulae principes, normaeque ſingulares vſus illius, quae plane ſpeciem habent decretorum obiectiuorum; ex quo fit, vt neceſſitas certae cuiusdam coniunctionis conceptuum noſtrorum ſubiectiua, in gratiam intelligentiae, pro neceſſitate obiectiua reputetur determinationis rerum per ſe ipſarum. Vt autem

mare in medio altius nobis videtur, atque in litore, quoniam illud altioribus radiis luminis conſpicimus, quam hoc, vtque ipſe non poteſt aſtronomus impedire, quominus luna exoriens maior videatur, quamquam hacce ſpecie non fallitur, ſic etiam illa illuſio nullo modo poterit euitari.

Quamobrem dialectica transſcendentalis in eo acquieſcet, vt ſpeciem iudiciorum transſcendentalium aperiat, ſimulque ea cauebit, vt ne illa decipiat; vt autem (quemadmodum ſpecies logica) penitus euaneſcat, ſpeciesque eſſe deſinat, numquam ea poterit efficere. Namque nobis negotium cum *illuſione* naturali eſt et ineuitabili, quae ipſa in decretis ſubiectiuis poſita eſt, quae ea pro obiectiuis ſupponit. Sed dialecticae logicae in aperiendis paralogismis duntaxat vitium propoſitum eſt in ſeruandis decretis, aut ſpecies artificioſa in iis imitandis. Eſt ergo naturalis quaedam et ineuitabilis dialectica rationis purae, non ea quidem, qua fere homo ſe ipſum inſcius ex ignorantia implicet, quamue ſophiſta quispiam, ad homines perturbandos artificioſe excogitarit, ſed quae rationi humanae neceſſario adhaereat, ipſisque praeſtigiis apertis nihilominus eam pergat praeſtringere et perpetuo in errores detrudere, ſemper tollendos.

II.

De ratione pura, ſede ſpeciei transſcendentalis.

A.

De ratione in vniuerſum.

Omnis noſtra cognitio a ſenſibus incipit, inde ad intelligentiam pergit, atque in ratione abſoluitur, quippe qua nihil altius in nobis reperitur ad materiam viſionis tractandam ſummaeque cogitationis vnitati ſubiiciendam. Cuius ſupremae cognoſcendi facultatis cum nunc definitionem adferre debeam, in quadam videor difficultate verſari. Eſt autem et illius quoque, quemadmodum intelligentiae, vſus ſolus formalis, id eſt, logicus,

cum ab omni cognitionis materia ſibi ratio temperat, et realis quoque, cum ipſa in ſe originem conceptuum certorum decretorumque cohibet et continet, quae neque ab ſenſibus, neque ab intelligentia depromit. Illam quidem facultatem priorem dudum logici ſic definierunt, vt eam eſſe dicerent facultatem argumentandi, ſiue iudicandi cum adiunctione, adhibita adſumtione legis, ad quam fieri iudicium queat, ad legem iudicii cuiusdam poſiti (quo quidem argumentationes diſcernuntur a concludendi ratione, quae in conſequentiis cernitur, vt aiunt, immediatis). Sed haec poſterior ipſa conceptus generans, eo nondum perſpicitur. Igitur, cum hic diuiſio rationis occurrat in facultatem logicam et transſcendentalem, altior conceptus huiusce cognoſcendi fontis quaerendus erit, vtrumque in ſe conceptum continens, dum ſecundum analogiam conceptuum intelligentiae exſpectare poſſumus, conceptum logicum ſimul clauem conceptus transſcendentalis, tabulamque functionum illarum priorum ſtirpem conceptuum rationis eſſe miniſtraturum.

Ac priori quidem logices transſcendentalis parte intelligentiam diximus facultatem regularum; ſed hoc loco rationem ab ea diſtinguimus ita, vt eam *facultatem* nominemus *principiorum.*

Vocabulum principii ambiguum eſt, notatque plerumque duntaxat cognitionem, qua vti loco principii poſſimus, quamquam per ſe ipſum atque ex origine ſua nondum principium videtur. Quodque pronunciatum vniuerſale, ſi vel ab experientia (ex inductione) depromatur, ſummae poterit argumentationis ſeruire; neque propterea ipſum principium erit. Axiomata mathematicorum (velut, inter duo puncta eſſe tantum linea recta poteſt) vel vniuerſales notitiae ſunt ex anticipatione, et proinde iure, habita ratione caſuum, qui ad ea poſſunt adſumi, principia vocantur. Verum propterea nondum dicere poſſum, me attributum rectae lineae, vniuerſe ac per ſe, ex principiis cognoſcere, ſed tantummodo in viſione pura.

Quamobrem cognitionem ex principiis illam dicerem, quae in notitia rerum ſingularum ſpecialiumque ex generalibus et vniuerſalibus efformata verſatur. Quocirca vnumquodque ratiocinium in forma cernitur cognitionis ex principio quodam deriuandae. Namque propoſitio (propoſitio maior) ſemper conceptum ſuppeditat, quo efficitur, vt, quae ad conditionem illius adſumuntur, cuncta ex ipſo ad principium aliquod cognoſcantur. Cum autem quaeuis vniuerſalis cognitio propoſitioni poſſit ratiocinii inſeruire, et intelligentia eiusmodi enunciationes vniuerſales ex anticipatione offerat, hae quoque poterunt, ratione vſus eorum, qui fieri poteſt, principia nominari.

Sin vero decreta illa intelligentiae purae per ſe ex eorum origine conſideremus, tum ea nil quidquam minus erunt, quam cognitiones a conceptibus profectae. Namque ne ex anticipatione quidem eſſe poſſent, niſi viſionem puram (in matheſi), legesue experientiae poſſibilis generatim adhiberemus. Quaecumque fiunt cauſſam habere, non poteſt ex conceptu eius, quod omnino fit, colligi; potiusque decretum iſtud oſtendit, quomodo demum poſſis eius, quod fit, determinatum conceptum empiricum nanciſci.

Igitur cognitiones ſyntheticas e conceptibus nullo modo poteſt intelligentia miniſtrare, quae tamen proprie ſunt in iis, quae principia voco: ſed cuncta pronunciata vniuerſalia dici in genere principia poſſunt comparatiua.

Diu in votis habitum eſt, quod quam ſero fortaſſe aliquando euenturum ſit, neſcimus, vt tandem aliquando, pro infinita illa legum ciuilium varietate, earum principia quaerantur: namque in eo ſolo arcanum poterit legislationis ad ſimpliciorem formam reuocandae verſari. Sed ibi leges ſunt tantummodo circumſcriptiones libertatis noſtrae ad conditiones adſtrictae, quibus omnino ſecum ipſa conuenit; proinde ſpectant aliquid, quod prorſus noſtrum opus videtur, cuiusque nos ipſi ex conceptibus illis eſſe cauſſa poſſumus. Quomodo autem

obiectae res per ſe, et quomodo natura rerum principiis ſubſit, atque ex ſolis debeat conceptibus determinari, id ratio doceri ſi expetat, quiddam ea, niſi quod prorſus nequeat eſſe, certe tamen quod mirum ſit, pugnetve, poſtulare videtur. Verum vtcumque ſit (eius enim rei nobis inueſtigatio futura eſt), inde tamen manifeſtum eſt: cognitionem ex principiis (per ſe) profectam longe aliam eſſe, atque ſolam cognitionem intelligentiae, quae quidem itidem alias poteſt cognitiones in forma principii cuiusdam antecedere, ſed per ſe ipſa (quatenus ſynthetica eſt) haud in ſola cogitatione vertitur, neque quiddam in ſe continet vniuerſale ſecundum conceptus.

Quodſi intelligentia in facultate cernitur vnitatis viſorum ope regularum, ratio in facultate verſabitur vnitatis legum intelligentiae principiis ſubiectae. Itaque ea numquam proxime ſpectat experientiam, aut rem oblatam quampiam, ſed intelligentiam, cuius variis cognitionibus vnitatem impertit ex anticipatione per conceptus, eaque vnitas poterit rationis dici, quae prorſus eſt alius naturae, quam quae ab intelligentia poſſit effici.

Atque hic quidem vniuerſalis conceptus eſt facultatis rationis, quatenus ſine exemplorum lumine (quae in poſterum demum proferentur) ea potuit explicari.

B.

De vſu logico rationis.

Ea, quae proxime cognoſcuntur, diſcernimus ab iis, quae ſolum concluſionibus efficiuntur. In figura tribus lineis rectis circumſcripta tres angulos ineſſe, proxime agnoſcitur; ſed hoſce angulos coniunctos duobus rectis eſſe aequales, tantummodo concluditur. Quoniam ſemper opus habemus concluſione, eique demum ea re prorſus adſueſcimus, fit, vt hocce diſcrimen tandem haud amplius animaduertamus, ſaepiusque putemus, velut in illuſione ſenſuum, id proxime perceptum, quod tamen duntaxat concluſum habeamus. In vnaquaque concluſione

enunciatum pro fundamento ſubeſt, aliudque, quod inde efficitur, et denique conſequentia, ſecundum quam veritas poſterioris cum veritate prioris neceſſario connexa et copulata videtur. Si iudicium concluſum iam inſit in priori, ita vt ſine interuentu cuiusdam tertiae poſſit repraeſentationis ex eo deriuari, tum concluſio dicitur proxima (conſequentia immediata); mallem eam concluſionem intelligentiae vocare. Sin vero, praeter cognitionem fundamento poſitam, alio quodam iudicio opus ſit, vt conſecutio efficiatur, tum concluſio dicitur ratiocinium. In pronunciato hocce: omnes homines ſunt mortales, inſunt iam enunciata haec: quidam homines ſunt mortales; quidam mortales ſunt homines; nihil, quod immortale eſt, homo eſt; atque haec proinde ſunt conſectaria ex illo primo. Contra enunciatum: omnes docti ſunt mortales, non ineſt in iudicio ſubiecto (namque doctorum conceptus neutiquam illi competit), neque poterit, niſi iudicii cuiusdam ope intermedii, ex eo colligi.

In vnoquoque ratiocinio primum regulam cogito (*maiorem)* per *intelligentiam.* Deinde cognitionem quandam adſumo ad regulae conditionem (*minorem)*, interuentu *facultatis iudicandi.* Tandem cognitionem meam determino per attributum regulae (*concluſio)*, proinde ex anticipatione per *rationem.* Igitur adfectione cognitionis cuiusdam ad ſuas leges, a propoſitione (*maiori)*, vt regula, propoſita, varia ratiociniorum genera efficiuntur. Ea igitur ſunt ipſa generis triplicis, quemadmodum omnia omnino iudicia, quatenus eo ſunt genere diſtincta, quo adfectionem exprimunt cognitionis in intelligentia, ſcilicet ratiocinia vel *categorica*, vel *hypothetica*, vel *diſiunctiua.*

Si, quod plerumque accidit, concluſio propoſita qua iudicium fuit propoſita, vt intelligatur, anne e iudiciis iam datis, quibus quippe longe alia obiecta res cogitatur, ea promanet; tum in intelligentia adſertionem quaero huiusce concluſionis, num forte in ea ſub certis conditionibus ad regulam vniuerſalem reperiatur. Quodſi eiusmodi conditionem inuenero, poteritque obiecta res concluſionis ad

datas conditiones adſumi, tum haec ex regula, *aliis quoque rebus cognitioni ſubiectis* idonea, erit effecta. Ex quo perſpicitur, rationem magnam varietatem cognitionis intelligentiae ad minimum principiorum numerum (conditionum vniuerſalium) concludendo reuocare, eoque ſummam eorum vnitatem efficere conari.

C.

De vſu rationis puro.

Poteritne ratio effici ſolitaria? et, ſi poterit, eritne ea tum adhuc fons conceptuum iudiciorumque peculiaris, ex ea ſola orientium, quibus fiat, vt ad res oblatas referatur? An eſt ea duntaxat facultas quaedam ſubiecta (ſubalterna), qua datis poſſit notitiis certa quaedam forma impertiri, quae logica dicitur, quaque cognitiones intelligentiae tantum ſibi inuicem, regulaeque inferiores aliis altioribus (quarum conditio conditionem illarum priorum in ſphaera ſua continet) ſubiiciantur, quantum comparatione illarum effici poſſit? Quae quidem quaeſtione nobis nunc propoſita continentur. Ac profecto quidem varietas regularum, principiorumque vnitas a ratione poſtulatur, vt intelligentiae ſecum ipſius continuus contextus efficiatur, vti intelligentia varia viſionis conceptibus ſubiicit, eoque illa copulat et coniungit. Verum tale decretum obiectis rebus nullam legem praeſcribit neque rationem continet poſſibilitatis, earum qua talium omnino cognoſcendarum determinandarumque, ſed in ſola lege ſubiectiua verſatur adminiſtrandi penoris intelligentiae noſtrae, comparandis conceptibus eius, vſum illius vniuerſalem ad numerum, quoad eius fieri poſſit, minimum earum reducendi, ita quidem, vt haud talem ipſarum rerum oblatarum conſpirationem, quae commoditati dilatationique intelligentiae noſtrae proſit, iure poſtulare queas, illique decreto ſimul valorem obiectiuum impertire. Verbo, quaeritur: An ratio per ſe, id eſt, ratio pura ex anticipatione decreta ſynthetica legesque in ſe contineat, quibusque illa principia contineri videantur?

Rationis formalis et logicus procedendi modus in ratiociniis iam ſatis nobis monſtrat, quo fundamento principium eorum transſcendentale in cognitione ſynthetica ex ratione pura nitatur.

Ac primo quidem ratiocinium haud viſa ſpectat regulis ſubiicienda (vt intelligentia cum categoriis), ſed conceptus et iudicia. Igitur ratio pura, etiamſi res ſpectet oblatas, tamen non eſt ad has, earumque viſionem proxime adfecta, ſed duntaxat ad intelligentiam eiusque iudicia, quae proxime ſenſus eorumque viſionem attingunt, quarum rem obiectam determinant. Proinde vnitas rationis haud cernitur in vnitate cuiusdam poſſibilis experientiae, potiusque eſt ab hac, vtpote vnitate intelligentiae, natura diuerſa. Quidquid fit, ſui cauſam habere, neutiquam decretum eſt per rationem comprehenſum praeſcriptumque. Eo fit, vt eſſe vnitas experientiae poſſit, nihilque illud ab ratione mutuatur, quae ſine hac ad experientiam poſſibilem adfectione e conceptibus ſolis nullam talem praecipere vnitatem ſyntheticam potuiſſet.

Deinde vſu ſuo logico ratio conditionem iudicii ſui vniverſalem quaerit, neque quidquam aliud ratiocinium eſt, quam iudicium, ope adſumtionis conditionis ſuae ad regulam vniuerſalem *(propoſitionem)*. Quae quidem regula cum eidem rationis periculo expoſita ſit, eoque conditionis conditio (ope proſyllogismi) quaeri debeat, quamdiu fieri poterit, patet, peculiare rationis decretum in genere (vſu logico) eo ſpectare, vt ad cognitionem intelligentiae cum adiunctione reperiatur abſolutum, quo quidem vnitas illius perfici videtur.

Atque hocce praeceptum logicum non poteſt eſſe in principiis rationis purae, niſi ſumatur: dato eo, quod ad conditionem legemue pendet ex alio, totam quoque ſeriem conditionum legumque dari, et proinde etiam illud ipſum abſolutum (id eſt, in re obiecta eiusque coniunctione contineri).

Sed eiusmodi decretum rationis purae manifeſto ſyntheticum eſt; namque quod a lege ſeu conditione pendet, quamplam quidem conditionem analytice ſpectat, ſed haud abſolutum. Ex eo etiam, neceſſe eſt, varia enunciata ſynthetica oriantur, quae intelligentia pura ignorat, quippe quae in rebus verſatur experientiae poſſibilis obnoxiis, quarum et cognitio et ſyntheſis ſemper a conditione pendet. Sed abſolutum, ſi vere locum habet, ſeparatim contemplabitur, ſecundum omnes conditiones illas, quibus ab vnoquoque, quod ex aliis pendet, diſcernitur, eoque materiam oportebit multarum enunciationum ſyntheticarum ex anticipatione praebere.

Sed decreta ex hocce ſupremo rationis purae principio oriunda ratione viſorum omnium *tranſcendentia* erunt, id eſt, nullus eorum vſus empiricus ei conueniens vmquam fieri poterit. Eiusmodi decretum ab vniverſis decretis intelligentiae (quorum vſus eſt immaneus, quippe quibus ſola propoſita eſt poſſibilitas experientiae) prorſus diuerſum videtur. Vtrum igitur decretum illud: ſeriem conditionum (in ſyntheſi viſorum, vel etiam cogitationis rerum in vniuerſum) ad abſolutum pertinere, veritate obiectiua gaudeat, nec ne; quae inde ad vſum intelligentiae empiricum conſequentia promanent, anne potius nullum omnino obiectiui valoris decretum rationis inueniatur, ſed ſola praeceptio logica, in adſcendendo ad conditiones altiores atque altiores, perfectioni ſeſe appropinquandi, eoque ſummam, quae nobis eſſe poſſit, rationis vnitatem cognitioni noſtrae inferendi; vtrum, inquam, haec neceſſitas rationis ex errore pro decreto tranſcendentali rationis purae putata ſit, quod talem perfectionem abſolutam per temeritatem de ipſa conditionum ſerie in ipſis rebus oblatis poſtulet; quae illae cumque in hacce cauſa calumniae illuſionesque in ratiocinia irrepant, quorum propoſitio e ratione pura eſt (quaeque petitio potius, quam poſtulatum videtur), et quae ab experientia ſurſum ad eius conditiones adſcendunt; id quidem nobis in dialectica tranſcendentali propoſitum erit, quam nunc e fontibus illius, profunde

in ratione humana abſconditis, explicabimus. Eam quidem duobus diſtributam capitibus abſoluemus, ita, vt *priori* de conceptibus transſcendentalibus rationis purae, tum poſteriori de ratiociniis eiusdem transſcendentibus et *dialecticis* agamus.

DIALECTICES TRANSSCENDENTALIS

LIBER PRIOR.

De conceptibus rationis purae.

Vtcumque comparatum ſit cum poſſibilitate conceptuum e ratione pura, tamen illi non ſolum conceptus reflexi ſunt, ſed concluſi. Conceptus intelligentiae etiam ex anticipatione ante experientiam atque in gratiam illius cogitantur: verum necquidquam iſti continent, quam vnitatem reflexionis de viſis, quatenus ea neceſſario debent ad poſſibilem conſcientiam empiricam pertinere. Hiſce ſolis efficitur, vt cognitio determinatioque rei oblatae eſſe poſſit. Igitur primum illi materiam concludendi praebent, eosque conceptus nulli ex anticipatione oblatarum rerum antecedunt, ex quibus poſſent concludendo elici. E contrario tamen obiectiua eorum realitas in eo ſolum poſita eſt, quod, quoniam iis forma vniuerſae experientiae intellectualis efficitur, eorum vſum ſemper, oporteat, poſſe in experientia oſtendi.

Sed vocabulo conceptus rationis iam indicatur, eum haud intra experientiam velle coërceri, ſi quidem cognitionem attingit, cuius quaeque empirica tantummodo particula eſt (fortaſſe totum experientiae poſſibilis, eiusue ſyntheſeos empiricae), ad quam quidem nulla vera experientia vmquam prorſus idonea eſt, ſemper tamen ad eam pertinebit. Conceptus rationis *comprehenſioni* inſeruiunt, quemadmodum conceptus intelligentiae *intellectui* (perceptionum). Abſolutum ſi continent, aliquid attingunt, quo omnis experientia continetur, id quod ipſum autem numquam ſubiectum experientiae eſt; aliquid, quo ratio ducit in concluſionibus ſuis ex experientia, atque ex

quo gradum vſus ſui empirici aeſtimat et metitur, numquam autem articulum efficit ſyntheſeos empiricae. Quodſi nihilominus conceptibus eiusmodi valor obiectivus ſit, tum dici poterunt *conceptus rationati* (conceptus rite concluſi); ſin ſecus, certe per ſpeciem concludendi quamdam ſunt ſubrepti, *conceptusque ratiocinantes* (conceptus argutantes) dicuntur. Quod cum demum poſſit in capite de ratiociniis rationis purae dialecticis diiudicari, eorum nunc nondum poſſumus rationem habere, ſed in anteceſſum, perinde atque conceptus puros categorias vocauimus, conceptus rationis purae nouo nomine notemus, easque ideas appellabimus transſcendentales, hancce denominationem autem in praeſens illuſtrabimus ac defendemus.

Libri prioris dialectices transſcendentalis

SECTIO PRIMA.

De ideis in genere.

In tanta vbertate et copia linguarum noſtrarum ingenia fecunda ſaepenumerò de verbo ſoliciti ſunt, conceptui ſuo apto ſatis atque idoneo, cuius defectu ſit, vt quis nec aliis, nec ipſe ſibi ſatis perſpicuus videatur. Verborum nouorum fabricatio in arrogantia verſari quadam legum ferendarum in linguis videtur, quae raro admodum ſuccedit. Itaque ante, quam id fiat, e re eſſe videtur, emortuam quandam doctamque linguam perſcrutari, videreque, num in ea forte is conceptus cum vocabulo ipſi conſentaneo reperiatur, et, etiamſi antiquus iſtius vſus ex temeritate quadam auctorum aliquantum vagus ſit ambiguusque factus, tamen ſatius erit, vim poteſtatemque illi inprimis quondam propriam, confirmare (quamuis etiam in medio relinquatur, an tum eandem in animo veteres habuerint), quam, vt obſcuritate labor vanus atque irritus reddatur.

Quamobrem, ſi forte ad conceptum certum vnum tantummodo vocabulum inueneris, quod ex conſueta

ſignificatione ad huncce conceptum apprime quadret, prudenter ages, ſi eo non prodige vtaris, aut ad ſolam variationem ſynonymice illud, aliorum loco vſurpes, ſed propriam ſignificationem illi ſerues; alioquin enim fit facile, vt, ſi vocabulo attentio haud ita occupetur, ſed in frequentia aliorum longe diuerſi ſenſus euaneſcat, etiam cogitatio pereat, quae illo ſolo potuiſſet ſeruari.

Plato verbo *ideae* ita vſus eſt, vt facile videas, illum eo aliquid intellexiſſe, quod non ſolum numquam a ſenſibus depromatur, ſed quod adeo conceptus intelligentiae, in quibus Ariſtoteles verſabatur, longe ſuperet, ſi quidem in experientia numquam aliquid illi congruens atque conueniens reperitur. Sunt autem illi ideae primae rerum ipſarum imagines, neque ſolae quaſi claues experientiae poſſibilis, quemadmodum categoriae. Ex eius ſententia manabant eae ex ratione ſuprema, vnde ad humanam peruenerint, quae vero in praeſens non amplius in ſtatu ſuo originario videatur, ſed difficulter oporteat priſcas illas, nunc obſcuratas, ideas euocare per recordationem (quae philoſophia vocatur). Non hoc loco quaeſtionem literariam mouebo, vt ſenſum eruam, quem magnus ille philoſophus cum hocce vocabulo coniunxerit. Moneo ſolum, plane nihil alienum eſſe, cum in ſermone vulgari, tum in libris, per comparationem cogitatorum, ab auctore quodam de re ſibi propoſita patefactorum, illum adeo melius intelligere, quam ſe ipſe intellexerit, propterea quod conceptum ſuum non ſatis definiret, eoque nonnumquam contra ſuum ipſius conſilium loqueretur, vel etiam cogitaret.

Plato probe animaduertit, noſtram cognoſcendi facultatem longe altiorem neceſſitatem ſentire, quam ſola viſa ad vnitatem ſyntheticam ſyllabatim dicendi, vt tamquam experientiam ea legere poſſimus, noſtramque rationem per naturam ſuam ad cognitiones euehi, multo longius progredientes, quam vt vſpiam res obiecta quaepiam, quae quidem experientia dari poſſit atque offerri, vmquam iis queat congruere, quarum nihilominus tamen

realitas ſit, quaeque neutiquam in fictionibus ingenii verſentur.

Plato quidem ideas inprimis inuenit in omnibus, quae ſpectant actiones, *) id eſt, quae poſita in libertate ſunt, quae ex ſua parte quidem cognitionibus ſubeſt, quae proprie in effectis rationis verſantur. Qui conceptus virtutis haurire ex experientia vellet, qui ea, quae duntaxat exemplorum loco ad imperfectam poterunt illuſtrationem facere, normam atque exemplar facere cognitionum fontis vellet (quod vere multi fecerunt), is virtutem faceret variabile ad temporum rationem nonens ambiguum, ad nullamque regulam vtile. E contrario quisque animaduertit, cui quis qua exemplar virtutis oſtenditur, ſe verum typum apud ſe in animo habere, quocum propoſitum exemplar illud comparet, ad illumque ſolum aeſtimet. Sed ille typus cernitur in idea virtutis, cuius ratione res vniuerſae, quae eſſe ſubiectae poſſunt experientiae, qua exempla quidem (argumenta certo quodam gradu efficiendi eius, quod poſtulat conceptus rationis), non vero qua archetypi, ſeruiunt. Neminem vmquam hominem omni ex parte illi conuenienter acturum eſſe, quod idea virtutis pura complectitur, nil quidquam probat fictitii in hac cogitatione ineſſe. Namque nihilominus quodque iudicium de pretio morali per ſolam hancce ideam eſſe poteſt; proinde ea cuique appropinquationi ad perfectionem moralem neceſſario fundamento ſubeſt, vtcumque, quorum haud definiri gradus poterit, impedimentis in natura humana ab ea remoti teneamur.

*) Sane quidem conceptum ſuum etiam ad cognitiones contemplatiuas extendit, modo purae plenaeque datae ex anticipatione eſſent, vel ad matheſin, quamquam huic nuſpiam, niſi in experientia *poſſibili*, eſſe quaepiam res ſubiecta videtur. In quo quidem ſequi non poſſum philoſophum, vti etiam in deductione myſtica idearum illarum, vel exaggerationibus illis, quibus quaſi eas faceret hypoſtaſes; quamquam ſublimis oratio, qua in hocce campo vteretur, leniorem commode patitur naturaeque rerum conuenientiorem interpretationem.

Rempublicam Platonicam miro putant exemplo eſſe perfectionis ſomniatae, quae ſolum in cerebro ingenii otioſi ſedem habeat, eaque hinc in prouerbium abiit, et *Bruckero* ridiculum videtur decretum philoſophi, numquam principem bene adminiſtraturum fore rempublicam, quin particeps fuerit idearum. Verum ſatius foret, hancce ſententiam longius perſequi, eamque (vbi ab acutiſſimo homine deſtituti videmur) nouis conatibus in lucem ponere, quam miſero illo noxioque praetextu laboris vani, velut inutilem reiicere. Conſtitutio (non ſummae felicitatis quidem; quippe quae iam ſponte conſecutura videretur, ſed) *ſummae libertatis humanae* ſecundum leges, quibus efficitur, *vt cuiusque libertas poſſit cum libertate aliorum ſimul conſtare*, ſaltem idea neceſſaria eſt, quae non ſolum primae delineationi conſtitutionis ciuilis, verum etiam vniuerſis legibus fundamento ponenda eſt, atque in quo principio ab obſtaculis praeſentibus cogitatio abducenda videtur, quae non tam e natura humana neceſſaria poterunt exſiſtere, quam potius ex neglectu verarum idearum in legislatione. Nihil enim inveniri poteſt magis peſtiferum, magisque philoſopho indignum, plebeia illa prouocatione ad experientiam pugnantem, quae tamen omnino nulla foret, ſi inſtituta illa opportuno tempore fierent ad ideas, neque earum loco conceptibus crudis, propterea quod hauſti ex experientia ſunt, omne conſilium bonum irritum redderetur. Quo huic ideae conuenientius legislatio foret et regimen conſtituta, eo ſane rariores poenae exſtarent; quamobrem rationi prorſus conſentaneum videtur, vt, quod Platoni placet, in perfecta conſtitutione illius, poenis omnino nullis opus videatur. Quod quidem quamuis numquam efficiatur, tamen idea omnino vera eſt, quae *maximum* illud typo proponit, vt ad normam illius conſtitutio hominum legalis perfectioni, quantum fieri poterit, maximae indies propius adducatur. Etenim qui gradus ſummus ſit, in quo humano generi conſiſtendum videatur, quantusque proinde hiatus inter ideam eiusque ad vſum translationem relinquatur, a nemine nec poterit determinari, nec debebit, ob eam ipſam cauſam,

quoniam libertas eſt, quae vnumquemque deſignatum terminum poſſit transſcendere.

Verum non modo in iis, in quibus ratio humana veram cauſalitatem oſtendit, et vbi ideae fiunt cauſae efficientes (actionum rerumque iis ſubiectarum), nempe in moralibus, verum etiam ratione ipſius naturae, Plato iure optimo videt perſpicua argumenta originis illius ex ideis. Et planta, et animal, et conſtitutio vniuerſitatis rerum plena ordinis (proinde etiam haud ſcio an totus naturae ordo) perſpicuo monſtrant, ea omnia eſſe ex ſolis ideis poſſe; nullam quidem ſingulam rerum creatarum, ſingularibus exſiſtentiae legibus, cum idea perfectiſſimi ſui cuiusque generis congruere (aeque minus ac hominem cum idea humanae naturae, quam ipſe adeo vt archetypum actionum ſuarum in animo ſecum ducit), nihilominus tamen illas ideas in intelligentia ſuprema, ſingulas, immutabiles, prorſusque determinatas, cauſasque rerum originarias eſſe, ſolumque totum coniunctionis earum in vniuerſitate rerum tantummodo ideae illi omnino conſentaneum eſſe. Inſolentia verbi ſeiuncta, eleuatio mentis in philoſopho a contemplatione ectypa rationis phyſicae in ordine mundi ad coniunctionem eius architectonicam ex finibus, id eſt, ideis, adſcendendi, in conatu verſatur digno et ſuſpicione, et imitatione; ratione eorum autem, quae principia ſpectant et moralitatis, et legislationis, et religionis, vbi ideis efficitur, vt ipſa (boni) experientia eſſe demum queat, quamquam numquam in ea penitus poſſunt exprimi, prorſus peculiare meritum eſt, quod tantum propterea haud agnoſcitur, quoniam illud ex iisdem regulis empiricis diiudicatur, quarum valor, qua principiorum, iis ipſis debebat tolli. Namque ratione naturae nobis experientia regulas miniſtrat, eaque fons veri videtur; ſed ratione legum moralium experientia (proh!) mater ſpeciei videtur, valdeque in vitio eſt, ſi leges eorum, quae *agenda* ſunt, ab iis depromas, iisue coërcere velis, quae *aguntur*.

Sed miſſis hiſce omnibus deliberationibus, quarum pleniore tractatione peculiaris philoſophiae dignitas effi-

citur, operam in praeſens collocabimus in labore non tam ſplendido illo quidem, nec tamen vtilitate deſtituto, vt ſcilicet ſolum, in quo ſplendida illa aedificia moralia exſtruenda videntur, atque in quo varii talparum meatus rationis fruſtra quidem, ſed maxime fidenter, effodientium theſauros reperiuntur, qui illi aedificationi ruinam minantur. Igitur vſus rationis purae transſcendentalis, huiusce principia ideaeque, vt nobis plenius innoteſcant, nobis curandum videtur, quo vim contagionemque rationis purae, pretiumque illius ac valorem rite poſſimus et conſtituere et aeſtimare. Sed antequam hancce inſtitutionem praeuiam abſoluam, eos, quibus cordi philoſophia eſt (quod plus inuoluit, quam quod plerumque reperitur), oro rogoque, velint, ſi hiſce, quae hactenus dicta ſunt, quaeque in poſterum dicentur, ſeſe ſentiant perſuaſos, vocabulum ideae in vi virtuteque originaria tueri, ne porro illud reliquis verbis adiiciatur, quibus varia ſolent repraeſentationum genera negligenter confuſeque notari, ſcientiaque in eo iacturam faciat. Neque inopia verborum laboramus, cuique repraeſentandi generi apte accommodatorum, ita, vt non opus ſit, poſſeſſionem turbare alienam. Quamobrem ſcalam eorum hic ſubiiciemus. Genus eſt *repraeſentatio.* Huic ſubeſt repraeſentatio cum conſcientia, quae *perceptio* dicetur. Sed perceptio, quae ſolum ſpectat ſubiectum, qua mutatio illius ſtatus, eſt *ſenſatio;* perceptio obiectiua vocatur *cognitio.* Atque haec quidem vel *viſio* (intuitus) eſt, vel *conceptus.* Viſio proxime rem obiectam attingit, et eſt ſingularis; conceptus ad rem oblatam pertinet, ſed interueniente nota quadam, quae pluribus rebus eſſe poteſt communis. Conceptus vero vel eſt *empiricus,* vel *purus* et genuinus, conceptusque purus, cuius origo, quatenus in ſola intelligentia invenitur (non in pura ſenſus imagine), *notio* appellatur. Conceptus e notionibus, poſſibilitatem ſuperans experientiae, *idea* ſiue conceptus rationis erit. Atque illi quidem, qui ſemel ſeſe ad hancce diſtinctionem adſueuerit, haud ferendum videbitur, quum repraeſentationem rubri coloris audiet vocabulo ideae notari. Ea enim

ne notio quidem (conceptus intelligentiae) dicenda videtur.

Libri prioris dialecticae transſcendentalis

SECTIO SECUNDA.

De ideis transſcendentalibus.

Analytica transſcendentalis exemplo oſtendit, quomodo ſola cognitionis noſtrae forma logica originem conceptuum purorum poſſit ex anticipatione in ſe continere, ante omnem experientiam res obiectas repraeſentantium, vel potius vnitatem ſyntheticam indicantium, qua ſola fit, vt eſſe poſſit rerum empirica cognitio. Forma iudiciorum (in conceptum mutata ſyntheſeos viſionum) effecit categorias, omnem intelligentiae vſum in experientia ducentes. Itidem exſpectari poterit, formam ratiociniorum, ad vnitatem viſionum ſyntheticam ſecundum normam categoriarum accommodatam, ſingularium conceptuum ex anticipatione originem complexuram eſſe, quos puros rationis conceptus poſſumus, ſiue *ideas transſcendentales* appellare, quibusque vſus intelligentiae in toto cunctae experientiae ex principiis definietur.

Functionem rationis in concluſionibus cerni vidimus in vniuerſalitate cognitionis ſecundum conceptus, ipſumque ratiocinium in iudicio verſatur, quod ex anticipatione in vniuerſo ambitu conditionis ſuae determinatur. Sententiam: Caius eſt mortalis, poſſem etiam vel per ſolam intelligentiam ex experientia haurire. Verum conceptum quaero, quo conditio continetur, qua attributum (adſertio in vniuerſum) huiusce iudicii datur (ſcilicet hic conceptum hominis), et poſtquam ad hancce conditionem, in toto illius ambitu ſumtam (omnes homines mortales ſunt), adſumſero; inde tum cognitionem rei mihi propoſitae (Caius eſt mortalis) determino.

Quocirca in concluſione ratiocinii ad certam rem obiectam quandam attributum adſtringimus, antea in propoſitione (maiori) in toto ambitu ſuo ſub certa conditione quadam cogitatum. Atque haec abſoluta ambitus magnitudo, ratione talis cuiusdam conditionis, dicitur *vniuerſalitas*. Cui quidem in syntheſi viſionum reſpondet *vniuerſitas*, ſiue totalitas conditionum. Igitur conceptus rationis transſcendentalis nullus eſt, niſi conceptus *totalitatis conditionum* ad datum quiddam, quod inde pendeat. Cum igitur *abſoluto* fiat ſolo, vt eſſe queat conditionum totalitas, et viciſſim totalitas conditionum ſemper abſoluta ſit, omnino conceptus purus rationis poterit conceptu abſoluti, quatenus is rationem ſyntheſeos continet eius, quod pendet, definiri.

Quot autem genera ſunt adfectionis, quae categoriarum ope intelligentia ſibi repraeſentat, totidem erunt etiam conceptus puri rationis, proinde *primo* quaeri debebit *abſolutum* quiddam ſyntheſeos categoricae in quodam *ſubiecto*, *deinde* ſyntheſeos hypotheticae articulorum cuiusdam ſeriei, *tertio* denique ſyntheſeos disiunctiuae partium in quadam *diſciplina* (συςήματι).

Totidem nimirum genera ſunt ratiociniorum, quorum quodque proſyllogismis ad abſolutum progreditur, vnum proinde, quod ad ſubiectum ducit, quod ipſum haud amplius cuipiam attributum videatur; alterum ad ſumtionem procedit, quae nihil amplius, quod ponatur, requirat; tertium denique progreſſionem attinet, quae ad vniuerſitatem ſit membrorum diuidentium perfectam abſolutamque conceptus diuidendi. Idcirco conceptus puri totalitatis in ſyntheſi conditionum tamquam problemata quaedam, ad vnitatem intelligentiae, quantum fieri poſſit, vsque ad id, quod ab omni conditione liberum eſt, continuandam neceſſarii ſunt in naturaque humanae rationis fundati, licet alioquin hi conceptus transſcendentales vſu ipſis idoneo aptoque in ſingulis (in concreto) deſtituti ſint, ideoque nullum alium vſum habeant, quam, vt iis intelligentia dirigatur, quo vſus illius, quo-

ad eius fieri poſſit, amplificetur, ſimulque ſibimet ipſi omnino conſentaneus reddatur.

Dum autem hoc loco de totalitate conditionum loquimur, abſolutoque, tamquam titulo omnium rationis conceptuum communi, rurſum in vocabulum impingimus, quo quidem haud poſſumus ſuperſedere, neque tamen illo fidenter vti, ob ambiguitatem quamdam ex longo abuſu ipſi adhaerentem. Vocabulum *abſoluti* in paucis iſtis verbis eſt, in prima ſignificatione ſua conceptui accommodatis, cui nullum aliud eiusdem linguae vocabulum apte conuenit, cuiusque iactura, ſiue, quod idem eſt, vſus vagus atque ambiguus, iacturam etiam ipſius conceptus efficiat, neceſſe eſt, et illius conceptus quidem, quo, quia in illo admodum ratio occupatur, ſine ſummo detrimento vniuerſae diiudicationis transſcendentalis non poteſt ſuperſederi. Scilicet vocabulum *abſoluti* nunc quidem ſaepius vſurpatur, vt indicetur, aliquid de re *per ſe ipſa* ſpectata et proinde *interne* valere. Atque in hac ſignificatione *abſolute poſſibile* id deſignaret, quod per ſe ipſum (*interne*) eſſe queat, id quod profecto *minimum* foret, quod de re obiecta quadam dici poſſit. Contra nonnumquam etiam ſic vſurpatur, vt declaretur, in omni omnino relatione (haud circumſcripte) aliquid valere (veluti imperium abſolutum), itaque *abſolute poſſibile* eam vim haberet, vt id, quod omnino atque in vniuerſa relatione eſſe queat, enunciaret, id quod viciſſim eſt maximum, quod de poſſibilitate alicuius rei dici poſſit. Iam quidem accidit, vt iſtae ſignificationes ſubinde ſimul locum inueniant. Velut id, quod interne eſſe non poteſt, etiam in omni relatione, proinde abſolute, eſſe non poteſt. Sed plerumque toto, quod aiunt, coelo ab ſe inuicem abhorrent, neque vllo modo concludere potero, eo, quod aliquid per ſe ipſum eſſe poteſt, etiam effici, vt in omni relatione, proinde abſolute, eſſe poſſit. Quid? quod neceſſitatem abſolutam infra docebo neutiquam vbique ex inteſtina pendere, ideoque haud eandem cum hac conſiderari debere. Cuius contrarium eſſe haud interne poteſt, eius ſane contrarium

etiam omni reſpectu eſſe non poterit, proinde ipſum abſolute neceſſarium videtur; verum viciſſim retro concludere nequeo, quidquid abſolute neceſſarium eſt, eius haud interne poſſe contrarium eſſe, id eſt, neceſſitatem rerum abſolutam eſſe neceſſitatem internam; ſi quidem haec interna neceſſitas in quibusdam caſibus inani voce ſonat, quacum ne minimum quidem coniungere conceptum poſſumus; contra in conceptu neceſſitatis rei cuiusdam in omni relatione ſpectatae (ad omnia, quae eſſe poſſunt) determinationes prorſus peculiares inſunt. Quoniam igitur conceptus, cuius permagnus vſus eſt in philoſophia contemplatiua, numquam non eſſe philoſopho cordi poterit, ſpero, et circumſcriptionem vocabuli ſtudioſamque cuſtodiam, conceptui adhaerentis, neque philoſophum haud curaturum.

Atque in hac laxiore ſignificatione vtar vocabulo *abſoluti*, idque opponam comparatiue ſiue peculiari reſpectu valenti; namque hoc poſterius ad conditiones adſtrictum tenetur, cum illud ad nullam prorſus conditionem valeat adſtrictum.

Atqui conceptus rationis transſcendentalis ſemper duntaxat totalitatem abſolutam ſpectat in ſyntheſi conditionum, neque vſpiam deſinit, niſi in eo, quod abſolute, id eſt, quouis reſpectu, liberum a conditione videtur. Namque ratio pura vniuerſa concedit intelligentiae, proxime res viſioni ſubiectas, vel potius earum ſyntheſin in phantaſia ſpectanti. Illa ſola totalitatem in vſu conceptuum intelligentiae ſibi vindicat, et vnitatem ſyntheticam, in categoria cogitatam, ad id, quod abſolute vacuum a conditione eſt, abſoluere conatur. Quocirca haec *vnitas* viſorum ab *ratione effecta*, quemadmodum ea, quae categoria exprimitur, *vnitas intelligentiae* poteſt nominari. Ergo ratio ſolum intelligentiae vſum ſpectat, et quidem non quatenus cauſſa experientiae poſſibilis eo continetur (namque totalitas conditionum abſoluta haud in conceptu verſatur in experientia quadam vtili, quoniam nulla experientia a conditione libera eſt), ſed vt eum ad certam quandam vnitatem dirigat, cuius

nullus intelligentiae conceptus eſt, et quae id agit, vt omnes intelligentiae actiones, ratione cuiusque rei oblatae, *toto* quodam *abſoluto* complectatur. Quamobrem vſus obiectiuus conceptuum purorum rationis ſemper eſt *tranſcendens*, cum e contrario vſus conceptuum intelligentiae per naturam ſuam ſemper, neceſſe eſt, *immanens* videatur, eo quod ſe ipſum ad experientiam poſſibilem adſtringit.

Ideam intelligo conceptum rationis neceſſarium, cui quae congruat, nulla res poteſt in ſenſibus dari atque proponi. Igitur, de quibus iam agimus, conceptus rationis puri in ideis transſcendentalibus verſantur. Sunt illae quidem conceptus rationis purae; namque omnem experientiae obnoxiam cognitionem conſiderant qua totalitate conditionum abſoluta determinatam. Neque ſunt ex arbitrio effictae, ſed per ipſam rationis naturam propoſitae, quae idcirco neceſſario vſum intelligentiae ſpectant. Tandem etiam ſunt transſcendentes, finesque ſuperant ac terminos vniuerſae experientiae, in qua proinde eſſe obuia numquam poterit res quaedam oblata, quae conſentanea ſit ac reſpondeat ideae transſcendentali. Si quam ideam nomines; ratione obiectae rei (qua eius, quod ſubiectum intelligentiae purae ſit) permultum dices, ſed ratione ſubiecti (id eſt, veritatis illius ſive exſiſtentiae e conditionibus empiricis) perparum, propter id ipſum, quoniam ea, qua conceptus cuiusdam maximi, in ſingulo (in concreto) numquam poteſt apte congruenterque dari atque proponi. Iam quoniam hocce poſterius vſui rationis ſolum contemplatiuo proprie propoſitum eſt, et appropinquatio ad conceptum, qui numquam poteſt in efficiendo attingi, perinde erit, atque conceptus prorſus pratermittatur, propterea eiusmodi conceptum eſſe ideam dicimus. Sic dici poſſet: totum abſolutum omnium viſorum ſolum in idea verſatur; namque cum tale numquam poſſimus in imagine deſcribere, problema manebit omni enodatione deſtitutum. Contra ea vero, quoniam in vſu practico intelligentiae ſolum id agitur, vt eam ad regulas exerceamus, poterit

idea rationis practicae ſemper vere quidem, quamquam duntaxat ex parte, in ſingulis (in concreto) dari, quin ea in conditione vertitur neceſſaria cuiusque vſus practici rationis. Exercitium illius ſemper finitum et circumſcriptum eſt, mancumque, ſed ſub carcerum ratione haud determinabili, proinde numquam niſi ex contagione conceptus perfectionis abſolutae. Quocirca idea practica ſemper admodum fecunda eſt, et ratione actionum verarum prorſus neceſſaria. Atque in ea ratio pura adeo vim habet id vere efficiendi, quod eius conceptu continetur; vnde ſapientia non quaſi cum deſpicientia quadam dici idea tantum poterit; ſed ob eam ipſam cauſam, quia ea in idea cernitur vnitatis neceſſariae omnium poſſibilium conſiliorum, ſequitur, vt omni rationi practicae, qua originaria, certe coërcens, conditio pro norma videatur.

Quamquam igitur conceptus rationis transſcendentales vocare ideas debemus; tamen eae neutiquam ſupervacaneae vanaeque putandae erunt. Namque, quamquam iis nulla res obiecta poteſt determinari, tamen vere poterunt et clanculum intelligentiae ſeruire pro canone vſus illius ampli et communis, quo quidem nullam amplius obiectam rem cognoſcit, quam ex conceptibus ſuis cognoſceret, ſed in hacce cognitione tamen melius longiusque ducitur. Ne dicam, iis fortaſſe effici, vt a conceptibus phyſicis ad practicos eſſe tranſitus poſſit, ipſisque ideis moralibus tali modo tribui contextum cum cognitionibus rationis contemplatiuis poſſe. Eorum quidem omnium explanatio in hac tractatione exſpectanda eſt.

Sed miſſis hoc loco ideis practicis, pro eo atque conſilium noſtrum poſtulat, rationem nunc quoad vſum contemplatiuum, et transſcendentalem illum quidem conſideremus. Verum hic eidem viae debemus inſiſtere, quam ſupra in deductione categoriarum ſecuti ſumus; nempe, vt formam logicam cognitionis rationis inueſtigemus, videamusque, anne forte ratio ea etiam eſſe in fontibus poſſit conceptuum, quibus obiectae res

per ſe ipſae, qua ſynthetice ex anticipatione determinatae, ratione vnius alteriusue functionis rationis, queant ſpectari.

Ratio, qua facultas certae cuiusdam formae logicae cognitionis ſpectata, cernitur in vi concludendi, id eſt, interuentu (per adſumtionem conditionis iudicii cuiusdam poſſibilis ad conditionem dati cuiuspiam) iudicandi. Sed iudicium datum verſatur in regula vniuerſali (in *propoſitione*, ſiue *enunciatione maiori*). Adſumtio conditionis alius cuiuspiam, quod eſſe poſſit, iudicii ad conditionem regulae verſatur in ſumtione altera *(enunciatione minori)*. Iudicium verum, quod adſertionem regulae in adſumto caſu enunciat, eſt connexio, ſiue concluſio. Scilicet regula aliquid vniuerſe ſub quadam conditione enunciat. Atqui in caſu quodam obuio locus eſt regulae. Ergo id, quod ſub illa conditione vniverſe valebat, etiam in caſu praeſenti (hancce conditionem in ſe cohibente) valere exiſtimatur. Facile intelligitur, rationem ad cognitionem peruenire actionibus intelligentiae, quae ſeriem efficiunt conditionum. Si ad pronunciatum hocce: omnia corpora mutabilia ſunt, eo tantum peruenio, vt a cognitione remotiori (in qua nondum ineſt conceptus corporis, qui tamen in ſe continet illius conditionem) incipiam: omne compoſitum mutabile eſt; inde ad propiorem pergo, quae ſubeſt conditioni prioris: corpora ſunt compoſita; atque inde demum ad tertium, quod nunc cognitionem remotiorem (mutabile) cum praeſente coniungit: ergo corpora ſunt mutabilia; tum per ſeriem conditionum *(praemiſſarum)* ad cognitionem aliquam *(concluſionem)* perueni. Atqui vnaquaeque ſeries, cuius exponens (iudicii categorici vel hypothetici) ratio data eſt, continuari poteſt; ergo eadem actione rationis ad ratiocinationem polyſyllogiſticam, quae in ſerie cernitur concluſionum, ducimur, quae vel ex parte conditionum (per proſyllogismos), vel eius, quod ex conditione pendet (per epiſyllogismos), in indeterminatas regiones poteſt continuari.

Verum breui animaduertitur, catenam ſiue ſeriem proſyllogismorum, hoc eſt, cognitionum concluſarum ex parte rationum, ſiue conditionum ad datam quampiam cognitionem, ſiue, vt planius dicam, *ſeriem adſcendentem* ratiocinationum aliter tamen adfectam eſſe ad facultatem rationis debere, quam *ſeriem deſcendentem*, id eſt, progreſſionem rationis ex parte eius, quod ex conditione pendet, per epiſyllogismos. Namque, cum in priori caſu cognitio (concluſio) tantum qua e conditione pendens data ſit; ſequitur, vt ad eam ope rationis non poſſit perueniri, niſi ſumſeris, omnes ſeriei articulos ex parte conditionum datos eſſe (totalitas in ſerie praemiſſarum), quoniam duntaxat iis ſumtis eſſe poteſt praeſens iudicium ex anticipatione; contra ex parte eius, quod pendet e conditione, ſiue conſecutionum, tantummodo naſcens, non iam *tota* ſumta dataue ſeries, proinde ſola progreſſio potentialis cogitatur. Quamobrem, cum cognitio quaedam qua pendens e conditione ſpectatur, ratio cogitur ſeriem conditionum in linea adſcendente vt abſolutam, et, quoad totalitatem eius, vt datam ſpectare. Quodſi autem eadem cognitio ſimul qua conditio aliarum cognitionum conſideretur, inter ſe inuicem ſeriem conſecutionum in deſcendente linea conſtituentium, ratio poterit haud curare, quo vsque haec progreſſio a parte poſteriori pertineat, et num illa adeo omnino totalitas huiusce ſeriei eſſe queat; ſi quidem ad concluſionem praeſentem eiusmodi ſerie non opus habet, dum haec rationibus ſuis a parte priori iam ſatis finita firmaque videtur. Siue ex parte conditionum ſeries praemiſſarum quiddam *primum*, qua ſupremam conditionem habeat, ſiue non, et proinde a parte priori infinite; tamen ea totalitatem conditionis contineat, neceſſe eſt, quamvis etiam numquam eo poſſimus peruenire, vt eam comprehendamus, totaque ſeries abſolute vera ſit, oportebit, ſi id, quod e conditione pendet, quodque qua inde oriunda conſecutio ſpectatur, verum haberi debet. Id quod ratio poſtulat, cognitionem ſuam qua ex anticipatione determinatam neceſſariamque oſtendens, aut per ſe ipſam, et tum nullis rationibus opus eſt, aut, ſi deri-

vata ſit, qua articulum ſeriei rationum ipſius abſolutae verae.

Libri prioris dialecticae transſcendentalis

SECTIO TERTIA.

Syſtema idearum transſcendentalium.

Non nobis hic ſermo eſt de dialectica logica, ab omni materia cognitionis ſe continente, ſolamque falſam ſpeciem aperiente in forma ratiociniorum, ſed de transſcendentali, quae, prorſus ex anticipatione, originem quarundam cognitionum e ratione pura, conceptuumque concluſorum, quorum res obiecta empirica nullo modo dari poteſt, qui proinde prorſus extra facultatem poſiti ſunt intelligentiae purae, debet contineri. Ex adfectione illa naturali vſui cognitionis noſtrae transſcendentali cum in concludendo, tum iudicando, ad logicum vſum neceſſaria iam intelligimus, triplicem tantummodo ratiocinationum dialecticarum rationem fore, ad tria illa ratiocinandi genera ſpectantem, qua ratio e principiis poſſit ad cognitiones peruenire, eiusque omnino negotium verſari in eo, vt a ſyntheſi e conditione pendente, ad quam ſemper intelligentia adſtricta manet, ad abſolutam adſcendat, quam numquam poteſt attingere.

Iam vniuerſale omnium adfectionum, quarum eſſe copia poterit repraeſentationibus noſtris, cernitur 1) in adfectione ad ſubiectum, 2) in adfectione ad res propoſitas atque obiectas, et quidem vel qua viſa, vel qua res cogitationi omnino obnoxias. Cum hancce ſubdiuiſionem cum ſuperiori coniungimus, omnem adfectionem repraeſentationum, cuius nobis informare vel conceptum vel ideam poterimus, eſſe triplicem videbimus; ſcilicet 1) adfectionem ad ſubiectum, 2) adfectionem ad varietatem rei obiectae in viſo, 3) adfectionem ad res omnino omnes.

Atque vniuerſis conceptibus puris in genere propoſita eſt vnitas ſynthetica repraeſentationum, ſed ratio-

nis purae conceptibus (ideis transſcendentalibus) abſoluta vnitas ſynthetica omnium omnino conditionum. Ergo omnes ideae transſcendentales ad tres poterunt claſſes referri, quarum *prima* continetur vnitas abſoluta (ab omni conditione vacua) ſubiecti cogitantis, *ſecunda* vnitatem abſolutam complectitur feriei conditionum viſorum, *tertia* denique vnitatem abſolutam conditionum continet vniuerſarum rerum cogitationi generatim ſubiectarum.

Subiectum cogitans propoſitum eſt *pſychologiae*, complexus omnium viſorum (mundus) ſubiectus *cosmologiae* eſt, quaeque conditionem in ſe continet ſupremam poſſibilitatis omnium, quae cogitari poſſunt (natura omnium naturarum), res ſpectat ad *theologiam*. Quocirca ratio pura Ideam ſuppeditat pſychologiae transſcendentalis (rationalis), et cosmologiae transſcendentalis, et denique etiam theologiae transſcendentalis. Vel ipſa ſola delineatio harum doctrinae partium ſingularum neutiquam ab intelligentia proficiſcitur, ſi vel ipſa ſit cum ſummo vſu logico rationis coniuncta, id eſt, cum vniverſis, quae excogitari poterunt, concluſionibus, ita, vt ab vna re ſibi ſubiecta (a viſo) poſſit ad cunctas alias in remotiſſimos ſyntheſeos empiricae articulos progredi, ſed in ſolo verſatur effecto puro ac genuino ſiue problemate rationis purae.

Hiſce tribus locis vniuerſarum idearum transſcendentalium quinam ſubiecti modi ſint conceptuum rationis purae, ſequenti capite plenius exponemus. Qui quidem ad filum categoriarum progrediuntur. Namque ratio pura numquam directe res obiectas ſpectat, ſed earum conceptus intellectuales. Pari modo tractatione demum abſoluta manifeſtum erit, quo modo ratio ſolo vſu ſynthetico eiusdem functionis, qua ad ratiocinationem ſyntheticam vtitur, neceſſario ad conceptum vnitatis abſolute ſubiecti cogitantis feratur, quomodo item ratio logica in ideis hypotheticis vnitatem abſolutam ab omni conditione ſimpliciter abſoluteque vacui in *ſerie* conditionum datarum, ſola denique forma ratioci-

nationis disiunctiuae ſummum rationis conceptum naturae omnium naturarum neceſſario efficiat. Id quod prima ſpecie maxime mirum videtur, re explicata nil quidquam admirationis habebit.

Atque harum quidem idearum transſcendentalium eſſe nulla poteſt *obiectiua deductio*, qualis poterat categoriarum adferri. Re enim vera neutiquam quampiam rem obiectam ſpectant, quae iis congruenter poſſit offerri, ob eam ipſam cauſam, quoniam ideae videntur. Sed ſubiectiua earum inſtitutio e natura rationis noſtrae poterat ſuſcipi, eamque in hocce capite exhibuimus.

Facile intelligitur, rationi purae nil quidquam aliud propoſitum eſſe, quam abſolutam totalitatem ſyntheſeos ex *parte conditionum* (ſiue inhaerentiae ſit, ſiue dependentiae, ſiue concurrentiae) eamque cum abſoluta vniuerſitate eius, quod e conditione pendet, nihil negotii habere. Etenim illa ſola ei opus eſt, ad totam conditionum ſeriem ſumendam, eoque illam intelligentiae ex anticipatione offerendam. Quodſi autem ſemel adeſt plene (abſoluteque) data conditio, haud amplius opus erit conceptu rationis reſpectu ſeriei continuandae; ſi quidem intelligentia quemque gradum ſponte deorſum facit, a conditione ad id, quod inde pendet. Hoc modo ideae transſcendentales ſeruiunt tantummodo *adſcendendae* conditionum ſeriei vsque ad id, quod liberum ab omni conditione eſt, id eſt, ad principia. Ratione *deſcenſus* autem ad id, quod pendet e conditione, vſus quidem aliquis rationi eſt legum intelligentiae, qui patet latiſſime, ſed nullus prorſus transſcendentalis, et, cum ideam nobis informamus totalitatis abſolutae cuiuspiam eiusmodi ſyntheſeos (progreſſus) veluti totius ſeriei mutationum omnium futurarum, tum ea in ente, quod aiunt, rationis verſabitur, quod ex ſolo arbitrio cogitatur, non vero per rationem neceſſario ſumitur. Namque ad poſſibilitatem eius, quod e conditione pendet, ſumitur illa quidem vniuerſitas conditionum illius, non vero conſecutionum. Ergo eiusmodi conceptus haud

in idea transſcendentali verſatur, quacum ſola tamen nobis hic ſermo videtur.

Tandem etiam animaduertitur, ipſarum idearum transſcendentalium certum quendam contextum vnitatemque apparere, rationemque puram, ope illarum, vniuerſas cognitiones ſuas ad certam quandam diſciplinae formulam componere. A cognitione ſui ipſius (animae) ad cognitionem mundi, et, huiusce interuentu, ad naturam primam progreſſus eſt adeo naturalis, vt is progreſſioni rationis a praemiſſis ad concluſionem eſſe ſimilis videatur. *) Vtrum hic reapſe aliqua adfinitas illius generis clam ſubſit, quae inter logicam rationem et transſcendentalem, illud etiam in quaeſtionibus eſt, in pertractatione harum inueſtigationum expediendis. Ac iam in anteceſſum ad eum exitum peruenimus, qui nobis fuit propoſitus, cum conceptus rationis transſcendentales, in theoria philoſophorum aliis immiſceri ſolitos, ita, vt ne quidem a conceptibus intelligentiae rite diſcernerentur, ab hac ambiguitate liberare, eorum originem, eoque ſimul definitum numerum, praeter quem nulli eſſe amplius poſſunt, indicare, eosque in contextu ſyſtematico proponere poſſemus, qua quidem

*) Metaphyſicae proprie propoſitae ſunt tres ideae inueſtigandae: *deus*, *libertas* et *immortalitas*, ita, vt conceptus ſecundus cum primo coniunctus, ad tertium, tamquam ad neceſſarium quoddam conſequens, ducere debeat. Omnia, in quibus alioquin haec doctrina occupatur, ei duntaxat ſubſidio ſunt, ad haſce ideas earumque realitatem perueniendi. Neque iis ea opus habet ad phyſicam, ſed vt vltra naturam progrediatur. Perſpicientia illarum efficeretur, vt *theologia*, *doctrina morum*, et vtriusque coniunctione *religio*, proinde ſummi fines exſiſtentiae noſtrae, a ſola contemplandi facultate rationis, neque ab vlla alia re penderent. In deſcriptione idearum illarum ſyſtematica, dictus ordo, nempe *ſyntheticus*, aptiſſimus foret; verum in tractatione illi neceſſario praeuia, *analyticus*, hunc ordinem inuertens, conſilio magis conſentaneus erit, vt, dum ab iis, quae proxime experientia nobis miniſtrat, a *pſychologia*, ad *coſmologiam*, atque inde vsque ad cognitionem *dei* progredimur, magnum illud conſilium noſtrum exſequamur.

re efficitur, vt peculiaris rationi purae campus et deſignetur, et circumſcribatur.

DIALECTICES TRANSSCENDENTALIS

LIBER POSTERIOR.

De concluſionibus dialecticis rationis purae.

Ac dici quidem poteſt, id, quod ideae ſoli transſcendentali ſubiectum videtur, eſſe aliquid, cuius nequeat conceptus haberi, quamuis haec idea prorſus neceſſario in ratione generata ſit ex legibus eius originariis. Etenim re ipſa quoque cuiusdam oblatae rei, quae rite debeat deſiderio rationis conuenire, nullus eſſe poteſt conceptus intelligentiae, id eſt, talis, qualis in quapiam poſſibili experientia oſtendi queat, reddique conſpiciendus. Interim tamen melius, minorique erroris periculo diceretur, nullam nobis eſſe notitiam obiectae rei, ideae cuipiam reſpondentis, quamquam eſſe queat conceptus problematicus.

Atqui certe realitas transſcendentalis (ſubiectiua) conceptuum rationis purae in eo verſatur, vt ratiocinatione neceſſaria ad eiusmodi ideas feramur. Ergo ratiocinationes erunt, nullas praemiſſas empiricas continentes, quarum ope ab eo, quod nouimus, ad aliud quid concludimus, cuius tamen nullum conceptum habemus, cuique nihilominus, per ineuitabilem ſpeciem, realitatem obiectiuam tribuimus. Cuiusmodi concluſiones igitur ratione connexi argutantes potius, quam ratiocinantes, dicendae ſunt; quamquam, propter cauſam ſuam, commode poſſunt poſteriori nomine notari, quoniam nec fictae ſunt, nec ortae fortuito, ſed ex natura rationis profectae. Sunt illa quidem ſophismata, non hominum, ſed ipſius rationis purae, a quibus omnium omnino hominum vel ſapientiſſimus haud poteſt ſeſe liberare, et fortaſſe quidem poſt multos labores errorem euitare, ſpeciem autem, qua perpetuo vellicatur ac luditur, numquam prorſus a ſe poterit remouere.

Harum igitur ratiocinationum triplex genus eſt, totidemque, quot ideae ſunt, ad quas concluſiones eius denique redeunt. In ratiocinatione *primi loci* a transſcendentali conceptu ſubiecti, nil varii continente, ad vnitatem huiusce ſubiecti abſolutam concludo, cuius hoc modo nullum prorſus conceptum habeo. Hanc concluſionem dialecticam paralogismum transſcendentalem nominabo. Alter locus concluſionum argutantium poſitus eſt in conceptu transſcendentali vniuerſitatis abſolutae, ſeriei conditionum ad viſum aliquod datum in genere, atque inde, quod abſolutae vnitatis ſyntheticae ſeriei ex vna parte ſemper conceptum habeo ſecum ipſo pugnantem, concludo ad veritatem vnitatis contrariae, cuius tamen quoque nullum conceptum habeo. Statum rationis in hisce concluſionibus dialecticis, *antinomiam* rationis purae vocabo. Tandem vero, ſecundum tertium genus concluſionum argutantium, ab vniuerſitate conditionum, res obiectas generatim, quatenus mihi dari poterunt atque offerri, cogitandi, ad abſolutam concludo vnitatem ſyntheticam omnium conditionum poſſibilitatis rerum in vniuerſum, id eſt, a rebus ex ſolo earum conceptu transſcendentali mihi ignotis ad naturam omnium naturarum, quam per conceptum quemdam transſcendentalem multo minus noui, cuiusque de neceſſitate abſoluta nullum mihi animo informare conceptum queo. Atque hancce ratiocinationem dialecticam *ideale* rationis purae appellabo.

Libri poſterioris dialectices transſcendentalis

CAPUT PRIMUM.

De paralogismis rationis purae.

Paralogismus logicus cernitur in falſitate ratiocinationis cuiusdam quoad formam, qualis illa cumque eius materia videatur. Sed paralogismus transſcendentalis poſitus eſt in ratione transſcendentali, quoad formam falſo concludendi. Atque ita eiusmodi paralogismus in

natura rationis humanae cauſam habebit, illuſionemque ineuitabilem, licet haud inenodabilem, in ſe cohibebit.

Iam in conceptum incidimus, ſupra in generali indice conceptuum transſcendentalium haud notatum, nihilominus tamen illis adnumerandum, ita quidem, vt tabula illa ne minimum quidem eo immutetur, nec manca imperfectaque iudicetur. Isque conceptus eſt, vel, ſi malueris, iudicium hocce: *ego cogito*. Sed facile intelligitur, iſtum conceptum eſſe vehiculum omnium omnino conceptuum, et proinde quoque transſcendentalium, ideoque pariter transſcendentalem eſſe, neque peculiarem quendam poſſe titulum habere, quoniam tantum facit ad vniuerſam cogitationem, qua ad conſcientiam pertinentem, proponendam. Interea, quamuis ab omni empirico (ſenſuum impreſſione) vacuus videatur, tamen eo efficietur, vt duplex rerum obiectarum genus e natura poſſit noſtrae repraeſentandi facultatis internoſci. *Ego*, is qui cogito, res ſum ſenſui interno ſubiecta, dicorque anima. Id, quod ſenſibus ſubiectum externis eſt, vocatur corpus. Quamobrem vocabulum *ego*, qua natura cogitans, iamiam rem denotat pſychologiae propoſitam, quae dici poterit doctrina animae rationalis, ſi nil quidquam noſſe amplius de anima cupio, quam quod ab omni experientia libere (qua propius atque, quod aiunt, in concreto determinor) ex hocce conceptu *ego*, quatenus in omni cogitatione occurrit, poteſt concludi.

Ac profecto quidem pſychologia rationalis in conatu huius generis cernitur: namque ſi vel minima empirici ratio cogitationis meae, ſingularis quaepiam ſtatus mei intimi perceptio rationibus cognoſcendi huiusce doctrinae immiſceretur, non amplius rationalis pſychologia foret, ſed empirica. Igitur iam adeſt nobis doctrina quaedam oſtenſa, quae in vno hocce pronunciato: *ego cogito*, condita videtur, cuiusque vel veritatem, vel vanitatem hoc loco commode, naturaeque philoſophiae transſcendentalis conuenienter poſſumus inquirere. Neque eſt, quod offendare, quod nihilominus in hocce

pronunciato, quod ſui ipſius perceptionem enunciat, experientiam internam habeam, ideoque pſychologia rationalis, in illo exaedificata, numquam pure ſit, verum ex parte in principio empirico fundata. Namque haec intima perceptio non, niſi ſola apperceptione: *ego cogito*, continetur; qua fit, vt vel vniuerſi conceptus eſſe transſcendentales poſſint, in quibus hoc eſt: ego cogito ſubſtantiam, cauſam et ſimilia. Namque experientia interna in vniuerſum eiusque poſſibilitas, aut perceptio vniuerſe, eiusque ad aliorum perceptionem adfectio, niſi ſingulare quoddam discrimen illius determinatioque ſit empirice datum, non poteſt qua cognitio empirica, ſed oportet, qua cognitio empirici vniuerſe ſpectari, pertinetque ad inueſtigationem poſſibilitatis cuiusque experientiae, quae ſane quidem transſcendentalis videtur. Res minima perceptioni obnoxia (veluti iucunditas vel iniucunditas), quae ad generalem conſcientiae ſui ipſius repraeſentationem accederet, pſychologiam rationalem continuo in empiricam mutaret.

Igitur ego cogito, vnus ſolusque pſychologiae rationalis textus efficitur, ex quo omnis illi doctrina explicanda videtur. Facile intelligitur, hacce cogitatione, ſi ad quampiam rem obiectam (me ipſum) referri debeat, nihil aliud quidquam, praeter attributa transſcendentalia, poſſe contineri; ſi quidem minimo attributo empirico puritas rationalis liberaque ab omni experientia doctrinae ratio corrumperetur.

Verum hic tantummodo filum categoriarum ſequi ducem debebimus, ita tamen, vt, quum hic primo res quaedam, ego, qua natura cogitans, data ſit, ſuperiorem categoriarum ordinem, vti in earum tabula propoſitus eſt, haud immutemus quidem, ſed hoc loco tamen a categoria ſubſtantiae incipiamus, qua res per ſe ipſa oſtenditur, atque ita earum ſeriem retro perſequamur. Quamobrem topica pſychologiae rationalis, vnde cuncta, quae illa eſſe complexa poterunt, deriuanda ſunt, ſic ſe habet:

1.

Anima eſt
ſubſtantia.

2.

Secundum qualitatem
ſimplex.

3.

Quoad diuerſa tempora, quibus ea exſtat atque apparet, numero eadem, id eſt, *unitas* (non multitudo).

4.

In relatione
ad res in ſpatio *poſſibiles.* *)

Ex hiſce elementis vniuerſi emergunt conceptus pſychologiae purae, per ſolam compoſitionem, ita, vt neutiquam quidpiam aliud principium agnoſcant. Haec ſubſtantia quidem ſolum, qua res ſenſui intimo ſubiecta, conceptum *immaterialitatis* ſuppeditat; qua ſubſtantia ſimplex, conceptum *incorruptibilitatis;* identitate illius, qua ſubſtantiae intellectualis, efficitur *perſonalitas*, cunctisque his tribus partibus *ſpiritualitas;* adfectio ad res obiectas in ſpatio miniſtrat commercium cum corporibus; proinde ea ſubſtantiam cogitantem, qua principium vitae in materia, id eſt, qua animam, et qua principium *animalitatis* proponit; atque haec, per ſpiritualitatem circumſcripta, *immortalitatem.*

Atque illud quidem ſpectant quatuor paralogiſmi pſychologiae transſcendentalis, quae falſo putatur doctrina rationis purae, de natura eſſentiae noſtrae cogitantis. Cui quidem nihil aliud fundamentum ponere poſſumus, quam ſimplicem illam et per ſe ipſam omni

*) Lector, qui ex hiſce verbis, in ſeparatione transſcendentali, haud ita facile ſenſum pſychologicum eorum, et quamobrem poſtremum attributum animae ad categoriam *exiſtentiae* pertineat, diuinabit, in ſequentibus ea ſatis explicata atque defenſa reperiet.

omnino materia vacuam repraeſentationem: *Ego;* quam ne dicere quidem conceptum poſſis, ſed ſolam conſcientiam omnes conceptus comitantem. Hoc illo *ego*, aut ille, illaue (res), qui cogitat, nil quidquam amplius repraeſentatur, praeter ſubiectum cogitationum transſcendentale = x, quod tantummodo ex cogitationibus, quae ſunt in eius attributis, cognoſcitur, cuiusque, ſeparati, nobis numquam eſſe vel minimus conceptus poteſt; circa quod proinde perpetuo in orbe vertimur, cuius quippe repraeſentatione ſemper iam, oportebit, vtamur, vt quidpiam poſſimus de eo iudicare; quod quidem incommodum ab ea re non poterit ſeparari, quoniam conſcientia per ſe non tam in repraeſentatione verſatur, ſingularem quamdam rem obiectam diſcernente, quam in forma illius vniuerſe, quatenus dici cognitio debebit, quippe qua ſola dici poteſt quidpiam a me cogitari.

Verum ſtatim initio, neceſſe eſt, vt mirum videatur, conditionem, qua fit, vt omnino cogitem, quaeque proinde in ſola qualitate cernitur ſubiecti mei, ſimul ad vniuerſa, quae cogitant valere debere, nosque hoc nobis poſſimus ſumere, vt in pronunciato ſpecie quidem empirico iudicium apodicticum et vniuerſale conſtituamus, nempe: vniuerſa, quae cogitant, ita comparata eſſe, vti ſententia mei ipſius de me pronunciat. Cuius quidem rei cauſa haec eſt, quod nos oporteat rebus ex anticipatione omnes proprietates illas neceſſario attribuere, quibus conditiones efficiuntur, quae faciunt, vt iis ſolis eas cogitemus. Atqui naturae cogitantis ex nulla experientia externa, ſed ex ſola mei ipſius conſcientia minimam poſſum repraeſentationem habere. Ergo eiusmodi res obiectae non niſi in translatione huiusce conſcientiae meae ad res alias verſantur, quae hoc ſolo vt naturae cogitantes repraeſentantur. Sed pronunciatum hocce: *Ego* cogito, hic tantum problematice accipitur; non quatenus perceptio cuiusdam exſiſtentiae illo continetur (Carteſianum illud: cogito, ergo ſum), ſed ſecundum ſolam eius poſſibilitatem, vt videamus, quaenam

proprietates ex hocce tam ſimplici pronunciato ad eius ſubiectum (ſiue eiusmodi aliquod vere exſtet, ſiue minus) promanent.

Quodſi cognitioni purae noſtrae naturarum cogitantium ab ratione profectae omnino plus, quam hocce cogito, ſubeſſet; ſi porro, quae de ludo cogitationum noſtrarum obſeruata ſunt, atque inde hauriendas leges naturales cogitantis ipſius, etiam adhiberemus; tum pſychologia empirica oriretur, quae poſita foret in genere phyſiologiae ſenſus interni, quaque viſa eius quidem explicari poſſent, non vero tales proprietates, quae neutiquam ad experientiam poſſibilem pertinent (velut ſimplicis), aperiri, neque omnino quidquam de naturis cogitantibus, quod vim rationemque earum attingat, apodictice doceri; itaque ea nulla pſychologia rationalis foret.

Quum igitur pronunciatum hoc: *Ego* cogito (problematice ſumtum) formam cuiusque iudicii ex intelligentia profecti vniuerſe contineat, omnesque categorias tamquam earum aliquod vehiculum comitetur; perſpicuum erit, concluſionibus ex eo effectis vſum intelligentiae duntaxat transſcendentalem poſſe contineri, qui omnem experientiae admixtionem recuſat, cuiusque de progreſſu, ex iis, quae ſupra demonſtrauimus, iam in anteceſſum animo concipere haud ita bonam cogitationem poſſumus. Quamobrem pronunciatum illud per omnia praedicamenta pſychologiae purae oculo critico perſequamur, ita tamen, vt breuitati conſulamus, examen illorum haud interrupto contextu progrediatur.

Ac primo quidem, quae ſequitur, generali animadverſione poterit attentio noſtra ad hoc concludendi genus acui. Non eo quidem, quod ſolum cogito, quampiam obiectam rem agnoſco, ſed eo tantummodo, quod viſionem datam ratione vnitatis conſcientiae, in qua omnis cogitatio poſita eſt, determino, quampiam poſſum rem oblatam cognoſcere. Ergo memet ipſum haud eo cognoſco, quod mihimet mei qua cogitantis conſcius

ſum, ſed cum viſionis mei ipſius, vt ratione functionis cogitandi finiti ac determinati, mihi conſcius ſum. Omnes modi conſcientiae mei ipſius in cogitatione, per ſe, proinde nondum verſantur in conceptibus intelligentiae rerum obiectarum (categoriarum), ſed in meris functionibus logicis, quibus cogitationi nulla prorſus obiecta res, proinde nec ipſe ego, qua res oblata, cognoſcenda proponitur. Non conſcientia *determinantis*, ſed tantum *determinabilis* ipſius, id eſt, viſionis meae intimae (quatenus varietas illius generali conditioni vnitatis apperceptionis in cogitando poteſt conuenienter coniungi), in re oblata verſatur.

1) Iam in omnibus iudiciis ſemper ſum ſubiectum *determinans* illius relationis, qua iudicium efficitur. Memet autem, qui cogito, in cogitando ſemper vt *ſubiectum*, vtque aliquid, quod non ſolum qua attributum cogitationi adhaereat, conſiderari debet, accipi oportere, enunciatum eſt apodicticum, et vel ipſum identicum; verum non eam vim habet, vt ego, tamquam res obiecta, natura, per me, ipſa *ſubſiſtens*, ſiue *ſubſtantia* videar. Atque hoc poſterius latiſſime patet, et proinde data requirit, quae in cogitatione omnino haud reperiuntur, et fortaſſe (quatenus ſolum cogitans qua tale conſidero) plus, quam vbicumque (in ea) vmquam reperiam.

2) Illud ego in apperceptione, proinde in quaque cogitatione, in numero *ſingulari* verſari, qui non poteſt in multitudinem ſubiectorum diſſolui, ideoque ſubiectum ſimplex logicum deſignari, iam in conceptu ineſt cogitationis, et proinde in pronunciato analytico vertitur; verum hoc non eam vim habet, vt illud ego cogitans poſitum in ſimplici *ſubſtantia* ſit, quod enunciatum ſyntheticum foret. Conceptus ſubſtantiae ſemper viſiones ſpectat, quae in me non poſſunt, niſi ſenſitiuae eſſe, proinde prorſus extra campum intelligentiae et cogitationis illius poſitae ſunt, de quo tamen hoc loco proprie ſermo eſt, cum dicitur, illud ego eſſe ſimplex in cogitando. Etiam mirabile foret, ſi id, quod alias tantum apparatum poſtulat, vt in iis, quae viſio proponit,

diſcernamus id, quod in eo ſubſtantia videatur; magisque, an ea etiam eſſe ſimplex queat (quemadmodum in partibus materiae) hoc loco in repraeſentatione omnium pauperrima, quaſi quadam patefactione diuinitus offeretur.

3) Pronunciatum identitatis mei ipſius in omni illa varietate, cuius mihi conſcius ſum, enunciatum eſt pariter in ipſis conceptibus latens, proinde analyticum; ſed haec ſubiecti identitas, cuius mihi in omnibus eius repraeſentationibus fieri conſcius poſſum, non viſionem illius attingit, quo vt res obiecta datum eſt, neque proinde etiam identitatem notare poteſt perſonae, qua conſcientia identitatis ſuae ipſius ſubſtantiae, vt naturae cogitantis, intelligitur in omni ſtatuum viciſſitudine, ad quam euincendam ſola analyſi pronunciati, ego cogito, nil quidquam efficeretur, ſed variis opus foret iudiciis ſyntheticis, quae in data viſione nituntur.

4) Exſiſtentiam meam propriam, vtpote naturae cogitantis, ab omnibus rebus aliis extra me (ad quas etiam corpus meum pertinet) diſcerno, pariter analytice enunciatur; namque res aliae ſunt eae, quas tamquam a me diuerſas cogito. Verum an haec mei ipſius conſcientia ſine rebus extra me, quibus mihi repraeſentationes offeruntur, eſſe poſſit, atque ego tantummodo qua natura cogitans (ſine forma humana) exſtare queam, ea re prorſus ignoro.

Quamobrem analyſi conſcientiae mei ipſius in cogitando omnino ratione cognitionis mei ipſius tamquam oblatae rei nil quidquam effectum videtur. Expoſitio logica cogitationis in genere falſo putatur determinatio obiectae rei metaphyſica.

Permagnum, quin vnum adeo offendiculum vniverſae critices noſtrae foret, ſi eſſe copia poſſet ex anticipatione probandi, omnes naturas cogitantes per ſe ſubſtantias ſimplices eſſe, proinde qua tales (id quod ex eodem argumento fluit) perſonalitatem neceſſario in ſe cohibere, ſuaeque ab omni materia ſeparatae exſiſtentiae

ſibi conſcias eſſe. Nam hoc modo vere gradum vltra mundum ſenſibilem feciſſemus, campumque ingreſſi noumenorum eſſemus, neque quisquam vmquam nobis iùs denegaret, in hocce campo latius nos fundendi, aedificandique, atque, pro eo, vt ſua cuique fortuna ferret, in eo ſedem figendi. Namque pronunciatum: vnaquaeque natura cogitans, qua talis, ſubſtantia ſimplex eſt, ſynthetice ex anticipatione enunciatur, quoniam illud primo conceptum fundamento poſitum transgreditur, formamque exſiſtentiae ad cogitationem vniverſe addit, deinde ad conceptum illum attributum (ſimplicitatis) iungit, quod in nulla vmquam poteſt experientia proponi. Igitur enunciata ſynthetica ex anticipatione non ſolum, vti docuimus, ratione rerum experientiae poſſibili ſubiectarum, idque qua principia poſſibilitatis huiusce ipſius experientiae eſſe poſſunt et concedi, ſed poterunt etiam ad res referri vniuerſe et per ſe ipſas, quae quidem conſecutio totam hancce criticam tolleret, ac praeciperet, vt in conſueta ratione adquieſceremus. Verum hoc loco periculum haud tantum erit, ſi rei propius acceſſeris.

In via modoque pſychologiae rationalis paralogismus dominatur, qui hacce ratiocinatione proponitur:

Quod non poteſt niſi qua ſubiectum cogitari, illud etiam non exſtat, niſi qua ſubiectum, proinde qua ſubſtantia.

Atqui natura cogitans, tantummodo qua talis conſiderata, non poteſt, niſi qua ſubiectum, cogitari.

Ergo ea etiam exſtat tantummodo qua talis, id eſt, qua ſubſtantia.

In propoſitione (maiori) ſermo de natura eſt, quae vniuerſe quouis reſpectu, proinde etiam ita, vti proponi in viſione queat, cogitari poteſt. Sed in adſumtione ſermo de ea tantummodo eſt, quatenus ſe ipſam, qua ſubiectum, comparate ad cogitationem vnitatemque conſcientiae, non autem ſimul in relatione ad viſionem, qua vt obiecta res datur ad cogitandum, contemplat. Itaque

per ſophisma figurae dictionis, proinde per fallaciam concluſio elicitur. *)

Hancce ſolutionem argumenti celebrati in paralogismo veram eſſe, patet perſpicue, ſi ſcholion generale ad expoſitionem decretorum et ſectionem de noumenis perluſtraueris, vbi euicimus, conceptum rei, quae per ſe ipſa qua ſubiectum, non qua ſolum attributum poſſit exſtare, prorſus nullam in ſe realitatem obiectiuam continere, id eſt, haud poſſe ſciri, an illi omnino vſpiam quaepiam res eſſe ſubiecta poſſit, quoniam poſſibilitas eiusmodi generis exſiſtentiae haud perſpici poteſt, proinde nullam prorſus cognitionem eſſe. Itaque ſi ſubſtantiae nomine res obiecta indicetur, quae queat proponi; ſi debeat cognitio fieri, conſtans quaedam ac perpetua viſio, quae conditio eſt neceſſaria realitatis obiectiuae conceptus, nempe id, quo ſolo res oblata proponitur, fundamento debebit ſubſterni. Atqui in viſione interna nil quidquam habemus perpetui, quodque conſtet, ſi quidem illud ego cernitur tantummodo in conſcientia cogitationis meae; ergo etiam, ſi in ſola cogitatione ſubſiſtimus, conditio neceſſaria deeſt, conceptum ſubſtantiae, id eſt, ſubiecti per ſe ipſius ſubſiſtentis ad ſe ipſum, qua naturam cogitantem transferendi, cum eaque coniuncta ſubſtantiae ſimplicitas cum obiectiua rea-

*) Cogitatio in vtraque praemiſſa duplici ſenſu ſumitur: in propoſitione, vti rem obiectam vniuerſe (proinde vti in viſione dari proponique queat) ſpectat; ſed in adſumtione, vti in adfectione ad conſcientiam ſui conſiſtit, vbi proinde de nulla re oblata cogitatur, ſed ſola ad ſe, qua ſubiectum (quippe forma cogitandi), relatione repraeſentatur. In illa ſermo de rebus eſt, quae non, niſi qua ſubiecta cogitari poſſunt; in hac autem non de *rebus*, ſed de *cogitatione* (dum ab omni re obiecta nos continemus), in qua illud ego ſemper ſeruit ſubiecto conſcientiae; proinde in concluſione effici haud poterit: non niſi qua ſubiectum exſtare poſſum; ſed ſic modo: equidem in exſiſtentia mea cogitanda memet vti poſſum duntaxat ſubiecto iudicii; id quod enunciatum identicum eſt, quo nihil prorſus de ratione exſiſtentiae meae aperitur.

litate huiusce conceptus penitus tollitur, in ſolamque logicam vnitatem qualitatiuam conſcientiae ſui ipſius in cogitando vniuerſe, ſiue compoſitum ſit ſubiectum, ſiue minus, conuertitur.

Confutatio argumenti Mendelſohniani pro perpetuitate et conſtantia animae.

Acutus hic philoſophus in peruulgato illo argumento, quo euinci debet, animam (ſi eam naturam eſſe ſimplicem conceſſeris) *diuiſione* non poſſe eſſe deſinere, facile intellexit aliquid ad neceſſariam illi perdurationem vindicandam deeſſe, quoniam exſiſtentiae eius finis ex euaneſcendo poſſet accipi. Atque hancce fragilitatem, quae vera ad nihilum conuerſio foret, in *Phaedone* voluit ab ea arcere, ita, vt auderet probare, naturam ſimplicem plane non poſſe eſſe deſinere; ſi quidem, cum omnino haud imminui queat, et proinde ſenſim paulatimque aliquid de exſiſtentia ſua amittere, atque inde paullatim in nihilum verti (quoniam non partes in ſe, proinde etiam nullam multitudinem cohibeat), inter momentum, quo ea exſtat, et alterum, quo non amplius eſt, nullum tempus deprehenderetur, id quod fieri non poſſet. — Verum haud cogitabat philoſophus, etiamſi hanc ſimplicem naturam animae concedamus, quippe cum nullam varietatem extra ſe inuicem, proinde nullam quantitatem extenſiuam contìnet, ei tamen aeque minus atque cuipiam, quod exſtat, quantitas intenſiua, id eſt, realitatis gradus quidam ratione omnium eius virium, quin omnium omnino eorum, quibus exſiſtentia efficitur, poſſit abnegari, qui per omnes infinite multos gradus minores decreſcere, atque ita illa putatitia ſubſtantia (illa res, cuius conſtantia ac perpetuitas non iam aliunde firma ſit) vt haud diuiſione, tamen lenta virium remiſſione (proinde elangueſcentia, ſi vti hocce vocabulo licebit) ad nihilum recidere poſſit. Nam ipſa conſcientia certum quendam gradum ſemper habet, qui perpetuo poteſt deminui, *) proinde etiam facultas conſcientiae ſui, et ſic

*) Claritas haudquaquam, vti logici dicunt, cernitur in con-

cunctae reliquae facultates. — Ergo perpetuitas animae, qua ſolum rei ſenſui interno obnoxiae, nulla manet ratione confirmata, atque adeo non euinci poterit, quamquam conſtantia eius in vita, cum natura cogitans (qua homo) ſibi ſimul res eſt ſubiecta ſenſibus externis, per ſe clara eſt, quod vero haud ſufficit pſychologo rationali, qui conſtantiam eius abſolutam vltra vitam ipſam e ſolis conceptibus probandam adgreditur.*)

Quodſi igitur ſuperiora illa decreta noſtra, vti etiam omnibus naturis cogitantibus communia in pſychologia rationali qua ſyſtemate accipi debent, in contextu ſynthetico ſumamus, atque in categoria relationis ex decreto hocce: omnes naturae cogitantes, qua tales, ſubſtantiae ſunt, retro ſeriem illarum percurramus, dum

ſcientia repraeſentationis; namque certus conſcientiae gradus, qui vero non ſufficit ad recordationem, ipſe in multis repraeſentationibus obſcuris adſit, neceſſe eſt, quoniam ſine omni conſcientia in coniunctione repraeſentationum obſcurarum nullum diſcrimen faceremus, quod tamen in notis multorum conceptuum (veluti iuſti et aequi, et vero etiam muſici multos tonos vna tangentis in cantu ſubito) poteſt effici. Sed repraeſentatio eſt clara, in qua conſcientia ad *conſcientiam diſcriminis* eius ab aliis ſufficit. Quae ſi ad diſtinctionem quidem ſufficiat, verum non ad conſcientiam diſcriminis, repraeſentatio adhuc foret obſcura dicenda. Proinde infiniti conſcientiae gradus ſunt, donec ea penitus euaneſcat.

*) Ii, qui, vt nouam poſſibilitatem introducant, iam ſat egiſſe putant, ſi in eo ſuperbiant, quod ipſis nulla poſſit ſumtionum repugnantia oſtendi (quod faciunt omnes ac ſinguli, qui poſſibilitatem cogitationis, cuius tantummodo in viſionibus empiricis humanae vitae exemplum habent, etiam poſt finem huiusce vitae credunt perſpicere), aliis poſſibilitatibus, minime audacioribus, ad magnam poſſunt difficultatem adduci. Cuiusmodi poſſibilitas eſt diuiſionis ſubſtantiae ſimplicis in plures ſubſtantias, et viciſſim quaedam quaſi coalitio plurium in vnam ſimplicem. Etenim, quamquam ratione diuidua aliquod compoſitum ponatur, tamen ea non poſtulat neceſſario compoſitum ſubſtantiarum, ſed tantummodo graduum (variarum facultatum) vnius eiusdemque ſubſtantiae. Quemadmodum ergo omnes vires et facultates animae, vel

orbis finiatur, poſtremo exſiſtentiam earum offendimus, cuius in hoc ſyſtemate, a rebus externis liberae, ſibi non ſolum conſciae ſunt, verum hancce etiam (ratione conſtantiae ac perpetuitatis, neceſſario ad perſonam ſubſtantiae pertinentis), ex ſe ipſae poſſunt determinare. Hinc autem ſequitur, in eadem diſciplina rationali

ipſius conſcientiae, poſſunt ad dimidium deletae cogitari, ita tamen, vt ſemper adhuc ſubſtantia relinquatur; ſic etiam hocce exſpiratum dimidium qua conſeruatum, ſed non in ea, verum extra eam, ſine repugnantia poterit cogitari, et, cum hic, quae in illo cumque realia ſunt, ideoque gradu gaudent aliquo, proinde tota exſiſtentia illorum, ita, vt nihil deſit, facta dimidia ſit, extra illud ſingularem tum ſubſtantiam orituram. Namque multitudo diuiſa iam antea, ſed non qua multitudo ſubſtantiarum, verum cuiusque realitatis, qua quantum exſiſtentiae illi inerat, vnitasque ſubſtantiae poſita erat tantummodo in modo quodam exſiſtentiae, quae hacce diuiſione ſola in pluralitatem ſubſtantiarum conuerſa eſt. Pari ratione vero et plures ſubſtantiae ſimplices viciſſim poſſent in vnam confluere, vbi nihil quidquam periret, praeter ſolam pluralitatem ſubſiſtentiae, dum vna gradum realitatis in ſe cohiberet ſimul omnium priorum, et fortaſſe ſubſtantiae ſimplices, quibus phaenomenon materiae efficitur (ſane quidem haud mechanica quadam vel chemica cum ſe inuicem contagione, verum tamen aliqua nobis ignota, cuius illa duntaxat phaenomenon foret), eiusmodi diuiſione *dynamica* animarum parentum, qua *quantitatum intenſiuarum*, liberorum animas procreauerint, ita, vt illae, quod amiſiſſent, quaſi quadam coalitione cum noua eiusdem generis materia reſarcirent. Longe ab eo abſum, vt eiusmodi figmentis vel minimum pretium valoremue concedam, praeterea et ſuperioribus analytices principiis ſatis inculcatum eſt, ne categoriarum (veluti ſubſtantiae) alium quendam vſum, niſi empiricum, faciamus. Si vero rationaliſta ex ſola cogitandi facultate, ſine quapiam, qua poſſit res obiecta dari, viſione perpetua et conſtante, naturam per ſe ſubſiſtentem audacter efficit, ob eam cauſam tantummodo, quoniam vnitate apperceptionis in cogitando illi nulla permittitur explicatio e compoſito, cum tamen eſſet melius, impotentiam poſſibilitatem naturae cogitantis explicandi ingenue profiteri, cur non *materialiſta*, quamquam aeque minus in gratiam poſſibilitatum ſuarum prouocare ad experientiam poteſt, decreto ſuo vti debet, ſeruata vnitate formali prioris, ad vſum contrarium?

idealiſmum non poſſe, certe problematicum, euitari, et, ſi rerum externarum exſiſtentia neutiquam opus eſt ad determinationem exſiſtentiae ſui ipſius in tempore, illud etiam *fruſtra* ſumi, ita, vt numquam quadam ratione poſſit probari.

Contra ſi viam *analyticam* ſeruemus, vbi illud ego cogito, quod enunciatum eſt exſiſtentiam in ſe iam continens, qua datam, cui proinde ſubſit modalitas, illudque diſſoluamus, vt cognoſcamus eius materiam, an ſcilicet, et quomodo hocce ego in ſpatio vel tempore eo tantummodo exſiſtentiam ſuam determinet, tum pronunciata pſychologiae rationalis non a conceptu naturae cogitantis in genere, ſed a veritate ſiue realitate quadam inciperent, atque e modo, quo haec cogitatur, ſeiunctis omnibus in eo empiricis, ea, quae naturae cogitanti vniuerſe competunt, concluderentur, quemadmodum haec tabula monſtrat.

1.

Ego cogito,

2.	3.
qua ſubiectum,	*qua ſubiectum ſimplex,*

4.

qua ſubiectum identicum,
in quouis ſtatu cogitationis meae.

Iam quoniam hic in pronunciato ſecundo non definitur, vtrum ego tantummodo qua ſubiectum, an etiam qua attributum alius cuiuſpiam exſtare queam et cogitari, conceptus hic ſubiecti tantum logice ſumtus eſt, et incertum manet, atque indeterminatum, vtrum illo intelligenda ſubſtantia ſit, nec ne. Verum in tertio pronunciato vnitas apperceptionis abſoluta, ſimplex illud ego, in repraeſentatione, quam omnis coniunctio ſepa-

ratioue, qua motus animi efficitur, ſpectat, etiam per ſe momentum accipit, licet nondum quidquam de qualitate ſiue ſubſiſtentia ſubiecti decreuerim. Apperceptio cernitur in quodam reali, eiusque ſimplicitas iam in poſſibilitate illius ineſt. Atqui in ſpatio nullum reale eſt, quod ſimplex ſit; namque puncta (quibus vnum in ſpatio ſimplex efficitur) ſolis terminis continentur, neque ipſa aliquid ſunt, quod qua pars ad ſpatium conſtituendum conducat. Ergo inde ſequitur impoſſibilitas explicationis meae, qua ſubiecti ſolum cogitantis, qualitatis e rationibus *materialiſmi* Quoniam vero exſiſtentia mea in primo enunciato qua data conſideratur, quoniam non dicitur: quaeque natura cogitans exſtat (id quod ſimul neceſſitatem abſolutam, ideoque nimium de iis pronunciaret), ſed tantummodo: *ego exſto cogitans;* propterea empiricum eſt, continetque rationem exſiſtentiae meae determinabilem duntaxat ratione repraeſentationum mearum in tempore. Cum autem viciſſim primum ad hoc opus ſit conſtans quiddam et perpetuum, quod mihi quidem, quatenus memet cogito, nullo modo in viſione intima propoſitum eſt; non poteſt fieri, vt, quomodo exſtem, qua ſubſtantia, an qua accidens, hac ſola conſcientia ſimplici determinetur. Quocirca, ſi *materialiſmus* ad explicandam exſiſtentiam meam inutilis eſt, *ſpiritualiſmus* aeque minus ad eam rem aptus videbitur, indeque concludetur, nos nullo, qualis ille cumque ſit, modo vmquam quidquam poſſe de natura animae noſtrae, quae poſſibilitatem exſiſtentiae eius ſeparatae vniverſe ſpectat, cognoſcere.

Et qui tandem eſſe poſſet, vt vnitate conſcientiae, quam ipſam eo tantummodo cognoſcimus, quod ea ad poſſibilitatem experientiae neceſſario opus habemus, vltra experientiam (exſiſtentiam in vita) perueniamus, atque adeo cognitionem noſtram ad naturam omnium rerum intelligentium ex empirico illo, ſed ratione omnis generis viſionis indeterminato, decreto: ego cogito, extendamus?

Igitur nulla pſychologia rationalis, quae *doctrina* ſit, quae ad cognitionem noſtri ipſius aliquid addat, ſed

tantummodo, quae *diſciplina* videatur, qua rationi contemplanti in hoc campo termini et carceres conſtituuntur, numquam transgrediendi, partim, vt ne inanimo materialismo ea ſe tradat, partim ne nos in ſpiritualismo, nobis in vita, futili atque inani circumuagantes abripi patiamur, quaeque nos potius monet, hancce recuſationem rationis, ad curioſas iſtas vltra hanc vitam pertinentes quaeſtiones ſufficienter reſpondendi, tamquam nutum ſpectemus, vt noſtram ipſius noſtri cognitionem ab inutili contemplatione tranſcendentali auocemus, atque ad vſum fecundum practicum transferamus, quae etiamſi tantummodo ſemper res ſpectat experientiae obuias, principia ſua tamen altius depromit, vitamque ita determinat atque componit, quaſi conſilium noſtrum infinite longe vltra experientiam, proinde vltra hancce vitam pertineat.

Ex quibus omnibus intelligitur, ſolum errorem quemdam originem pſychologiae rationali praebere. Vnitas conſcientiae, quae fundamento ſubeſt categoriis, hoc loco pro viſione ſubiecti qua rei obiectae ſumitur, ad eamque categoria ſubſtantiae applicatur. Eſt ea vero tantummodo vnitas in *cogitatione*, qua ſola nulla res obiecta datur, ad quam proinde categoria ſubſtantiae, quippe qua ſemper *viſio* data ponitur, haud transferri poteſt, ideoque hocce ſubiectum nullo modo cognoſci. Itaque ſubiectum categoriarum eo, quod has illud cogitat, non poteſt ſui qua rei categoriis ſubiectae conceptum nanciſci; ſi quidem, ad eas cogitandas, neceſſe eſt, vt conſcientiam puram ſuam fundamento ponat, quae tamen explicari debebat. Pariter ſubiectum, in quo repraeſentatio temporis originarie fundamentum habet, ſuam propriam exſiſtentiam in tempore eo non poteſt definire, et ſi poſterius eſſe non poteſt, etiam priori, qua determinationi ſui ipſius (qua naturae cogitantis in vniuerſum), ex categoriis locus eſſe non poteſt. *)

*) Illud *ego* cogito cernitur, vti iam diximus, in pronunciato empirico, quo enunciatum continetur: ego exſto. Neque vero dici poteſt: omne, quod cogitat, illud exſtat; ſic enim proprietate cogitandi vniuerſae naturae, quae illa pollent, na-

* * *

Ita vltra fines experientiae poſſibilis tentata, nihilominus tamen ad ea, quorum maxime generis humani intereſt, neceſſaria cognitio, quatenus philoſophiae contemplanti acceptum ferri debet, in ſpes fruſtratas abit; in quo quidem ſeueritas critices eo, quod ſimul ea impoſſibilitatem euincit, de re experientiae obnoxia vltra experientiae carceres aliquid δογματικῶς decernendi, rationi in hocce inuitamento ſuo haud parum conſulit, quod eam pariter contra omnes, quae fieri poſſunt, contrarii adſertiones tutam praeſtet; id quod fieri non poteſt, niſi, vt aut ſententia apodictice probetur, aut, ſi hoc non ſuccedat, fontes huiusce impotentiae anquirantur, qui, ſi in neceſſariis rationis noſtrae carceribus inſint, tum quemque aduerſarium eidem ipſi legi

turae neceſſariae efficerentur. Quamobrem nec exſiſtentia mea e pronunciato, ego cogito, qua concluſione effecta poteſt conſiderari, vti Carteſius exiſtimauit (quoniam alioquin propoſitio: omne, quod cogitat, illud exſtat, antecedere deberet), ſed cum eo identica eſt. Viſionem illud indeterminatam empiricam, id eſt, perceptionem, enunciat (proinde tamen probat, iam ſenſationem, quae proinde ad ſenſum pertinet, huic enunciato exſiſtentiali ſubeſſe), ſed experientiam antecedit, quae, quod perceptioni ſubiectum eſt, per categoriam ratione temporis determinare debet, atque exſiſtentia hic nondum in categoriis verſatur, quippe quae non indeterminate datam rem obiectam ſpectat, ſed talem, cuius quidem conceptum habemus, quamque noſſe cupimus, vtrum etiam extra hunc conceptum data ſit, nec ne. Perceptione indeterminata hic tantummodo aliquid reale, quod datum eſt, notatur, idque duntaxat ad cogitationem vniuerſe, proinde non qua viſum, neque qua res per ſe ipſa (noumenon), verum qua aliquid in veritate rerum apparens, quodque in pronunciato illo, ego cogito, qua tale deſignatur. Eſt enim notandum, cum enunciatum iſtud: ego cogito, pronunciatum empiricum dixi, haud me intelligi velle, illud ego in iſto pronunciato in repraeſentatione empirica verſari; eſt ea potius pure intellectualis, quoniam ad cogitationem in vniuerſum pertinet. Sed ſine vlla quapiam repraeſentatione, quae materia ſit cogitationis, actus ille, ego cogito, tamen haud locum haberet, empiricumque tantum conditione continetur applicationis, ſiue vſus facultatis purae intellectualis.

abdicandi iuris ad adſertionem dogmaticam ſubiiciant, neceſſe eſt.

Neque tamen eo quidquam iuris atque adeo neceſſitatis perit futurae vitae ſumendae, ex decretis vſus rationis practici cum contemplatiuo coniuncti; namque argumentum ſolum contemplatiuum nullam vmquam in rationem humanam communem vim potuit exſerere. Ita illud in diſcrimine, quaſique cuſpide crinis, conſtitutum eſt, vt vel ipſa ſchola in illo duntaxat tam diu conſeruare poſſit, quam illud inſtar trochi perpetuo circumagitur, ipſique adeo nullum firmum fundamentum illud videtur, in quo aliquid queat exſtrui. Argumentis, quae vſui eſſe hominum poſſunt, nihilominus pretium manet integrum, potiusque illa proficiunt claritate et firmitate genuina, ſublata iſta arrogantia dogmatica, propterea quod rationem in ditionem ipſi propriam collocant, nimirum in ordinem finium, qui idem et ordo naturae eſt. Tum vero etiam ratio, qua facultas practica per ſe, ad conditiones iſtorum finium haud adſtricta, noſtram propriam exſiſtentiam vltra terminos experientiae vitaeque iure poterit proferre. Secundum analogiam *naturae* animantium in hoc mundo, in quibus, rationi neceſſario ſtatuendum eſt, nullum ſentiendi inſtrumentum ſuperuacaneum, nullam facultatem, nullam appetitionem ſine cauſſa, nihilque quidquam aliud ad nullum vſum, vſuique inconueniens, proinde nihil temerarium ineſſe, potiusque omnia ſuo quaeque conſilio in vita exacte conuenire; ſane cogeretur, vt homo, qui tamen ſolus finem ſupremum illorum omnium in ſe continere poteſt, in rebus creatis exemtus videretur. Nam dona naturae eius, non ſolum quoad indolem et appetitiones ipſius vtenda, ſed maxime, quae illi ineſt, lex moralis omnem vtilitatem, omneque commodum, ex iis hac in vita percipiendum, tam longe ſuperant atque excedunt, vt haec vel ipſam conſcientiam probitatis animi, in carentia omnium commodorum, vel ipſius vmbrae gloriae ad poſteritatem propagandae, ſuper omnia aeſtimandam doceat, ita, vt ſe interne ſentiat procreatum, quo vita ſua in hoc mundo gerenda, omnibus commodis

reiectis ac repudiatis, ciuem ſeſe melioris mundi componat, quem habet in idea ſibi obuerſantem. Hocce potens, nullaque vnquam ratione infringendum argumentum, cognitione adiutum ſtipatumque perpetuo augeſcenda cognitionis rerum continuatae et conſpirantis omnium, quae nobis ob oculos verſantur, proſpectuque in immenſitatem rerum creatarum, proinde quoque conſcientia certae cuiusdam libertatis nullis carceribus circumſcriptae in amplificatione cognitionum noſtrarum poſſibili, ſemper relinquitur, etiamſi nobis deſperandum ſit, de perduratione exſiſtentiae noſtrae neceſſaria ſola cognitione noſtri ipſius theoretica perſpicienda.

FINIS SOLUTIONIS

paralogiſmi pſychologici.

Species dialectica in pſychologia rationali poſita eſt in permutatione ideae rationis (purae intelligentiae cuiusdam) cum conceptu ex omni parte indefinito naturae cogitantis in genere. Cogito memet ipſum in gratiam cuiusdam, quae eſſe poteſt, experientiae, dum ab omni experientia vera memet contineo, et inde concludo, me exſiſtentiae meae etiam extra experientiam conditionesque eius empiricas mihimet poſſe conſcium fieri. Proinde *abſtractionem* (quam vocant) poſſibilem exſiſtentiae meae empirice definitae cum conſcientia opinata exſiſtentiae *ſeparatim* poſſibilis mei ipſius cogitantis permuto, atque ſubſtantiale in me exiſtimo qua ſubiectum transſcendentale memet cognoſcere, propterea quod ſolam vnitatem conſcientiae, quae omni determinationi, vt ſoli formae cognitionis, fundamento ſubeſt, in animo habeo.

Quaeſtio commercii animae cum corpore explicandi, proprie haud pertinet ad eam pſychologiam, de qua hic ſermo eſt, ſi quidem illi propoſitum eſt, vt perſonalitas animae etiam extra hocce commercium (poſt mortem) euincatur, ideoque ea ſenſu proprio *transſcendens* eſt, etiamſi in re verſatur experientiae obnoxia, ſed tantum quatenus ea definit res eſſe experientiae ſubiecta.

Interea haec quoque ex noſtra ratione ſatis poterit expediri. Difficultas, quam haec quaeſtio attulit, cernitur, quod notum eſt, in ſumta diſſimilitudine rei ſenſui interno (animae) ſubiectae, cum rebus ſenſibus externis obnoxiis, cum illi tantum tempus, hiſce etiam ſpatium qua lex formalis earum videndarum adhaereat. Sed cum cogitaueris, vtrumque genus obiectarum rerum in eo haud interne, ſed tantummodo, quatenus altera alteri extrinſecus videtur, a ſe inuicem diſtare, proinde id, quod phaenomeno materiae, qua res per ſe ipſa, fundamento ſubeſt, fortaſſe haud ita heterogeneum ſit; tum ea difficultas euaneſcit, nullaque alia relinquitur, quam haec, quomodo omnino eſſe queat commercium aliquod ſubſtantiarum, cuius quidem ſolutio prorſus extra campum pſychologiae, atque, vti lector, pro iis, quae in analytica de viribus primitiuis et facultatibus dicta ſunt, facile iudicabit, ſine omni dubitatione etiam extra campum vniuerſae cognitionis humanae poſita videtur.

SCHOLION GENERALE

tranſitionem ſpectans a pſychologia rationali ad coſmologiam.

Pronunciatum hoc: ego cogito, ſiue, exſto cogitans, empirice enunciatur. Eiusmodi enunciato autem ſubeſt empirica viſio, proinde etiam cogitata res obiecta qua phaenomenon, atque ita videtur, ac ſi ex noſtra theoria anima tota prorſus, vel in ipſa cogitatione, in viſum conuertatur, atque hoc modo ipſa conſcientia noſtra, qua mera ſpecies, reapſe nihil quidquam ſpectare debeat.

Cogitatio, per ſe, in ſola functione logica, proinde ratione verſatur mere ſpontanea coniunctionis variorum in viſione ſolum poſſibili, neque ſubiectum conſcientiae vllo modo qua viſum proponit, ob eam ſolam cauſam, quoniam ea nullam prorſus rationem habet generis viſionis, ſenſitiua illa ſit, an intellectualis. Quo quidem me ipſum mihimet repraeſento, neque vti ſum, neque quemadmodum mihi videor, ſed memet cogito tantum-

modo quemadmodum vnamquamque rem obiectam in vniuerſum, a cuius viſionis ratione me contineo. Quum memet hic qua *ſubiectum* cogitationum, vel etiam qua *cauſam* cogitandi, repraeſento, tum iſtis repraeſentandi modis non categoriae notantur ſubſtantiae, cauſaeue; quippe quae in functionibus cogitandi (iudicandi) illis, ad viſionem noſtram ſenſitiuam iamiam adhibitis, verſantur, quibus profecto quidem opus foret, ſi vellem memet cognoſcere. Verum mei mihimet fieri conſcius volo tantummodo qua cogitantis; quomodo meum illud ipſe in viſione datum ſit, in medio relinquo, et tum quidem illud mihi cogitanti poſſet, ſed non quatenus cogito, poſitum eſſe in mero viſo; in conſcientia mei ipſius in ſola cogitatione *natura* ipſa ſum, cuius quidem ſane nil quidquam eo ad cogitandum datum eſt.

Verum hocce enunciatum: ego cogito, quatenus idem enunciat, atque: *ego exſto* cogitans, non in ſola functione logica cernitur, ſed ſubiectum (quod idem et res obiecta eſt) ratione exſiſtentiae determinat, neque locum habere poteſt ſine ſenſu interno, cuius viſio ſemper rem obiectam ſuppeditat, non qua rem per ſe ipſam, ſed tantummodo qua viſum. Itaque in eo iam non ſola ratio cogitandi ſpontanea ineſt, verum etiam receptiuitas viſionis, id eſt, cogitatio mei ipſius ad viſionem empiricam eiusdem ſubiecti adhibita. Atque in hac poſteriore illud ipſe cogitans conditiones vſus functionum logicarum ad categorias ſubſtantiae, cauſae etc. quaerere deberet, ad ſe qua rem obiectam per ſe ipſam haud ſolo illo ego notandum, ſed etiam modum exſiſtentiae ſuae definiendum, id eſt, ad ſe qua noumenon cognoſcendum: ſed hoc fieri non poteſt, propterea quod interna empirica viſio ſenſitiua eſt, necquidquam aliud miniſtrat, niſi viſorum data, quae (viſa) rei *conſcientiae* purae ſubiectae ad cognitionem exſiſtentiae eius ſeparatae nil quidquam conferunt, ſed ſoli poſſunt experientiae ſervire.

Sed fac, in progreſſu, haud in experientia quidem, verum in certis quibusdam (non ſolum logicis regulis,

ſed) ex anticipatione firmis fixisque, quae noſtram exſiſtentiam ſpectent, legibus vſus puri rationis, occaſionem oſtendi, nos prorſus ex anticipatione ratione noſtrae propriae exſiſtentiae qua leges ferentes, hancque exſiſtentiam ipſam etiam determinantes ſumendi, eo quidem ratio quaedam ſpontanea emergeret, qua noſtra exſiſtentia determinabilis foret, ita, vt ad illud conditione viſionis empiricae haud opus videretur; atque hic intelligeremus, conſcientia exſiſtentiae noſtrae ex anticipatione aliquid contineri, quod facere poſſit ad exſiſtentiam noſtram prorſus tantummodo ſenſitiue determinabilem, tamen ratione certae cuiusdam facultatis internae ex comparatione cum mundo intelligibili (ſane quidem mente duntaxat agitato) determinandam.

Verum ea re nihilominus omnes conatus in pſychologia rationali ne minimum quidem proficerent. Namque in vi illa mirabili, quam conſcientia legis moralis mihi demum aperit, principium quidem determinandae exſiſtentiae meae, pure intellectualis, haberem; ſed quibusnam attributis? nullis aliis, quam quae in viſione ſenſitiua dari mihi debebunt, atque ita viciſſim eodem ferrer, vbi eram in phyſiologia rationali, nempe ad neceſſitatem viſionum ſenſitiuarum, qua conceptibus intelligentiae meis, ſubſtantiae, cauſae, et quae ſunt de genere eodem, quibus ſolis poſſum cognitionem mei habere, vim queam poteſtatemque conciliare; ſed viſionibus iſtis numquam potero vltra campum experientiae prouehi. Interim tamen ius mihi competeret, hoſce conceptus, ratione vſus practici, vsquequaque res experientiae obnoxias ſpectantis, ſignificationi analogicae in vſu theoretico conuenienter, ad libertatem eiusque ſubiectum adhibendi; propterea quod ſolas functiones logicas ſubiecti et attributi rationis et conſequentis intelligo, quibus congruenter actiones effectaque ad conuenientiam legum illarum ita determinantur, vt vna cum legibus naturae, categoriis ſubſtantiae cauſaeque ſemper poſſint conſentanee explicari, quamuis ex longe alio principio oriantur. Atque haec duntaxat dicta ſunt, vt

errori caueretur, cui locus de noſtri ipſius viſione, qua viſi, fortaſſe expoſitus videtur. In progreſſu huiusce tractationis anſa praebebitur, iis rite vtendi.

Dialecticès transſcendentalis libri poſterioris

CAPUT SECUNDUM.

Antinomia rationis purae.

In inſtitutione ad hancce partem operis noſtri docuimus, vniuerſam ſpeciem transſcendentalem rationis purae poſitam eſſe in concluſionibus dialecticis, quarum ſchema in triplici formali genere ratiocinationum vniverſe logica ſuppeditet, quemadmodum fere categoriae ſuum ſchema logicum in quatuor illis omnium iudiciorum functionibus inueniant. Ac *primum* quidem genus harum concluſionum argutantium abſolutam vnitatem ſpectabat conditionum ſingularium et ſubiectiuarum omnium omnino repraeſentationum (ſubiecti ſiue animae), ad conuenientiam cum ratiocinationibus *categoricis*, quarum propoſitio (maior), qua principium, adfectionem enunciat attributi ad ſubiectum. *Alterum* argumenti dialectici genus igitur, ex analogia ratiocinationum *hypotheticarum*, in vnitate abſoluta conditionum obiectiuarum in viſo materiam inueniet, quemadmodum *tertium* genus, quod ſequenti capite tractabitur, in abſoluta vnitate conditionum obiectiuarum poſſibilitatis obiectarum rerum in genere verſabitur.

Sed notatu dignum eſt, paralogismum transſcendentalem ab vna tantum parte ſpeciem, ratione ideae ſubiecti cogitationis noſtrae, efficere, contrariique adſerendi ne minimam quidem ſpeciem ex conceptibus rationis reperiri. Emolumentum prorſus ad partem pneumatismi pertinet, quamuis hic nequeat vitium haereditarium negare, vt, vtcumque ſubleuetur ſpecie, tamen in ignea exploratione critices in merum vaporem reſoluatur.

Longe aliter euenit, ſi rationem ad *ſyntheſin* viſorum *obiectiuam* adhibemus, vbi illa quidem principio ſuo

vnitatis abſolutae cum multa ſpecie quidem vim valoremque tribuere conatur, ſed breui ſe in tantas repugnantias induit, vt, ex ratione cosmologica, deſiſtere petito cogatur.

Hic ſcilicet nouum ſeſe oſtendit phaenomenon rationis humanae, nempe: antithetica perquam naturalis, ad quam nemo ſollicita cogitatione opus aperiendam habet, neque laqueis artificioſis tentandam, verum in quam ratio ſponte, et quidem neceſſario, incidit, eoque illi quidem a ſomnio perſuaſionis putatitiae per ſpeciem vniformem effecto cauetur, ſed ſimul etiam illa in periculum vocatur, aut deſperationi ſcepticae ſe committendi, aut ſuperbiam induendi, certisque ſententiis mordicus inſiſtendi, ita rationibus contrariis, nec auris praebeatur, nec iuſtitia tribuatur. Vtrumque mortem adfert philoſophiae ſanae ac ſobriae; quamquam illa fere poſſit *εὐθανασία* rationis purae vocari.

Antequam ſcenas discordiarum euerſionumque aperiamus, quas haec antinomia rationis purae aperuit, certas expoſitiones quasdam proponemus, quae viam illuſtrare poterunt ac defendere, qua in hac quaeſtione tractanda ſumus vſuri. Vniuerſas ideas transſcendentales, quatenus totalitatem abſolutam in ſyntheſi viſorum ſpectant, *conceptus cosmicos* voco, partim propter eamdem illam totalitatem abſolutam, in qua et conceptus nititur totius rerum vniuerſitatis, qui ipſe tantummodo in idea verſatur, partim quoniam tantummodo ſyntheſin viſorum ſpectant, proinde empiricam, cum e contrario totalitate abſoluta in ſyntheſi conditionum omnium rerum poſſibilium in genere, ideale quoddam rationis purae efficiatur, a conceptu cosmico prorſus diuerſum, quamuis ad hunc adfectione teneatur. Quamobrem, vti paralogismis rationis purae fundamentum ponebatur pſychologiae dialecticae, ſic antinomia rationis purae decreta transſcendentalia putatitiae cuiusdam cosmologiae purae (rationalis) ob oculos ponentur, non vt ea firma videamus, atque in noſtram poteſtatem transferamus, ſed, quemadmodum ipſum vocabulum antinomiae rationis indicat,

vt eam qua ideam, quae non poteſt cum viſis coniungi, in ſpecie praeſtringente quidem ſua, ſed falſa, proponamus.

Antinomiae rationis purae

SECTIO PRIOR.

Syſtema idearum coſmologicarum.

Vt autem illae ideae ex principio quodam cum diligentia ſyſtematica enumerari poſſint, primum notandum erit, ex ſola intelligentia puros poſſe et transſcendentales conceptus oriri, verum ab ratione proprie nullum conceptum generari, ſed fere *conceptum intellectualem* a circumſcriptionibus neceſſariis poſſibilis experientiae liberum reddi, et proinde vltra terminos regionis empiricae, ſed in coniunctione tamen cum eo dilatandum tentari. Idque eo efficitur, vt ad aliquid, quod datum e conditione pendet, a parte conditionum (in quibus omnia viſa vnitati ſyntheticae ſubiicit intelligentia) totalitatem abſolutam poſtulet, eoque categoriam efficiat ideam transſcendentalem, quo ſyntheſi empiricae, continuatione eius vsque ad abſolutum (quod numquam in experientia deprehenditur, ſed in ſola idea) totalitatem impertiat abſolutam. Idque ratio poſtulat ex hocce decreto: *poſito eo, quod ad conditionem legemue pendet ex alio, tota quoque ſeries conditionum legumque ponitur, et proinde etiam illud abſolutum,* quo ſolo efficitur, vt illud eſſe poſſit. Itaque *primo* ideae transſcendentales nil erunt, niſi categoriae vsque ad abſolutum dilatatae, et idearum illarum tabula efficietur, ad titulos categoriarum ordinata. *Deinde* vero haud omnes tamen categoriae ad id idoneae erunt, ſed illae modo, in quibus ſyntheſis *ſeriem* conſtituit, et quidem ſibi inuicem ſubordinatarum (non coordinatarum) conditionum cuiusdam rei e conditione pendentis. Totalitas abſoluta a ratione tantummodo poſtulatur, quatenus ſeriem adſcendentem attingit conditionum datae rei cuiusdam e lege pendentis, proinde minime tum, cum de linea conſecutionum

deſcendente, neque de ſumma conditionum coordinatarum harum conſecutionum ſermo videtur. Etenim ratione rei datae e lege pendentis conditio iam poſita eſt, cum eoque etiam qua data ſpectanda; cum e contrario, eo quod conſecutionibus haud efficitur, vt eſſe illarum conditiones poſſint, hasque potius illae ponunt, in progreſſu ad conſecutiones (ſiue in deſcendendo a conditione data ad id, quod inde pendet) haud curari debeat, an ſeries deſinat, nec ne, totaque omnino quaeſtio, per totalitatem ſuam, in nulla rationis ſumtione verſetur.

Veluti tempus quoddam vsque ad momentum datum penitus praeterlapſum, etiam qua datum (quamquam haud per nos determinabile) neceſſario cogitamus. Quod autem attinet futurum, quod cum non in conditione verſetur, qua poſſit ad praeſens perueniri, ad id comprehendendum nihil prorſus intereſt, quid ſtatuere de futuro velis, vtrum vſpiam illud deſinere, an in infinitum decernas progredi. Eſto ſeries *m*, *n*, *o*, in qua *n* vt pendens ratione *m*, ſed ſimul qua conditio τοῦ *o* datum eſt, ſeries fiat ſurſum ab eo, quod e lege pendet *n*, ad *m* (*l*, *k*, *i*, et ſic porro), item deorſum a conditione *n* ad id, quod inde pendet *o* (*p*, *q*, *r*, et ſic porro), prior ſeries ſumenda erit, vt *n* poſſim qua datum ſpectare, et *n* erit ſecundum rationem (totalitatem conditionum), per ſolam illam ſeriem eſſe poterit, ſed poſſibilitas eius haud nititur in ſerie ſequente *o*, *p*, *q*, *r*, quae propterea quoque haud qua data, verum tantummodo qua dabilis poteſt conſiderari.

Syntheſin ſeriei ex parte conditionum, ideoque inde ab illa, quae proxima eſt ad viſum datum, atque ita ad conditiones remotiores pergit, *regreſſiuam* dicemus, ſed ſyntheſin ex parte eius, quod pendet, a conſecutione proxima progredientem ad remotiores, *progreſſiuam*. Illa in antecedentia procurrit, haud in conſequentia. Quodſi hoc poſterius accidit, problema rationis arbitrarium eſt, non neceſſarium, propterea quod ad plenam comprehenſibilitatem eorum, quae in viſo data ſunt, cauſſis quidem et rationibus opus habemus, non autem conſequentibus.

Vt autem ad tabulam categoriarum poſſimus inſtituere tabulam idearum, primum duo illa quanta originaria omnium viſorum noſtrorum ſumamus, tempus ſpatiumque. Tempus per ſe ipſum verſatur in ſerie (atque in conditione omnium ſerierum formali), ideoque in illo, ratione dati praeſentis, antecedentia qua conditiones (praeteritum) a conſequentibus (futuro) ex anticipatione ſunt diſcernenda. Igitur idea transſcendentalis, totalitatis abſolutae feriei conditionum ad datum e conditione pendens, ſolum tempus praeteritum attingit. Totum tempus praeterlapſum qua conditio momenti dati ex idea rationis neceſſario qua datum cogitatur. Quod autem ſpatium attinet, in eo quidem per ſe ipſo nullum diſcrimen eſt progreſſus a regreſſu, ſi quidem illo *coacervatio* efficitur, ſed *nulla* ſeries, quoniam partes eius cunctae ſimul ſunt. Praeſentem temporis articulum ratione praeteriti temporis poteram tantum qua pendentem e conditione, ſed numquam qua conditionem illius, ſpectare, propterea quod hocce momentum ſolo demum tempore elapſo (vel potius praeterlapſu temporis antecedentis) exſiſtit. Verum quia partes ſpatii ſibi inuicem haud ſubordinatae ſunt, ſed coordinatae, pars haud in poſſibilitate cernitur partis alterius, neque illud, vti tempus, per ſe ipſum ſeriem conſtituit. Sed ſynthesis variarum ſpatii partium, qua illud apprehendimus, tamen ſucceſſiua eſt, proinde in tempore fit, ſeriemque continet. Cumque in hac ſerie ſpatiorum congregatorum (veluti pedum in pertica) inde a quodam dato, cogitatione amplius addita ſpatia ſemper in *conditione* verſentur *terminorum* antegreſſorum, etiam dimenſio ſpatii qua ſynthesis feriei conditionum ad datum aliquid a conditione pendens conſideranda eſt, ita tamen, vt pars conditionum, ab ea parte, ad quam vergit id, quod a conditione pendet, per ſe ipſa haud diuerſa ſit, proinde regreſſus in ſpatio et progreſſus vnum eſſe atque idem videatur. Interim quoniam pars ſpatii altera parte non datur, ſed tantummodo circumſcribitur, vnumquodque ſpatium circumſcriptum eatenus etiam qua pendens a conditione conſiderari debet, quo

aliud ſpatium qua conditio ſuorum terminorum ponatur, et ſic porro. Igitur ratione circumſcriptionis progreſſus in ſpatio etiam regreſſus eſt, et idea transſcendentalis vniverſitatis abſolutae ſyntheſeos in ſerie conditionum ſpatium quoque attinet, et perinde potero de vniuerſitate abſoluta phaenomeni in ſpatio quaerere, atque in tempore praeterlapſo. An vero omnino poſſit ad eam quaeſtionem reſponderi, in poſterum poterit decerni.

Deinde realitas in ſpatio, hoc eſt, materia, cernitur in adſtricto quodam, cuius determinationes internae eius partibus, partiumque partes conditionibus remotis efficiuntur, ita, vt hic ſyntheſis regreſſiua locum habeat, cuius totalitatem abſolutam ratio poſtulat, quae non poteſt locum inuenire, niſi ex partitione abſoluta, qua realitas materiae aut ad nihilum redit, aut ad id, quod haud amplius in materia cernitur, id eſt, ad ſimplex. Ergo hic quoque ſeries eſt conditionum progreſſusque ad abſolutum.

Tertio, quod categorias ſpectat adfectionis ſiue relationis realis viſorum, categoria ſubſtantiae cum accidentibus ſuis haud conuenit ideae transſcendentali; id eſt, rationi haud licitum eſt, reſpectu illarum ad conditiones regredi. Etenim accidentia (quatenus vni cuidam ſubſtantiae inhaerent) ſibimet inuicem coordinata ſunt, nullamque ſeriem conſtituunt. Sed ratione ſubſtantiae ſunt ea quidem illi proprie neutiquam ſubordinata, potiusque in modo verſantur exiſtendi ipſius ſubſtantiae. Conceptus quidem *ſubſtantialis* fortaſſe poſſet idea rationis transſcendentalis videri. Verum cum hic nil aliud denotet, quam conceptum obiectae rei in vniuerſum, quae ſubſiſtit, quatenus in eo ſolum ſubiectum transſcendentale ſine omni attributo cogitatur, ſed hoc loco tantummodo ſermo ſit de abſoluto in ſerie viſorum, patet, ſubſtantiale illud nullum in ea articulum conſtituere poſſe. Idem etiam valet de ſubſtantiis in commercio, quae in ſolis congregationibus verſantur, neque exponentem ſeriei habent, ſi quidem haud ſibi inuicem ſubordinatae ſunt qua conditiones poſſibilitatis

ſuae, id quod de ſpatiis quidem dici poterat, quorum terminus numquam per ſe, ſed ſemper alio ſpatio determinabatur. Igitur ſola categoria *cauſalitatis* relinquitur, ſeriem cauſarum exhibens ad effectum datum, in qua ab hocce poſteriori, qua eo, quod e conditione aptum eſt, ad illas, qua conditiones, adſcendi poteſt, et ad quaeſtionem ab raticne propoſitam reſponderi.

Poſtremo, conceptibus poſſibilitatis, exſiſtentiae et neceſſitatis ad nullam ſeriem ducimur, praeterquam quatenus *fortuitum* in exſiſtentia ſemper ſpectari debet qua pendens e conditione, et ſecundum intelligentiae regulam monſtrat conditionem, qua neceſſario conditio ad altiorem conditionem ablegatur, donec ratio in ſola vniuerſitate huiusce ſeriei *neceſſitatem* abſolutam deprehendat.

Quamobrem non plures erunt, quam quatuor ideae cosmologicae, ad quatuor titulos categoriarum, ſi ab iis diſceſſeris, quae neceſſario in ſe ſeriem cohibent in ſyntheſi variorum.

1.
Vniuerſitas abſoluta
compoſitionis
totius viſorum dati.

2.
Vniuerſitas abſoluta
partitionis
totius dati in viſo.

3.
Vniuerſitas abſoluta
originis
viſi in genere.

4.
Vniuerſitas abſoluta
dependentiae exſiſtentiae
mutabilium in viſo, ſiue
phaenomeno.

In quibus primo notandum eſt: ideam vniuerſitatis abſolutae nullam rem aliam attingere, quam expoſitio-

nem *viſorum*, proinde non conceptum purum intelligentiae totius cuiusdam rerum in vniuerſum. Igitur hic viſa conſiderantur qua data, ratioque vniuerſitatem abſolutam conditionum poſtulat poſſibilitatis eorum, quatenus his ſeries efficitur, proinde ſyntheſin quamdam abſolute (id eſt, ex omni ratione habita) plenam perfectamque, qua viſum poſſit ad leges intelligentiae exponi.

Deinde abſolutum illud, quod proprie ratio in hacce per ſeries, eaque regreſſiue continuata ſyntheſi conditionum quaerit, cernitur quaſi in ratione plena perfectaque ſeriei praemiſſarum, quae cunctae nullam aliam amplius requirunt. Atque hoc abſolutum ſemper ineſt in abſoluta totalitate ſeriei, in phantaſia nobis repraeſentatae. Sed haec ſimpliciter abſoluta ſyntheſis viciſſim tantummodo in idea verſatur; namque, ſaltim in anteceſſum, ſciri non poteſt, an ea etiam in viſis eſſe queat. Quodſi omnia ex ſolis conceptibus intelligentiae, absque legibus viſionis ſenſitiuae, cogites, recte dici poterit: ad datum aliquid e conditione pendens etiam totam ſeriem conditionum ſibi inuicem ſubordinatarum datam eſſe; propterea quod illud his ſolis datur. Verum in viſis peculiaris quaedam circumſcriptio deprehenditur modi illius, quo conditiones dantur, nempe per ſyntheſin variorum viſionis ſucceſſiuam, quae in regreſſu plena eſſe debet et abſoluta. Vtrum haec abſolutio autem eſſe ſenſitiue queat, adhuc quaerendum videtur. Sed idea huiusce abſolutionis tamen in ratione ineſt, nulla ratione habita poſſibilitatis aut impoſſibilitatis conceptuum empiricorum illi congruenter coniungendorum. Igitur, cum in vniuerſitate abſoluta ſyntheſeos variorum in viſo regreſſiuae (ad categorias, illam qua ſeriem conditionum ad datum quiddam e conditione pendens repraeſentantes) abſolutum neceſſario contineatur, licet in medio relinquatur, an et quomodo haec totalitas conſtituatur; eam viam ratio inſtituit, vt ab idea totalitatis proficiſcatur, quamuis illa proprie *abſolutum* illud ſibi propoſitum habeat, ſiue totius ſeriei ſit illud quidem, ſiue cuiusdam partis illius.

Iam hocce abſolutum concipi animo poteſt vel qua tantummodo in tota ſerie conſiſtens, cuius proinde omnes ac ſinguli articuli, ne vno quidem excepto, aliunde pendeant ſolumque totum illorum liberum ab omni conditione videatur, et tum regreſſus dicetur infinitus; vel qua id, quod abſolute liberum a conditione eſt, ſolum in parte verſatur ſeriei, cui reliqui articuli ſubordinati teneantur, quae ipſa vero nulli alii conditioni ſubſit.*) In ſuperiori caſu ſeries a parte priori terminis (principio) caret, hoc eſt, infinita videtur, nihilominus tota data; neque tamen vmquam regreſſus in ea abſolutus eſt, et dici tantum potentialiter infinitus poteſt. In poſteriori caſu eſt quiddam primum in ſerie, quod ratione temporis praeteriti *initium mundi*, ratione ſpatii autem *terminus mundi*, reſpectu partium porro totius cuiusdam in terminis eius dati, *ſimplex*, quoad cauſas *abſoluta efficiendi ratio ſpontanea* (libertas), denique ratione exſiſtentiae rerum mutabilium *neceſſitas phyſica abſoluta* appellatur.

Duo ſunt vocabula, et *mundi* et *naturae*, quae nonnumquam promiscua videntur. Atque illo quidem totum notatur mathematicum omnium viſorum et totalitas ſyntheſeos illorum, cum in progreſſu eorum per compoſitionem, tum per diuiſionem. Sed idem mundus etiam natura **) vocatur, quatenus qua totum con-

*) Totum abſolutum ſeriei conditionum ad datum aliquid aliunde pendens ſemper liberum a conditione eſt; propterea quod extra illam nullae amplius conditiones ſunt, e quibus illud poſſit pendere. Verum hoc totum abſolutum ſeriei eiusmodi in ſola idea verſatur, vel potius in conceptu problematico, cuius anquiri et examinari poſſibilitas debet, et quidem ratione modi illius, quo id, quod ab omni conditione liberum eſt, vtpote propria illa transſcendentalis idea, vnde illud pendet, eo fortaſſe continebitur.

**) Natura adiectiue (formaliter) ſumta, contextum denotat determinationum rei cuiuspiam, ſecundum principium internum cauſalitatis. Contra natura, ſubſtantiue (materialiter) accepta deſignat complexum phaenomenorum, quatenus ea, per principium cauſalitatis internum, perpetuo cohaerent. Priori ſenſu naturam dicimus de materiis fluidis, igni, et id genus aliis, hocque verbo tum vtimur ſolum adiectiue; contra, dum de rebus naturae loquimur, totum quiddam conſiſtens mente agitamus.

ſideratur dynamicum, non habita ratione congregationis in ſpatio aut tempore, ad quantitatem conſtituendam, ſed reſpectu vnitatis in *exſiſtentia* viſorum. Tum vero conditio eius, quod ſit, cauſa dicitur, et efficientia cauſae in viſo a conditione libera vocatur libertas, ſed ea, quae ad conditionem adſtricta eſt, anguſtiori ſenſu cauſa naturalis appellatur. Id, quod in exſiſtentia omnino eſt ad conditionem adſtrictum, fortuitum nominatur, idque, quod ab omni liberum conditione eſt, neceſſarium. Neceſſitas viſorum abſoluta dici poterit neceſſitas phyſica.

Ideas, in quibus in praeſens occupamur, ſupra ideas coſmologicas nominauimus, partim propterea, quod vocabulo mundi complexum omnium viſorum intelligimus, noſtraeque ideae etiam tantummodo abſolutum ſpectant in viſis, partim quoque, quoniam verbo mundi, ſenſu transſcendentali, vniuerſitas abſoluta deſignatur complexus eorum, quae in veritate rerum apparent, nobisque etiam ſola vniuerſitas ſyntheſeos (quamquam duntaxat proprie in regreſſu ad conditiones) propoſita videtur. Praeterea ſi cogitaueris, haſce ideas cunctas eſſe transſcendentes, easque, quamuis rem obiectam, nempe viſa, *quoad genus* haud transſcendant, verum tantummodo in mundo ſenſibili (non in noumenis) verſentur, tamen ſyntheſin ad *gradum* cogere, omnem poſſibilem experientiam ſuperantem; vniuerſae poſſunt, ex mea quidem ſententia, commode *conceptus coſmici* vocari. Ratione diſcriminis mathematice et dynamice ad conditionem adſtrictorum, quae ſpectat regreſſus, duos illos priores anguſtiori ſenſu conceptus coſmicos dicerem, reliquos duos *conceptus phyſicos transſcendentes*. Quod quidem diſcrimen in praeſens nondum ita magni momenti videtur, ſed progreſſu ſane eſſe poterit.

Antinomiae rationis purae

SECTIO SECUNDA.

Antithetice rationis purae.

Si thetica in quouis complexu adſertionum dogmaticarum cernitur, antitheticam haud adſertiones dogma-

ticas contrarii dicimus, ſed pugnam potius cognitionum ad ſpeciem dogmaticarum (theſin cum antitheſi), ita, vt nullam adſenſione altera digniorem iudicemus. Igitur antithetice neutiquam verſatur in adſertionibus ſolitariis, ſed vniuerſales rationis cognitiones ad disquiſitionem vocat ſecundum ſolam pugnam illarum inter ſe inuicem eiusque cauſas. Antithetice transſcendentalis cernitur in inueſtigatione antinomiae rationis purae, cauſarumque illius et eorum, quae inde conſequuntur. Cum rationem noſtram non ſolum, in vſum decretorum intelligentiae, ad res experientiae ſubiectas adhibemus, ſed illam vltra terminos huius (experientiae) dilatare conamur; tum theoremata argutantia oriuntur, quibus, neque, vt per experientiam confirmentur, ſperandum eſt, neque, vt refellantur, metuendum, quorumque quodque non ſolum in ſe ipſum repugnantia vacat, verum etiam adeo in natura rationis neceſſitatis ſuae leges deprehendit, ſed ita tamen, vt ex parte contraria itidem verae neceſſariaeque adſertionis rationes deprehendantur.

Igitur, quae in tali dialectica rationis purae per naturam rei ſe offerunt, quaeſtiones hae erunt: 1) in quibusnam enunciatis ratio pura neceſſario ſit cuidam antinomiae obnoxia: 2) in quibusnam cauſis iſta antinomia poſita ſit: 3) an et quomodo rationi in hac pugna tamen via ad certitudinem pateat.

Quamobrem in theoremate rationis purae dialectico hoc inerit praecipui, quo ab vniuerſis diſtat pronunciatis ſophiſticis, quod haud arbitrariam quaeſtionem ſpectat, certo quodam conſilio pro lubitu propoſitam, verum eam, in quam cuiusuis hominis ratio neceſſario offendit; deinde, quod, vna cum contrario ſuo, non ſolam artificioſam ſpeciem, quae, ſimulatque perſpecta ſit, euaneſcat, ſed naturalem in ſe atque ineuitabilem ſpeciem continet, quae ipſa, etiamſi haud amplius ea decipiamur, ſemper nobis illudit, quamquam non fallit, atque ita quidem reddi innoxia poteſt, ſed numquam deleri.

Eiusmodi doctrina dialectica non vnitatem ſpectabit intelligentiae in conceptibus empiricis, ſed vnitatem

rationis in ſolis ideis, quarum conditio, cum primum, qua ſyntheſis ex regulis intelligentiae, et tamen ſimul, qua earum vnitas abſoluta, rationi debet congruere, ſi ad vnitatem rationis quadrat, intelligentiae nimium magna, et ſi intelligentiae conueniat, nimis parua videbitur; vnde demum, neceſſe eſt, pugna oriatur, quae, vtcumque ei occurrere velis, haud poterit euitari.

His adſertionibus argutantibus arena aperitur dialectica, vbi quaeque pars, cui impetum facere licet, ſuperior diſcedit, is autem profecto erit inferior, qui tuendo ſe defendendoque gerere cogitur. Ex quo fit, vt athletae pugnaces, ſiue bonam cauſam tueantur, ſiue pravam, certi ſint, ſe coronam accepturos, ſi modo id tantum curent, vt ius habeant vltimum adgrediendi, neque nouum aduerſarii impetum excipere teneantur. Facile cogitari poterit, iſtam arenam vsquequaque ſaepenumero eſſe calcatam, multasque ab vtraque parte victorias deportatas, vltimo autem, qui litem decerneret, ſemper ita prouiſum eſſe, vt propugnator bonae cauſae locum ſolus teneret, eo quidem, quod aduerſario armis interdiceretur. Vtrum bonam, qui certant, malamue cauſam propugnent, vt aequi iudices certaminis in medio relinquamus, eosque prius inter ipſos rem componere ſinamus. Fortaſſe inuicem, magis delaſſati quam proſtrati, vanitate controuerſiae ſponte agnita, ambo ſeſe dimittent.

Haec ratio viaque certamen adſertionum ſpectandi, potiusue gignendi, non quidem, vt illud tandem in commodum vnius alteriusue decidamus, ſed vt inquiramus, vtrum res ei propoſita fortaſſe in ſolo fumo verſetur, quem quisque captet, atque in quo nil quidquam lucrari poſſit, etiamſi illi minime reſiſteretur, haec ratio, inquam, poteſt *via ſceptica* dici. Prorſus ea differt a ſcepticiſmo, decreto ignorantiae artificioſae et ſpeciem imitantis ſcientiae, quod fundamenta vniuerſae cognitionis ſubuertit, vt, quoad eius fieri poſſit, nulla vbique firmitas et certitudo relinquatur. Namque via ſceptica certitudinem ſpectat, ita, vt in certamine ab vtraque parte probe inſtituto prudenterque geſto caput diſſenſionis aperire

conetur, quo, inſtar legislatorum ſapientum, in discrimine iudicum in cauſis forenſibus de manca ratione et parum definita in legibus ſuis, edoceatur. Antinomia, in adhibendis legibus ſe manifeſtans, in noſtra hac carceribus incluſa ſapientia optimum explorandi periculum nomothetices eſt, vt ratio in contemplatione rerum occultarum, cogitatione a conſuetudine oculorum ſeuocata, haud facile peccata ſua animaduertens, ea re acuatur et ad momenta in definiendis decretis ſuis intendatur.

Sed haec via ſceptica ſoli philoſophiae transſcendentali neceſſario propria eſt, eaque in quouis alio inueſtigationum campo, ſi ab hoc diſceſſeris, fere poteſt ſuperſederi. Quippe, qua ſi vti in matheſi velis, abſurdum foret; ſi quidem in ea adſertiones falſae non tegi poſſunt nec occultari, propterea quod rationes ſemper debent ad filum quaſi quoddam Ariadneum ducemque viſionis purae, et quidem ex ſyntheſi ſemper euidente progredi. Porro in philoſophia, quam vocant, experimentali, poteſt quidem dubium dilationis vtile eſſe, ſed ſaltim tamen nulla eſſe diſſenſio poteſt, quae non ſtatim tollatur, tandemque vltimae decidendae litis rationes in experientia lateant, neceſſe eſt, ſiue maturius illae quidem, ſiue ſerius reperiantur. Tandem vero etiam philoſophia moralis vniuerſa decreta ſua itidem poteſt in ſingulo (concreto) cum conſecutionibus actionem ſpectantibus, certe in poſſibili experientia proponere, eoque diſſenſionem ſeparationis (abſtractionis) euitare. Contra adſertiones transſcendentales, quae vltra ipſum omnis, quae eſſe poteſt, experientiae campum cognitiones augeſcentes ſibi arrogant, neque ita comparatae ſunt, vt ſyntheſis abſtracta illarum in vlla quapiam viſione ex anticipatione dari queat, neque ita, vt ope cuiuspiam experientiae diſſenſio detegi poſſit. Igitur ratio transſcendentalis nullum alium lapidem Lydium admittit, quam conatum adſertionum ſuarum inter ſe coniungendarum, et proinde antea certaminis earum inter ſe inuicem liberi atque impediti, atque hunc in praeſens inſtituamus. *)

*) Antinomiae ſe inuicem ſequuntur ſecundum ordinem idearum transſcendentalium ſupra allatarum.

Antinomia

PRIMA PUGNA IDEARUM

Theſis.

Mundus initium habet in tempore, et quoad ſpatium terminis incluſus tenetur.

Ratio.

Etenim conſtituamus, mundum ſecundum tempus nullum initium habere: ad vnumquodque punctum temporis praeterlapſa erit aeternitas, et proinde infinita ſeries ſtatuum ſuccedentium rerum in mundo. Atqui infinitas ſeriei cuiusdam cernitur in eo ipſo, quod ea numquam poteſt ſyntheſi ſucceſſiua abſolui. Ergo praeterlapſa ſeries mundi infinita eſſe non poteſt, proinde in initio mundi poſita eſt conditio neceſſaria exſiſtentiae eius; id quod primum erat probandum.

Ratione alterius viciſſim contrarium ponamus: tum mundus verſabitur in toto quodam infinito dato rerum ſimul apparentium. Atqui magnitudinem quanti, haud intra certos cuiusque viſionis terminos dati*), nullo alio modo poſſumus, quam ex ſyntheſi partium, totalitatemque eiusmodi quanti ex ſola ſyntheſi abſoluta, ſiue repetita additione vnitatis ad ſe ipſam, cogitare. **) Quam-

*) Quantum indefinitum poſſumus qua quantum intueri, ſi carceribus incluſum eſt, neque opus habemus, totalitatem illius dimenſione, id eſt, ſyntheſi partium ſucceſſiua conſtruere. Namque terminis iam determinatur totalitas, propterea quod omnia plura iis abſcinduntur.

**) Conceptus totalitatis in hoc caſu non niſi in repraeſentatione verſatur ſyntheſeos abſolutae partium ſuarum, ſi quidem, cum haud a viſione totius (quod ſieri in hoc caſu non poteſt) conceptum ſeparare poſſimus atque abſtrahere, hunc

rationis purae.

TRANSSCENDENTALIUM.

Antitheſis.

Mundus nullum initium habet nec terminos in ſpatio, ſed tum quoad tempus, tum quoad ſpatium infinitus eſt.

Ratio.

Fac enim, mundum initium habere. Cum initium in exſiſtentia verſetur, quam tempus quoddam antecedit, in quo ea res non eſt, tempus antegreſſum ſit, neceſſe eſt, in quo mundus non fuerit, hoc eſt, tempus vacuum. Atqui in tempore vacuo nullus eſſe ortus vllius cuiuspiam rei poteſt; quoniam nulla pars eiusmodi temporis prae alia quapiam parte conditionem exſiſtentiae diſtinctiuam in ſe a conditione non-exſiſtentiae continet (ſiue per ſe ipſum ponatur, ſiue ex aliena cauſa oriri). Igitur multae quidem rerum ſeries in mundo poterunt exſiſtere, ſed mundus ipſe nullum poteſt initium habere, ideoque ille ratione temporis praeteriti infinitus videtur.

Quod alterum deinceps locum attinet, primum ponamus contrarium, ſcilicet mundum quoad ſpatium finitum et terminis circumſcriptum eſſe; tum is erit in ſpatio inani, nullis carceribus circumſcripto. Igitur non ſolum adfectio rerum in ſpatio, verum etiam adfectio rerum ad *ſpatium* reperiretur. Cum autem mundus toto quodam abſoluto contineatur, extra quod nulla res viſioni ſubiecta, et proinde nullum, quod dicunt, correlatum mundi deprehenditur, ad quod is adfectus ſit, adfectio mundi ad ſpatium inane verteretur in adfectione illius ad *nullam* rem obiectam. Sed talis adfectio, et proinde circumſcriptio mundi per ſpatium inane, nihil eſt; ergo mundus, quoad ſpatium, neutiquam terminis eſt circumſcriptus, hoc eſt, mundus ratione extenſionis infinitus eſt. *)

*) Spatium cernitur ſolum in forma viſionis externae (in vi-

obrem, vt, qui omnia ſpatia expleat, mundum qua totum quiddam cogitaremus, ſyntheſis ſucceſſiua partium mundi infinita qua perfecta abſolutaque, id eſt, tempus infinitum, in dinumerandis rebus vniuerſis ſimul apparentibus, qua elapſum deberet conſiderari; id quod fieri non poteſt. Quocirca congregatio infinita rerum in veritate apparentium non qua totum datum, proinde quoque non qua *ſimul* datum poteſt ſpectari. Ergo mundus, quoad extenſionem in ſpatio, *non* eſt infinitus, ſed ſuis terminis incluſus. Quod poſteriori loco erat probandum.

Scholion ad primam antinomiam

I. ad theſin.

In hiſce argumentis ſibi inuicem repugnantibus non fucum quaeſiui, quo (vti aiunt) argumentum quoddam forenſe tractarem, quod temeritate aduerſarii ad commodum ſuum vtatur, eiusque prouocationem ad legem male intellectam haudquaquam ſollicitet, vt ſuas poſſit petitiones iniuſtas in confutatione iſtius fundare. Sed quodque horum argumentorum e natura rei depromtum, commodumque prorſus neglectum eſt, quod e paralogismis dogmaticorum vtriusque partis capere poteramus.

Potuiſſem eo quoque theſin ad ſpeciem probare, vt ab infinitate quantitatis cuiusdam datae, pro more dogmaticorum, conceptum vitioſum praemitterem. Quantitas infinita eſt, qua nulla maior (praeter multitudinem vnitatis cuiusdam datae in ea complexam) eſſe poteſt. Atqui nulla multitudo eſt maxima, quoniam perpetuo vna pluresue addi vnitates poſſunt. Ergo quantitas infinita

modo per ſyntheſin partium poſſumus, vsque ad abſolutionem infiniti, certe in idea, comprehendere.

Scholion ad primam antinomiam

II. ad antitheſin.

Ratio pro infinitate ſeriei mundi datae complexusque mundi poſita in eo eſt, quod in caſu oppoſito tempus vacuum ſpatiumque inane mundum terminis, neceſſe ſit, includere. Sed probe ſcio, contra hancce conſequentiam effugia quaeri: nam perhibent, eſſe mundi terminum, quoad tempus ſpatiumque, commode poſſe, neque opus eſſe ſumtione temporis cuiusdam abſoluti ante primordia mundi, ſpatiiue abſoluti, extra verum mundum extenſi; id quod fieri non poteſt. Cum poſteriore parte huiusce ſententiae philoſophorum e ſchola *Leibnitiana* prorſus contentus ſum. Spatium cernitur in ſola forma viſionis externae, minime vero in re obiecta vera, quae poſſit videri extrinſecus, neque in correlato quodam viſorum, ſed in ipſa viſorum forma. Ergo ſpatium non poteſt abſolute (per ſe ipſum) qua quiddam determinans in exſiſtentia rerum obuenire, propterea quod in nulla re obiecta illud verſatur, verum duntaxat in forma rerum obiectarum poſſibilium. Proinde res, qua phaenomena, determinant ſpatium quidem, id eſt,

ſione formali¹), ſed in nulla vera re obiecta, quae poſſit extrinſecus videri. Spatium, ante vniuerſas res illud determinantes (explentes vel circumſcribentes), vel potius illi formae eius conuenientem *viſionem empiricam* largientes, quod ſpatium abſolutum vocatur, nihil aliud eſt, quam poſſibilitas viſorum externorum, quatenus ea vel per ſe exſtant, vel ad viſa data poſſunt inſuper accedere. Igitur viſio empirica non eſt o viſis ſpatioquo (e perceptione, et viſione inani) compoſita. Vnum non eſt alterius correlatum ſyntheſeos, ſed tantum in vna eademque viſione emplrica coniunctum, qua materia et forma illius. Quodſi vnam harum partium velis extra alteram ponere (ſpatium extra viſa vniuerſa), inde variae determinationes orientur inanes viſionis externae, quae tamen haud poſitae videntur in perceptionibus, quarum eſſe copia queat. Veluti motus vel quies mundi in ſpatio inani infinito, id quod in determinatione verſatur vtriusque ad ſe inuicem adfectionis, quae numquam percipi poteſt, et proinde quoque in attributo cernitur ſolius, quod aiunt, entis rationis.

data, proinde quoque mundus (tum quoad ſeriem praeteritam, tum quoad extenſionem) infinitus eſſe non poteſt; proinde ex vtraque parte circumſcriptus eſt. Sic argumentum ducere potuiſſem. Verum hicce conceptus illi haud conuenit, quod totum infinitum vocamus. Eo enim haud, quantum ſit, repraeſentatur, proinde conceptus illius non eſt conceptus cuiusdam *maximi*, ſed eo tantum eius relatio ad vnitatem quandam pro lubitu ſumendam cogitatur, cuius ratione ea maior eſt omni *numero*. Itaque prout illa vnitas vel maior ſumeretur vel minor, infinitum maius minusue foret; ſed infinitas, cum ea tantummodo in adfectione ad hanc vnitatem datam cernatur, ſemper foret eadem, quamuis ſane quantitas abſoluta totius ea re nullo modo cognoſceretur; de quo quidem etiam hoc loco haud ſermo eſt.

Verus (transſcendentalis) infinitatis conceptus eo redit, vt ſyntheſis ſucceſſiua vnitatis in quanto quodam dimetiendo numquam eſſe perfecta poſſit et abſoluta. *) Ex quo neceſſario efficitur, aeternitatem ſtatuum vere ſuccedentium vsque ad datum (praeſens) quoddam punctum temporis non eſſe praeterlapſam poſſe, ideoque mundum habere initium oportere.

Reſpectu alterius partis poſitionis difficultas ſeriei infinitae nihilominus tamen praeterlapſae tollitur illa quidem; ſi quidem varietas mundi cuiusdam quoad extenſionem infiniti *ſimul* data eſt. Verum ad totalitatem eiusmodi multitudinis cogitandam, cum non poſſimus ad terminos prouocare, quibus ea vniuerſitas ſponte in viſione conſtituatur, rationem conceptus noſtri reddere debemus, qui in tali caſu non a toto poteſt ad definitam

*) Hoc quidem eo multitudinem (vnitatis datae) continet omni numero maiorem, in quo conceptus cernitur mathematicus infiniti.

in omnibus, quae illi ineſſe poſſunt, attributis (quantitate et relatione) iis efficitur, vt hoc vel illud ad exſiſtentiam pertineat; ſed viciſſim retro ſpatium, qua quiddam, quod in ſeſe conſiſtat, non poteſt exſiſtentiam rerum ratione quantitatis vel figurae determinare, ſi quidem per ſe ipſum illud nihil eſt, quod vere exſtet. Quamobrem ſpatium quidem (ſiue repletum ſit, ſiue inane) *) viſis determinari poteſt, ſed viſa non poſſunt *ſpatio inani* extra illud circumſcribi. Atque hoc idem etiam de tempore valet. Quibus igitur omnibus conceſſis, nihilominus extra omnem controuerſiam poſitum eſt, haec duo non-entia, ſpatium inane extra mundum, tempusque inane ante mundum, neceſſario ſumi debere, ſi terminus mundi (vel quoad ſpatium vel quoad tempus) ſumatur.

Namque quod effugium ſpectat, quo conſequentiam euitare volunt, qua dicimus: ſi mundus (quoad tempus ſpatiumque) terminis coërceatur, infinito inani illo exſiſtentiam rerum vere exſtantium ratione quantitatis earum determinari oportere, eo tantum illud continetur: quod pro *mundo ſenſibili*, neſcio quem, mundum intelligibilem cogitatione ſibi informent, et pro primo principio (exſiſtentia, quam tempus non-exſiſtentiae praecedat) vniuerſe exſiſtentiam quandam cogitent, qua nulla *alia* in mundo *conditio* ponatur, pro terminis extenſionis *carceres* totius mundi cogitando effingant, eoque tempus ſpatiumque effugiant. Sed hic tantummodo de mundo phaenomeno ſermo eſt, et de magnitudine illius, in quo quidem ab hiſce conditionibus ſenſus neutiquam nos poſſumus continere, niſi naturam illius tollamus. Mundus ſenſibilis, ſi carceribus eſt circumſcriptus, neceſſario ſitus eſt in infinito illo inani. Quod, et proinde ſpatium vniuerſe qua conditionem

*) Facile animaduerti poteſt, nos his dicere velle: *ſpatium inane, quatenus per phaenomena carceribus includitur*, proinde illud *intra mundum*, certe haud repugnare principiis transſcendentalibus, neque proinde poſſe ratione horum concedi (quamquam poſſibilitatem eius non ſtatim adſeuerari).

partium multitudinem progredi, ſed poſſibilitatem totius cuiusdam eaque ſucceſſiuam ſyntheſin p. tium euincere debet. Qua quidem ſyntheſi cum ſeries effici deberet numquam abſoluenda; eius non poterit, proinde quoque haud per eam, quaedam vniuerſitas cogitari. Etenim conceptus totalitatis ipſe in hoc caſu repraeſentatione efficitur ſyntheſeos partium abſolutae, et haec abſolutio quidem, proinde etiam conceptus illius, eſſe non poteſt.

poſſibilitatis viſorum ex anticipatione omiſeris, totus mundus ſenſibilis tolletur. In noſtra quaeſtione hicce nobis ſolus eſt datus. Mundus intelligibilis non niſi in conceptu mundi vniuerſali generatim cernitur, in quo ab omni conditione viſionis illius cogitationem abducimus, cuiusque ratione proinde nullum prorſus enunciatum ſyntheticum, neque aiens, neque negans eſſe poteſt.

Antinomiae

SECUNDA PUGNA

Theſis.

Vnaquaeque ſubſtantia compoſita in mundo partibus ſimplicibus conſtat, atque vbique nil quidquam exſtat niſi ſimplex, ſiue id, quod ex hoc compoſitum eſt.

Ratio.

Sed fingamus, ſubſtantias compoſitas non ex partibus ſimplicibus conſiſtere; tum, omni compoſitione cogitando ſublata, nulla pars compoſita, et (quoniam nullae partes ſimplices ſunt) etiam nulla ſimplex, proinde nihil prorſus relinqueretur, ergo nulla ſubſtantia data foret. Igitur aut fieri non poteſt, vt omnis compoſitio cogitatione tollatur, aut, ea ſublata, aliquid ſine compoſitione conſiſtens, id eſt, ſimplex, reliquum fiat, neceſſe eſt. In priori caſu autem compoſitum itidem haud efficeretur ſubſtantiis (quoniam in his compoſitio poſita eſt tantummodo in relatione ſubſtantiarum fortuitá, ſine qua hae, qua naturae in ſeſe conſiſtentes, conſtare debent). Cum autem hicce caſus ſumtioni repugnet, duntaxat poſterior relinquitur, nempe compoſitum ſubſtantiale in mundo partibus ſimplicibus conſtitui.

Ex quo proxime efficitur, vt res mundi vniuerſae in naturis ſimplicibus cernantur, vt compoſitio tantum-

rationis purae.

IDEARUM TRANSSCENDENTALIUM.

Antitheſis.

Nulla res compoſita in mundo e partibus ſimplicibus conſtat, neque vbique aliquod in eo ſimplex exſtat.

Ratio.

Fac, rem compoſitam quamdam (qua ſubſtantiam) e partibus ſimplicibus conſiſtere. Quoniam omnis relatio externa, proinde etiam omnis compoſitio e ſubſtantiis, tantummodo in ſpatio eſſe poteſt; ſequitur, vt, quot partibus compoſitum conſtat, totidem etiam partibus, quod illud occupat, ſpatium efficiatur. Atqui ſpatium non partibus ſimplicibus, ſed ſpatiis efficitur. Ergo quaeque pars compoſiti ſpatium occupet, neceſſe eſt. Sed partes abſolute primae cuiusque compoſiti ſimplices ſunt. Ergo ſimplex ſpatium occupat. Quum autem quodque reale, quod ſpatium capit, extra ſeſe inuicem varia in ſe contineat, proinde compoſitum ſit, idque, qua compoſitum reale, non ex accidentibus (ſi quidem ea non poſſunt ſine ſubſtantia extra ſe inuicem eſſe), ideoque ex ſubſtantiis; cogetur, vt ſimplex in compoſito ſubſtantiali verſetur; id quod repugnat.

Alterum antitheſeos pronunciatum, nihil prorſus quidquam ſimplex in mundo exſtare, hoc loco tantummodo hanc vim habet, vt eo declaretur, exſiſtentiam abſolute ſimplicis nulla experientia poſſe vel perceptione, neque externa neque interna, euinci, ideoque abſolute ſimplex poſitum eſſe in mera idea, cuius realitas obiectiua numquam queat per vllam quampiam experientiam poſſibilem doceri, proinde in expoſitione viſorum ſine omni vſu ac re obiecta videri. Ponamus enim, huic ideae transſcendentali inueniri poſſe rem quampiam experientiae obnoxiam; tum viſio empirica vllius cuiuspiam obiectae rei qua talis deberet agnoſci, quae prorſus nulla varia extra ſe inuicem ad vnitatemque coniuncta in ſe cohiberet. Iam cum inde, quod nobis haud conſcii ſumus eiusmodi variorum, non poſſit concludi, ea

V

modo in ſtatu illarum externo verſetur, vt denique, quamuis ſubſtantias elementares numquam prorſus ex hocce coniunctionis ſtatu poſſimus dimouere, neque ſolitarias facere, tamen ratio illas, qua prima cuiusque compoſitionis ſubiecta, et proinde, ante illam, qua naturas ſimplices cogitare cogatur.

Scholion ad antinomiam ſecundam

I. ad theſin.

Cum de toto quodam loquor, quod neceſſario partibus ſimplicibus efficitur, tum totum tantummodo ſubſtantiale intelligo, vtpote compoſitum proprium, id eſt, vnitatem variorum fortuitam, quod *ſeparatum* (cogitatione certe) datum, in coniunctione mutua ponitur, eaque vnum conſtituit. Spatium proprie dici haud compoſitum, ſed totum deberet, ſi quidem partes illius in toto ſolum, neque totum eſſe per partes, poſſunt. Saltem illud dici poſſet compoſitum ideale, non reale. Sed haec ſubtiliora ſunt. Cum ſpatium ſit nullum e ſubſtantiis compoſitum (ne ex accidentibus realibus quidem), omni in eo compoſitione ſublata, nil quidquam, ne punctum quidem reliquum fiat, neceſſe eſt; quippe quod tantummodo qua terminus ſpatii (proinde cuiuspiam compoſiti) eſſe poteſt. Quocirca ſpatium tempusque partibus haud efficiuntur ſimplicibus. Id quod

in vlla quapiam viſione rei cuiusdam obiectae eſſe non poſſe, hoc autem ad ſimplicitatem abſolutam prorſus neceſſarium ſit; ſequitur, vt haec e nulla perceptione queat, quae illa cumque ſit, elici. Igitur cum aliquid qua res obiecta abſolute ſimplex numquam poſſit in vlla quapiam experientia poſſibili proponi, ſed mundus ſenſibilis qua complexus omnis, quae eſſe poteſt, experientiae conſiderandus videatur; cogitur, vt nuſpiam quidpiam ſimplex datum ac propoſitum ſit.

Hocce alterum enunciatum antitheſeos multo latius patet priori illo, quo ſimplex tantummodo a viſione compoſiti arcetur; ſed hoc altero illud e tota rerum natura tollitur. Id quod in cauſa ėrat, cur etiam non ex conceptu rei cuiusdam datae ſub viſionem externam ſubiectae (compoſitae), ſed e relatione illius ad experientiam quampiam poſſibilem in genere haud poſſet probari.

Scholion ad antinomiam ſecundam

II. ad antitheſin.

Contra hocce pronunciatum infinitae diuiſionis materiae, cuius probandi ratio prorſus mathematica eſt, a *monadum* patronis dubia mouentur, quae iam propterea in ſuſpicionem vocantur, quod euidentiſſimas rationes mathematicas nolunt pro cognitionibus naturae ſpatii valere, quatenus illud re vera in conditione formali poſſibilitatis vniuerſae materiae verſatur, ſed tantum qua concluſiones conſiderant e conceptibus cogitatione ſeparatis quidem, ſed arbitrariis, quae ad res vere exſtantes nequeant transferri. Quaſi vero vel eſſe modo poſſit, vt alia viſionis ratio excogitetur, quam quae in viſione ſpatii originaria proponitur, conditionesque illius ex anticipatione non ſimul ea cuncta attingant, quae eo ſolo eſſe poteſt, quod iis hocce ſpatium repleatur. Quibus ſi adſenſum praeberemus, praeter punctum mathematicum, quod ſimplex illud quidem, neque tamen pars quaedam eſt, ſed terminus ſpatii cuiusdam, etiam phyſica puncta cogitari deberent, quae itidem quidem ſimpli-

ſolum ad ſtatum ſubſtantiae pertinet, etiamſi quantitate gaudeat (veluti mutatio), illud etiam haud conſtat e ſimplici, id eſt, certus quidam mutationis gradus haud oritur acceſſione mutationum multarum ſimplicium. Noſtra a compoſito ad ſimplex concluſio tantummodo de rebus valet in ſeſe ipſis conſiſtentibus. Verum accidentia ſtatus haud quaquam in ſe ipſa conſiſtunt. Igitur argumentum pro neceſſitate ſimplicium, vtpote partium conſtitutiuarum cuiusque compoſiti ſubſtantialis, eoque omnino poterit cauſa facile euerti, ſi nimium illud dilatetur atque pro omni compoſito ſine vllo diſcrimine valorem illi velis tribuere, id quod reapſe iam ſaepius factum eſt.

Verum hoc loco ſolum de ſimplici loquor, quatenus illud neceſſario datum in compoſito eſt, propterea quod hoc in illud poteſt, tamquam in partes ſuas conſtitutiuas, reſolui. Proprie vocabuli *monadis* ſignificatio (ex *Leibnitii* vſu) deberet fere tantummodo ſimplex ſpectare, quod proxime quidem qua ſubſtantia ſimplex datum eſt (velut in conſcientia ſui ipſius), non qua elementum compoſiti, quod melius poteſt atomus vocari. Cumque porro duntaxat ratione compoſiti ſubſtantias ſimplices, vtpote elementa illius, euincere velim, antitheſin antinomiae ſecundae poſſem *atomiſticam* transſcendentalem appellare. Quoniam autem hoc verbum iam pridem

cia ſunt, hoc tamen commodi habent, vt eorum, tamquam partium ſpatii, ſola congregatione illud repleant. Vt ne autem vulgares illas perſpicuasque confutationes huiusce abſurditatis repetam, vti in tollenda euidentia matheſeos e ſolis conceptibus diſcurſiuis fruſtra argutantur, tantummodo moneo, propterea philoſophiam dolis matheſin eludere, quod ea obliuiſcatur, in hac quaeſtione duntaxat de *viſis* agi eorumque conditione. Hoc autem loco non ſufficit, vt ad *conceptum* purum *intelligentiae* compoſiti conceptum ſimplicis, ſed ad *viſionem* compoſiti (materiae) viſionem ſimplicis inueniamus, idque ex legibus ſenſus, proinde quoque in rebus ſenſibus obnoxiis, fieri nullo modo poteſt. Itaque de toto e ſubſtantiis, ſola intelligentia pura cogitato, concedamus, nos ante omnem eius compoſitionem habere ſimplex oportere; tamen hoc locum habebit in toto ſubſtantiali phaenomeno, quod, qua viſio empirica in ſpatio, neceſſariam in ſe proprietatem cohibet, vt nulla pars eius ſimplex ſit, propterea quod nulla ſpatii pars ſimplex videtur. Interim defenſores monadum ſatis acuti fuere, qui hanc difficultatem vitare conarentur, ita, vt haud ſpatium qua conditionem poſſibilitatis rerum ſub viſionem externam ſubiectarum (corporum), ſed hanc, atque relationem ſubſtantiarum dynamicam vniuerſe, qua conditionem poſſibilitatis ſpatii ponerent. Iam de corporibus duntaxat qua viſis cogitationem habemus, verum qua talia neceſſario ea requirunt ſpatium qua conditionem poſſibilitatis cuiusque viſi externi, fruſtraque proinde exitus quaeritur, iam ſupra in aeſthetica transſcendentali praecluſus. Si poſita illa forent in rebus per ſe ipſis, tum ſane firma eſſet ratio eorum, qui pro monadibus pugnant.

Poſteriori adſertioni dialecticae hoc peculiare eſt, vt ei adſertio dogmatica aduerſetur, omnium argutantium ſola, quae in re experientiae obnoxia exſiſtentiam eius, quod ſupra tantum ad ideas transſcendentales numerauimus, nempe ſimplicitatem abſolutam ſubſtantiae, ad oculos demonſtrare conatur; ſcilicet rem ſub ſenſum internum ſubiectam, illud ego, quod cogitat, ſubſtan-

vſurpatum eſt ad deſignandum peculiare genus explicandi viſa corporea (moleculas), et proinde illo conceptus empirici ponuntur, decretum *monadologiae* dialecticum, licebit, illud nuncupemus.

tiam abſolute ſimplicem eſſe. Quod (cum ſupra fuſius tractauerimus) in praeſens mittamus, hoc ſolum monebimus, ſi aliquid duntaxat qua res obiecta cogitetur, haud adiecta conditione ſynthetica viſionis illius (quemadmodum fit in repraeſentatione illa prorſus nuda: ego), ſane haud poſſe quidquam varii nullamque compoſitionem in eiusmodi repraeſentatione percipi. Cum praeterea attributa, quibus eam rem obiectam cogito, in meris viſionibus verſentur ſenſus interni, nihil quoque eſſe obuium in iis poteſt, quod varia extra ſe inuicem aliqua, proinde compoſitionem veram (realem) euincat. Itaque ſolum ita fert ſui ipſius conſcientia, vt, quoniam, quod cogitat, ſubiectum idem ſibi ipſum propoſitum eſt, ſe ipſum nequeat diuidere (quamquam determinationes ſibi inhaerentes); namque ratione ſui ipſius quaeque res obiecta in vnitate abſoluta verſatur. Nihilominus tamen, ſi hocce ſubiectum extrinſecus, qua res viſioni ſubiecta, ſpectetur, ſane in ſe tum compoſitionem in viſo oſtendet. Verum ſic ſemper illud conſiderandum eſt, ſi ſcire cupias, variane *extra* ſe inuicem in eo ineſſe, an minus videantur.

Antinomiae

PUGNA TERTIA

Theſis.

Effectio cauſarum ex legibus naturae haud vna eſt, ex qua viſa mundi cuncta poſſint deriuari. Alia praeterea cauſarum effectio ex libertate ad explicanda illa neceſſario ſumenda eſt.

Ratio.

Fac, nullam aliam cauſarum effectionem eſſe, quam quae ſit ex legibus naturae; tum vniuerſis iis, quae *eueniunt*, ſtatus ponitur priſtinus, quem ea neceſſario ad legem quandam ſequantur. Atqui ſtatus priſtinus ſit aliquid, neceſſe eſt, quod euentum eſt (in tempore factum, cum antea non eſſet), quoniam, ſi ſemper fuiſſet, etiam eius conſequens non demum ortum, ſed ſemper fuiſſet. Ergo effectio cauſae, qua aliquid fit, ipſa in facto quodam euentoque verſatur, quo ad legem naturae viciſſim ſtatus priſtinus eiusque effectio, hoc vero itidem talis prior ponitur, et ſic porro. Quodſi igitur cuncta ad ſolas leges eueniunt naturae, ſemper tantummodo initium erit quoddam ſubalternum, numquam vero primum, et proinde nulla omnino feriei totalitas ex parte cauſarum ab ſe inuicem prouenientium. Atqui lex naturae in eodem ipſo poſita eſt, vt nil quidquam eueniat ſine cauſa plene perfecteque ex anticipatione determinata. Ergo pronunciatum, quod enunciat, omnem cauſarum effectionem eſſe ex ſolis naturae legibus poſſe, ſibi ipſum repugnat in vniuerſalitate ſua haud circumſcripta, nec proinde haec poterit ſola ſtatui.

Quamobrem effectio cauſſarum ſumenda eſt, qua aliquid fiat, cuius cauſa haud amplius cauſa antegreſſa quadam ex legibus neceſſariis determinata videatur, id eſt, *ratio* cauſarum *abſolute ſpontanea*, quae ſeriem viſorum ad leges naturae progredientem *ſponte ſua* inſtituat, proinde libertas transſcendentalis, ſine qua vel in ipſo

rationis purae.

IDEARUM TRANSSCENDENTALIUM.

Antitheſis.

Nulla libertas eſt, ſed omnia in mundo eueniunt ex ſolis legibus naturae.

Ratio.

Conſtituamus, eſſe libertatem ſenſu transſcendentali, qua ſingulare genus effectionis cauſarum, ad quam euenta mundi fieri queant, nempe facultatem ſimpliciter abſoluteque ſtatum, proinde quoque ſeriem conſequentium inſtituendi; tum non ſolum per hancce rationem ſpontaneam ſeries quaedam, ſed huiusce ipſius rationis ſpontaneae ad ſeriem producendam determinatio, id eſt, cauſae effectio abſolute incipiet, ita, vt nihil quidquam antecedat, quo haec actio fiens ex legibus perpetuis determinata videatur. Verum vnoquoque agendi initio ſtatus ponitur cauſae nondum agentis, primoque initio actionis dynamico ſtatus, qui nulla prorſus contagione cauſalitatis cum antegreſſo ſtatu eiusdem cauſae cohaereat, id eſt, qui nullo modo exinde ſequatur. Ergo libertas transſcendentalis legi colligationis cauſarum aduerſatur, poſitaque eſt in eiusmodi coniunctione ſtatuum ſucceſſiuorum cauſarum efficientium, qua nulla eſſe vnitas experientiae poteſt, quae proinde etiam in nulla experientia deprehenditur, ideoque in inani re cogitatione efficta verſatur.

Quamobrem nihil quidquam habemus praeter *naturam*, in qua contextum debemus ordinemque euentorum mundi quaerere. Libertas (vacuitas) a legibus naturae cernitur illa quidem in *liberatione a coactione*, verum etiam a *filo* illo *ductitio* legum vniuerſarum. Neque enim dici poteſt, pro legibus naturae, libertatis leges ad cauſalitatem accedere curſus cosmici, quoniam haec, ſi ex legibus determinata eſſet, non in libertate verſaretur, ſed ipſa nihil quidquam aliud quam natura foret. Igitur natura et libertas transſcendentalis perinde differunt, ac

naturae curſu ſucceſſio viſorum ex parte cauſarum numquam plena perfectaque videtur.

Scholion ad antinomiam tertiam

I. ad theſin.

Idea illa libertatis transſcendentali minime quidem vniuerſus complexus conceptus pſychologici huiusce nominis efficitur, qui maximam partem empiricus eſt, ſed ille duntaxat, qui abſoluta ratione ſpontanea continetur actionis, vtpote vera propriaque ratio imputabilitatis illius; nihilominus tamen illa offendiculo eſt philoſophiae, quippe quae in difficultates incidit inſuperabiles, eiusmodi genus cauſalitatis abſolutae concedendi. Igitur illa pars quaeſtionis de libertate voluntatis, quae philoſophiam contemplantem vsque quaque in tantam difficultatem adduxit, tantummodo *transſcendentalis* eſt, et hoc ſolum ſpectat, an ſcilicet facultas ſumi debeat, ſeriem rerum ſtatuumue ſuccedentium *ſponte* inſtituendi. Qui eſſe poſſit facultas eiusmodi, vt doceri queat, non ita fere neceſſarium videtur, cum perinde in effectione cauſarum ex legibus naturae in eo nobis adquieſcendum ſit, vt ex anticipatione cognoſcamus, talem rationem ſumendam eſſe, etiamſi, qui fieri poſſit, vt certa exſiſtentia quadam exſiſtentia alius cuiusdam ponatur, nullo modo comprehendamus, et propterea ſequi nos ſolam experientiam debeamus. Iam hancce neceſſitatem initii primi ſeriei viſorum ex libertate proprie quidem euicimus, quatenus ad comprehendendam mundi originem requiritur, cum interim omnes ſtatus ſuccedentes pro conſequentia ex meris legibus phyſicis ſumi queant. Quoniam autem ea re facultas in tempore prorſus ſponte inſtituendi ſemel probata (quamuis haud perſpecta) eſt, nobis nunc etiam licebit, vt in medio mundi curſu varias ſeries, quoad effectionem cauſarum, ſponte inſtitui faciamus, ſubſtantiisque facultatem attribui, ex libertate agendi. Neque quisquam impediri ſeſe diſſenſu patiatur; vt, cum ſcilicet ſeries ſucceſſiua in mundo initium habere comparatiue primum poſſit, propterea quod ſemper ſtatus rerum

legum conformitas et licentia, quarum illa quidem intelligentiam difficultate onerat, ſtirpem euentorum in ſerie cauſarum altius atque altius inquirendi, eo quod in iis effectio cauſarum ſemper apta ex aliis eſt, ſed ad re ſarciendum damnum integrum legibusque conformem experientiae vnitatem pollicetur, cum e contrario iſte libertatis fucus intelligentiae ſcrutanti in catena cauſarum quietem promittat, propterea, quod illam ad cauſalitatem abſolutam ducit, quae ſponte agere inſtituit, quae vero, cum ipſa caeca ſit, regularum filum abrumpit, quo ſolo eſſe experientia continuo contexta poteſt.

Scholion ad antinomiam tertiam

II. ad antitheſin.

Is, qui omnipotentiae naturae (phyſiocratiae transſcendentali) patrocinatur, in contrarium doctrinae de libertate, ſententiam ſuam contra concluſiones argutantes huiusce poſterioris hoc modo defendere poſſet. Si *nullum* mathematice *primum* ratione *temporis in mundo* ſumitis, neque etiam opus erit, vt dynamice *primum effectionis cauſarum* quaeratis. Ecquis vobis praecepit, vt ſtatum mundi abſolute primum, et proinde initium abſolutum ſeriei viſorum pedetentim decurrentis excogitaretis, atque, quo phantaſiae veſtrae quietem pararetis, naturae haud circumſcriptae terminos conſtitueretis? Cum ſubſtantiae in mundo ſemper fuerint, ſaltim eiusmodi ſumtionem vnitas experientiae neceſſariam efficiat, nil impedit, quo minus ſumatis, ſucceſſionem ſtatuum earum, id eſt, ſeriem illarum mutationum ſemper fuiſſe, et proinde nullum initium primum, nec mathematice quaeri nec dynamice debere. Qui eſſe poſſit talis infinita deriuatio, ſine articulo primo, cuius ratione vniverſa reliqua ſolum ſuccedentia ſint, non poteſt, quatenus eſſe queat, ſub comprehenſionem cadere. Verum ſi iſta aenigmata phyſica velitis repudiare, vos ſentietis coactos, vt multas qualitates conſtitutiuas ſyntheticas (vires primitiuas) reiiciatis, quas aeque minus poteſtis comprehendere, et vel ipſa mutationis poſſibilitate in

in mundo antecedat, putet, eſſe forſitan non poſſe initium ſerierum abſolute primum curſu mundi durante. Namque nobis hic non ſermo eſt de initio abſolute primo quoad tempus, ſed ratione effectionis cauſarum. Cum in praeſens (vt hoc vtar) plene libere, et ſine contagione cauſarum phyſicarum neceſſario determinantium de ſede adſurgo, tum in hocce euento, vna cum illius conſequentibus naturalibus in infinitum, noua ſeries abſolute incipit, quamquam hoc euentum quoad tempus tantummodo in continuatione ſeriei antegreſſae verſatur. Namque hocce conſilium factumque neutiquam in conſequentia effectionum merarum phyſicarum ineſt, neque ſola eſt continuatio earum, ſed cauſae phyſicae determinantes a ſuperiori eius parte ceſſant prorſus ratione huius euenti, quod quidem illis ſuccedit, ex iis autem non conſequitur, et proinde non ratione temporis quidem, ſed quoad effectionem cauſarum, initium abſolute primum ſeriei viſorum vocari debebit.

Confirmatio neceſſitatis rationis in ſerie cauſarum phyſicarum ad initium primum ex libertate prouocandi ex eo perſpicue elucet, quod (excepta Epicureorum diſciplina) omnes philoſophi veteres ſeſe ſentiebant coactos, vt ad enodationem motuum mundi *motorem primum* ſumerent, id eſt, cauſam libere agentem, quae hanc ſeriem prima et ſua ſponte inſtitueret. Namque ex ſola natura non auſi ſunt initium primum docere.

genere vosmet offendi debebitis. Etenim, niſi, eam vere exſtare, per experientiam videretis, numquam poſſetis ex anticipatione excogitare, quomodo eiusmodi eſſe queat perpetua ſucceſſio exſiſtentiae et non-exſiſtentiae.

Sed facultate libertatis mutationumque in mundo inſtituendarum interim fere conceſſa, tamen haec facultas certe tantummodo extra mundum eſſe deberet (quamquam audentior quaedam arrogantia manebit, extra complexum omnium, quae eſſe poſſunt, viſionum, praeterea rem obiectam ſumendi, quae non poteſt in vlla vſpiam poſſibili perceptione proponi). Verum in mundo ipſo nemini licere poterit, vt eiusmodi facultatem attribuat ſubſtantiis, ſi quidem tum contextus viſorum ſe inuicem ex legibus vniuerſalibus neceſſario determinantium, quem naturam vocamus, cum eoque nota veri empirici, qua experientia a ſomnio diſtinguitur, maximam partem vna periret. Nam tali facultate libertatis omni lege vacua natura non poteſt cogitatione coniungi; propterea quod leges naturae contagione facultatis illius perpetuo mutationem experiuntur, ludusque viſorum, qui ex natura ſola ſemper eandem normam ſeruaret, confunditur contextuque priuatur.

PUGNA QUARTA

Theſis.

Ad mundum pertinet aliquid, quod aut qua pars illius, aut qua cauſa, in natura abſolute neceſſaria poſitum ſit.

Ratio.

Mundo ſenſibili, qua toto omnium viſorum, ſimul ſeries mutationum continetur. Namque ſine hac ſerie ipſa repraeſentatio ſeriei temporis, vtpote conditionis, qua eſſe poſſit mundus ſenſibilis, nobis haud data foret.*) Sed ſuae quaeque conditioni mutatio ſubeſt, quae tempore illam praecedit, et qua fit, vt neceſſaria videatur. Atque vnumquodque ad conditionem adſtrictum, quod datum eſt, ratione exſiſtentiae ſuae, plenam conditionum ſeriem vsque ad ſimpliciter abſolutum ponit, quod ſolum eſt abſolute neceſſarium. Ergo neceſſe eſt, vt aliquid abſolute neceſſarium exſtet. Sed hoc ipſum neceſſarium pertinet ad mundum ſenſibilem. Fac enim, illud extra eum eſſe, tum ſeries mutationum in mundo ab eo initium duceret, cum tamen haec ipſa cauſa neceſſaria ad mundum ſenſibilem pertineret. Atqui hoc fieri non poteſt. Namque cum initium ſeriei temporis tantummodo eo, quod quoad tempus antecedit, poſſit determinari; ſuprema conditio initii ſeriei mutationum in tempore exſtet, neceſſe eſt, cum haec nondum erat (nam initium cernitur in exſiſtentia, quam tempus antecedit, quo res, quae incipit, nondum erat). Ergo effectio cauſae mutationum neceſſariae, proinde quoque cauſa ipſa ad tempus, ideoque ad viſum (in quo ſolo qua forma illius eſſe tempus poteſt), proinde a mundo ſenſibili, vtpote complexu omnium viſorum, ea non poteſt ſeparata cogitari. Ergo in ipſo mundo aliquid abſolute neceſſa-

*) Tempus quidem, qua conditio formalis, poſſibilitatem mutationum obiectiue antecedit, verum ſubiectiue et in veritate conſcientiae haec repraeſentatio nihilominus, perinde atque quaeuis alia, tantummodo occaſione perceptionum data eſt.

rationis purae.

IDEARUM TRANSSCENDENTALIUM.

Antitheſis.

Vbicumque nulla exſtat natura abſolute neceſſaria, neque in mundo, neque extra mundum, qua cauſa illius.

Ratio.

Fac, mundum ipſum, aut in eo, naturam neceſſariam eſſe, tum in ſerie mutationum illius aut initium foret abſolute neceſſarium, quod proinde ſine cauſa foret, id quod legibus dynamicis determinationis omnium viſorum in tempore repugnat; aut ipſa ſeries omni initio careret, et, quamuis in omnibus partibus ſuis fortuita et ad conditiones adſtricta, in toto tamen ſimpliciter neceſſaria omnique conditione vacua foret, id quod ſecum ipſum pugnat, quoniam exſiſtentia multitudinis haud eſſe neceſſaria poteſt, nulla parte illius exſiſtentiam in ſe neceſſariam complectente.

Fac e contrario, eſſe cauſam mundi abſolute neceſſariam extra mundum, tum ea, qua articulus ſupremus in ſerie cauſarum mutationum cosmicarum exſiſtentiam poſteriorum ſeriemque illarum primum inciperet. *) Atqui tum etiam neceſſe foret, vt agere ea inciperet, eiusque cauſalitas ad tempus, ſed ob eam ipſam cauſam ad complexum viſorum, id eſt, ad mundum, proinde illa ipſa, quippe cauſa, haud extra mundum foret, quod

*) Verbum *incipere* duplici ſenſu accipitur: et *actiuo*, cum cauſa ſeriem ſtatuum qua effectorum ſuorum infit; et *paſſiuo*, cum effectio cauſae in cauſa ipſa fit. Hic ex priori concludo ad poſteriorem.

rium ineſt (ſiue illud ipſa tota mundi ſerie, ſiue parte illius contineatur).

Scholion ad antinomiam quartam

I. ad theſin.

Ad euincendam exſiſtentiam naturae neceſſariae hoc loco nullo alio vti argumento debeo, quam cosmologico, quod ſcilicet ab eo, quod e conditione pendet, in viſo ad id in conceptu adſcendit, quod ab omni conditione liberum eſt, propterea, quod hoc qua conditio neceſſaria ſpectatur totalitatis abſolutae ſeriei. Argumentum e ſola idea naturae ſupremae omnium naturarum in vniuerſum, ad aliud rationis principium pertinet, quod proinde ſingulatim debebit obuenire.

Iam argumentum cosmologicum purum exſiſtentiam naturae neceſſariae euincere non poteſt, niſi ſimul in medio relinquat, vtrum ea mundus ipſe, an res ab eo diuerſa contineatur. Namque ad hanc poſteriorem inveniendam decretis opus eſt, quae haud amplius cosmologica ſint, neque in ſerie viſorum progrediantur, ſed conceptus naturarum fortuitarum in genere (quatenus ſolum qua res intelligentiae ſubiectae conſiderantur), principiumque eas natura neceſſaria, per ſolos conceptus, coniungendi, quae cuncta ſub philoſophiam transſcendentem cadunt, cui hic nondum locus videtur.

Quodſi autem argumentum ad rationem cosmologicam ſemel inſtitueris, ſerie viſorum regreſſuque in ea ex legibus empiricis effectionis cauſarum fundamento poſitis; poſtea non poteris ab eo recedere atque ad aliquid tranſire, quod nullo modo qua articulus ad ſeriem pertinet. Nam in eadem ſignificatione accipiendum eſt aliquid qua conditio, quo ſenſu eius, quod ad conditionem adſtrictum eſt, relatio ad conditionem in ſerie accepta eſt, ad quam haec ſuprema conditio ducere in progreſſu continuo debebat. Si igitur haec relatio ſub ſenſus cadit, ad vſumque intelligentiae, qui eſſe poteſt, empiricum pertinet, tum ſuprema conditio cauſaue ex ſolis le-

ſumtioni repugnat. Ergo nec in mundo, nec extra mundum (cum illo tamen in colligatione cauſali) vſpiam natura abſolute neceſſaria videtur.

Scholion ad antinomiam quartam

II. ad antitheſin.

Si in adſcendenda viſorum ſerie, contra exſiſtentiam cauſae ſupremae abſolute neceſſariae difficultates putes offendere, hae non debent ſolis niti conceptibus exſiſtentiae neceſſariae rei cuiusdam in genere, neque proinde ontologicae eſſe, ſed e colligatione cauſarum cum ſerie viſorum emergere, vt ad eam conditio ſumatur, quae ipſa ſit a conditione libera, ideoque cosmologice atque ex legibus empiricis elici. Nimirum patebit, progreſſum in ſerie cauſarum (in mundo ſenſibili) numquam poſſe in conditione empirice abſoluta finiri, quodque a ratione fortuita ſtatuum cosmicorum ducitur, argumentum cosmologicum, pro mutationibus illorum, contra ſumtionem cauſae primae ſeriemque ſimpliciter primum incipiendi facere.

Verum in hac antinomia mirum quiddam contrarians apparet, ſcilicet ex eodem argumento, vnde in theſi exſiſtentia naturae primae eliciebatur, in antitheſi, eam non eſſe concludebatur, idque eadem ſubtilitate. Primo dicebatur; eſt natura neceſſaria, ſi quidem to-

gibus ſenſus poteſt, proinde qua ad ſeriem temporis pertinens regreſſum claudere, naturaque neceſſaria qua ſupremus ſeriei mundi articulus conſideranda erit.

Nihilominus tali licentia vſi ſunt ab eo, quod vere rem cauſamque continet, deflectendi (μεταβάσεως εἰς ἄλλο γένος). Nempe e mutationibus in mundo concluſerunt ad cauſas empirice determinantes, vnde exorta eſt ſeries conditionum adſcendens; et recte quidem. Cum autem in ea nullum primum initium nullusque articulus ſupremus poſſet inueniri, conceptu fortuiti empirico ſubito miſſo, ſumta eſt categoria pura, vnde ſeries tantummodo intelligibilis emerſit, cuius abſolutio (totalitas) in exſiſtentia poſita erat cauſae ſimpliciter abſoluteque neceſſaria, quae nunc, cum ad nullam conditionem ſenſibilem adſtricta teneretur, etiam a conditione temporis effectionem ipſa inſtituendi, liberata eſt. Quae quidem ratio prorſus illicita eſt, vti ex iis, quae ſequentur, intelligi poterit.

Senſu categoriae puro id fortuitum eſt, cuius e contrario disiunctum eſſe ab eo poteſt. Atqui a fortuito empirico ad fortuitum intelligibile non poteſt concludi. Quod mutatur, eius contrarium (ſtatus illius) alio quodam tempore exſtat, proinde quoque eſſe poteſt; proinde hoc non ex pugna cum priori ſtatu contrarium eſt, quippe ad quod opus eſt, vt eodem tempore, quo ſtatus prior erat, loco eius eſſe contrarium potuiſſet, id quod omnino haud poteſt e mutatione concludi. Corpus, quod in motu erat = A, iam quieſcit = non A. Inde ergo, quod ſtatus contrarius ſtatui A hunc ſequitur, prorſus non effici poterit, vt contrarium pugnans cum A eſſe poſſit, proinde A fortuitum videatur; etenim ad hoc opus eſſet, vt eodem tempore, quo motus erat, loco huiusce quies eſſe potuiſſet. Atqui nil quidquam novimus amplius, quam quietem ſequente tempore veram fuiſſe, proinde quoque eſſe potuiſſe. Sed motus hoc tempore, et quies tempore alio, ſibi inuicem haud ex pugna contraria videntur. Ergo ſucceſſione determinatio-

tum tempus praeteritum ſeriem conditionum omnium, et proinde etiam abſolutum (neceſſarium) in ſe continet; iam dicitur: nulla eſt natura neceſſaria, eadem de cauſa, quia totum tempus praeteritum ſeriem conditionum omnium (quae proinde viciſſim cunctae e conditione pendent) in ſe cohibet. Cuius quidem rei cauſa haec eſt. Argumentum prius ſpectat tantummodo totalitatem abſolutam in ſerie conditionum, quarum altera alteram in tempore definit, eoque abſolutum quiddam nanciſcitur et neceſſarium. Poſterius autem rationem fortuitam eorum omnium, quae in ſerie temporis determinata ſunt, ſub contemplationem vocat (ſi quidem quodque praecedit tempus, in quo ipſa conditio viciſſim vt aliunde pendens eſſe definita debet), quo cuncta a conditione libera, omniſque neceſſitas abſoluta prorſus removetur. Interim concludendi ratio in vtroque communi hominum rationi maxime conuenit, cui ſaepenumero accidit, vt ſecum ipſa pugnet, pro eo atque rem ſibi propoſitam e duobus locis diuerſis contemplatur. *Meiranus* certamen duorum celeberrimorum aſtronomorum, e ſimili difficultate de eligendo ſpectandi loco exortum, phaenomenon ſatis graue ducebat dignumque, de quo peculiarem libellum conſcriberet. Alter ita concluſit: *luna circa axem ſuam vertitur*, propterea, quod terrae ſemper eandem partem oſtendit; alter ſic: *luna haud vertitur circa axem ſuam*, ob eam ipſam

num contrariarum, id eſt, mutatione, nullo modo ratio fortuita e conceptibus intelligentiae purae probatur, ideoque etiam ad exſiſtentiam naturae neceſſariae e conceptibus intelligentiae purae non poteſt duci. Mutatio euincit duntaxat, fortuitum empiricum, id eſt, ſtatum nouum per ſe ipſum ſine cauſa, quae ad priſtinum tempus pertinet, nullum prorſus habere locum potuiſſe, ſecundum legem effectionis cauſarum. Sed haec cauſa, etiamſi qua abſolute neceſſaria accipiatur, nihilominus hoc modo in tempore inueniatur, neceſſe eſt, ad ſeriemque viſorum pertineat.

cauſam, quoniam terrae ſemper eandem partem oſtendit. Vtraque argumentatio vera erat, pro eo atque ſtationem ponerent, vnde motum lunae vellent obſeruare.

Antinomiae rationis purae

SECTIO TERTIA.

De inuitamento rationis in hacce pugna ſua.

En totum ludum dialecticum idearum cosmologicarum, non permittentium, vt ſibi congruens res obiecta in vlla quapiam, quae eſſe poſſit, experientia proponatur, quin ne quidem, vt ratio illas vniuerſalibus experientiae legibus congruenter cogitet, quae nihilominus tamen haud arbitrarie excogitatae ſunt, ſed ad quas ratio in continuo ſyntheſeos empiricae progreſſu neceſſario ducitur, cum id, quod ex legibus experientiae ſemper tantum ex adiunctione poteſt determinari, ab omni conditione liberare vult, in ſuaque totalitate abſoluta complecti. Hae adſertiones argutantes totidem periculis conatibusque continentur quaeſtiones quatuor naturales et ineuitabiles rationis explicandi, quarum ipſarum duntaxat totidem, nec plus, nec minus, eſſe poſſunt, quot ſeries ſunt ſumtionum ſyntheticarum, quibus ſyntheſis empirica ex anticipatione terminis coërcetur.

Splendidas illas petitiones rationis, ditionem ſuam vltra omnes experientiae terminos dilatantis, formulis duntaxat ieiunis propoſuimus, cauſam petitionis continentibus, et, vt decet philoſophiam transſcendentalem, ab omni eas ratione empirica liberauimus, quamquam omnis ſplendor adſertionum rationis tantum in coniunctione cum ea poteſt emicare. In hac applicatione autem et dilatatione progrediente vſus rationis, a campo experientiarum inſtituentis, atque vsque ad has ſublimes ideas pedetentim ſeſe euehentis, philoſophia dignitatem prodit, quae, ſi arrogantiam adſertionum tueri poſſet, pretium aliarum artium humanarum omnium longe antecelleret, propterea, quod fundamenta ſummarum exſpectationum ratione finium ſummorum, in quibus omnia rationis ſtudia conatusque demum coniungi debent, ea pollicetur. Vtrum mundus initium habeat, et terminum quempiam extenſionis in ſpatio, vtrum vſpiam et for-

taſſe in memet ipſo cogitante indiuidua quaedam vnitas ſit atque incorruptibilis, an nihil ſit, niſi diuiduum et caducum; vtrum in actionibus liber ſim, an, quemadmodum naturae caeterae, ad filum naturae ducar ſatique; vtrum denique ſuprema mundi cauſa exſtet, an res naturales earumque ordo in re obiecta vltima verſentur, in qua in omnibus deliberationibus noſtris conſiſtendum nobis ſit; quaeſtiones ſunt illae quidem, cum quarum ſolutione vniuerſam ſcientiam ſuam mathematicus libenter commutaret; quippe quae ratione ſummorum grauiſſimorumque finium generi humano propoſitorum nil quidquam poteſt aperire, in quo adquieſcat. Ipſa illa dignitas matheſeos (de qua iure ſuperbire ratio humana poteſt) poſita in eo eſt, vt, cum ea rationem ducat ad naturam rerum tum in maximis, tum in minimis quoad ordinem et conuenientiam, et vero etiam vnitatem virium eam mouentium admirabilem, longe vltra omnem exſpectationem philoſophiae in vulgari experientia nitentis, perſpiciendam, ea hoc ipſo ad vſum rationis vltra omnem experientiam dilatatum, anſam praebeat, ad eumque ſtimulet, itemque philoſophiae ea in re occupatae res praeclariſſimas ſubminiſtret, vt inueſtigatio illius, quantum eius natura permittit, viſionibus aptis atque accommodatis adiuuetur.

Per caſum contemplationi infauſtum (ſed fortaſſe bono deſtinationi hominis practicae) ratio, in media ſpe ſumma, ſentit ſeſe rationibus perturbari contrariarum rationum pondere debilitatis, ita, vt, et quo famae conſulat, et vel ipſius ſuae ſalutis cauſa, nequeat pedem referre, eamque litem tamquam merum ludum quemdam aequo animo ſpectare, multo minus pacem offerre, propterea quod res certamini propoſita permagni intereſt, eique nihil quidquam relinquitur, quam vt de origine huiusce diſſenſus rationis cum ſe ipſa cogitet, annon forte ſolus error in cauſa ſit, quo explicato vtriusque partis ſuperbae illae petitiones fortaſſe tollantur, contraque quietum rationis imperium in intelligentiam ſenſusque durabile incipiat.

Sed doctam illam ſubtilemque explicationem in praeſens in medio relinquamus, priusque conſideremus, a quarum parte potius ſtare velimus, ſi forte ad partes ſequendas cogamur. Quo quidem tempore cum haud obruſſam veri logicam, verum id, quod noſtra intereſt, conſulamus, haec inueſtigatio, etiamſi ratione iuris dubii vtriusque partis nil ea decernatur, hanc tamen vtilitatem adferet, vt planum faciat, cur litigantes vnam potius, quam alteram partem, ſecuti ſint, quamuis haud fere praecipua quaedam rei obiectae perſpicientia in cauſa fuerit, itemque vt aliae quoque res explicentur, veluti feruor ingens vnius, adſertioque grauis et aequa alterius partis, cur vni parti plauſum dare laetum malint, contraque alteram odio maxime obſeſſi teneantur.

Verum eſt aliquid, quod in hac diiudicatione praeuia locum definiat, ex quo illa ſolo poſſit, qua decet, ſubtilitate inſtitui, idque cernitur in comparatione principiorum, vnde ambae partes proficiſcuntur. In adſertionibus antitheſeos perfectam conuenientiam modi cogitandi plenamque ſententiae vnitatem animaduertimus, nempe principium empiriſmi puri, non ſolum in enodatione viſorum in mundo, verum etiam in ſolutione idearum transſcendentalium, de ipſa rerum vniuerſitate. Contra ea vero adſertionibus theſeos, praeter explicationem empiricam intra ſeriem viſorum, etiam initia intellectulia pro fundamento ponuntur, et eatenus regula haud ſimplex videtur. Eam autem a nota diſcernendi neceſſaria ſua *dogmatiſmum* rationis purae denominabo.

Igitur a parte *dogmatiſmi*, in determinandis ideis rationis cosmologicis, ſiue theſeos, emergit *primum* certum quiddam *actiuum*, quo quisque bene a natura informatus, ſi verum commodum ſuum nouerit, ex animo delectatur. Mundum initium habere, meum illud ipſe cogitans natura eſſe ſimplici et incorruptibili, memet porro in actionibus arbitrariis liberum neque coactioni phyſicae ſubiectum eſſe, vniuerſum tandem rerum ordinem, in quibus mundus conſiſtit, a natura prima venire, vnde cuncta vnitatem ſuam conuenientemque finibus ſuis coniunctionem

habeant, ea totidem ſunt fundamenta philoſophiae moralis ét religionis. Sed antitheſis hiſce fulcris omnibus ſpoliat nos, vel certe ſpoliare videtur.

Deinde vero etiam *contemplatiuum* quiddam, quo ratio delectatur, ab hac parte elucet. Namque ſi ideas transſcendentales ſic ſumas, iisque hoc modo vtare, plene ex anticipatione poteſt tota conditionum catena cohiberi, et eius, quod e conditione pendet, deriuatio comprehendi, propterea, quod ab abſoluto inſtituas, id quod haud praeſtat antitheſis, ſeſe commendans peſſime eo, quod ad quaeſtionem de conditionibus ſyntheſeos ea non poteſt reſpondere ita, vt ne in infinitum, quod porro quaeri poſſit, relinquatur. Secundum eam ab initio dato ad aliud altius progrediendum eſt, quaeque pars ad partem minorem ducit, quodque euentum aliud euentum, qua cauſa antecedit, et conditiones exſiſtentiae in genere ſemper viciſſim aliis conditionibus innituntur; ita, vt numquam in re quapiam in ſeſe conſiſtente qua natura prima firmitatem conſtantiamque nanciſcantur.

Tum tertio huic parti haud parum commendationis accedit ex ratione populari. Neque enim intelligentia communis in ideis initii abſoluti vniuerſae ſyntheſeos vel minimam difficultatem offendit, quippe quae praeterea conſueuerit, potius deorſum pergere ad conſequentia, quam ad cauſas progredi ſurſum, et in conceptibus primi abſoluti (cuius de poſſibilitate haud ea ſollicita eſt) commoditatem quandam habet, locumque fixum, quo filum graduum ſuorum iungat, cum e contrario progreſſione ad conditionem perpetua ab eo, quod ad conditionem adſtrictum eſt, ſemper vnum pedem in aëre ponens, nullo modo queat delectari.

Sed ex parte *empiriſmi* in determinandis ideis cosmologicis, ſiue *antitheſeos*, *primo* nil quidquam eiusmodi invitamenti practici e principiis rationis puris, quo ea oblectetur, adeſt, quod philoſophia moralis religioque in ſe continent. Potiusque empiriſmus ſolus vtramque omni vi virtuteque videtur priuare. Si nulla eſt natura

prima a mundo diuerſa, ſi mundus initio caret, ideoque auctore, ſi voluntas noſtra haud libera eſt, animaque perinde atque materia diuidua et corruptioni obnoxia videtur, etiam omnis idearum decretorumque moralium valor vſusque peribit, cadentque illae cum ideis transſcendentalibus, quibus fulcrum earum theoreticum efficitur.

Contra empirismus contemplatiuo rationis inuitamento commoda miniſtrat, quae maxime alliciunt, eaque longe illa ſuperant, quae doctor idearum rationalium dogmaticus poterit polliceri. Secundum empirismum intelligentia ſemper in proprio territorio ſuo commoratur, nempe in campo ſolius experientiae poſſibilis, cuius leges ea inueſtigare poteſt, earumque ope certam facilemque comprehenſu cognitionem in infinitum amplificare atque augere. Hic et poteſt ea et debet obiectam rem, tam per ſe ipſam, quam in adfectionibus eius, viſioni proponere, vel certe in conceptibus, quorum imagines in ſimilibus viſionibus datis perſpicue poſſunt dilucideque oſtendi. Non ſolum, quod non opus habet, catenam ordinis naturae deſerere, quo ideis adhaereſcat, quarum res obiectas haud nouit, quoniam qua res ſola cogitatione informatae dari numquam poſſunt; verum ne licet illi quidem, opus ſuum relinquere, neque ſub ſpecie operis confecti iam atque abſoluti, in ditionem transmigrare rationis ex ideis cogitantis atque ad conceptus transſcendentes, vbi haud amplius illi opus ſit, vt obſeruet atque legibus naturalibus conuenienter ſcrutetur, ſed tantummodo cogitet fingatque, freta, ſe non poſſe factis naturae refutatum iri, quia haud fere ad teſtimonium illius teneatur adſtricta, easque migrare queat, vel eas ipſas adeo maiori auctoritati, nimirum rationis purae, ſubiicere.

Quamobrem numquam empiricus concedet, vt quampiam ἐποχὴν naturae pro ſimpliciter prima ſumamus, aut quempiam terminum proſpectus in ambitum illius tamquam extremum conſideremus, aut a rebus obiectis naturalibus, quas obſeruationis ope ac matheſeos

diſſoluere poteſt atque in viſione ſynthetice determinare (ab extenſo), ad ea tranſeamus, quae nec ſenſu poſſunt, nec phantaſiae ope in ſingulo (concreto) proponi (ad ſimplex); neque etiam concedet, vt in *natura* ipſa facultatem a legibus naturae libere agendi (libertatem) fundamento ponamus, eaque intelligentiae negotio derogemus, atque ad filum neceſſariarum legum originem viſorum inueſtigemus; neque tandem hoc dabit, vt cuiuspiam rei cauſa extra naturam quaeratur (natura prima), quoniam praeter hanc nil quidquam nouimus, propterea quod ea ſola eſt, quae nobis res obiectas ſubminiſtrat, nosque ſola poteſt de legibus eius edocere.

Quodſi philoſophus empiricus in antitheſi nihil ſibi aliud propoſitum haberet, quam vt audacia atque temeritas rationis, id, cuius cauſa adeſt, praue iudicantis, proſternatur, quae de *perſpicientia ſcientiaque* earum rerum gloriatur, quarum proprie nulla eſſe perſpicientia ſcientiaque poteſt, idque, quod ratione inuitamenti practici probatur, pro adiumento contemplatiui inuitamenti venditare vult, vt, vbi commoditati ſuae congruere videt, quaeſtionum phyſicarum filum abrumpat, illudque ſub ſpecie cognitionis augendae, ad ideas iungat transſcendentales, quibus proprie tantummodo cognoſcimus, nos *nihil* quidquam *ſcire;* ſi, igitur, philoſophus empiricus in his acquieſceret, tum decretum eius in ſententia cerneretur temperantiae in arrogando, modeſtiae in adſeuerando, et ſimul in amplificatione, quae eſſe poſſit, maxima intelligentiae noſtrae, per magiſtram nobis proprie datam, nimirum experientiam. Tum enim *ſumtiones* intellectuales *fidesque* in gratiam rationis noſtrae practicae nobis haud adimerentur; ſed ſub ſpecie pompaque ſcientiae intellectusque rationalis poſſent illae quidem non prodire, quoniam propria illa *ſcientia* contemplatiua nullam rem aliam poteſt, quam quae experientiae ſubiecta eſt, attingere, eiusque terminis migratis, ſyntheſis, quae nouas atque ab illa liberas cognitiones tentat, non habet, quod viſioni ſubſtratum ſit, atque in quo illa queat exerceri.

Cum autem ipſa empiricorum ſententia ratione idearum (vt plerumque fit) formam dogmaticam induit, idque fidenter negat, quod ſphaeram ſuperat cognitionum ſuarum intuitiuarum, tum ipſa in vitium immodeſtiae incidit, quod eo dignius reprehenſione videtur, quo grauior calamitas eſt, quae iis, quorum nobis e ratione practica intereſt, adferri videtur.

Atque haec quidem ſententia *Epicuri**) eſt, contraria *Platonis* ſententiae.

Vterque plus profitetur, quam nouit, ita tamen, vt ille ſcientiam, quamquam in fraudem practicae rationis, excitet et adiuuet, hic eorum quidem, quae in actione poſita ſunt, principia praeclara ſuppeditet, ſed eadem ipſa re ratione eorum, quorum ſolorum nobis ſcientia contemplatiua conceſſa eſt, rationi permittit, vt viſorum naturalium enodationes ſectetur ideales, inueſtigatione phyſica neglecta.

Tertio denique, quod momentum attinet, quod in optione praeuia poteſt inter duas partes diſceptantes ſpectari, admodum mirum eſt, rationem empiricam omni populari rationi prorſus aduerſari, quamuis credi de-

*) Sed tamen adhuc quaeritur, an haec decreta vmquam vt adſertiones obiectiuas Epicurus propoſuerit. Si forte nil ea erant, niſi regulae vſus rationis contemplatiui, ex iis eius ingenium philoſophicum verius eluxit, quam vllius cuiuspiam philoſophorum veterum. Vt in explicandis viſis ita verſari debeamus, ac ſi campus inueſtigationis nullis terminis initiisue mundi praecidatur; vt materia mundi ita ſumatur, vti ea eſſe debet, ſi de ea per experientiam cupimus edoceri; vt nulla alia euentorum generatio, quam quomodo ea ex legibus phyſicis mutationi haud obnoxiis determinentur, tandemque nulla cauſa a mundo diuerſa debeat adhiberi; haec omnia in decretis ſunt etiamnunc veris, ſed parum ſeruatis, philoſophiae contemplatiuae amplificandae, principiorumque doctrinae moralis, ab alienis fontibus adiutoriis libere inueniendorum, ita quidem, vt propterea is, qui pronunciata illa dogmatica, quousque in ſola contemplatione verſemur, vult *ignorari*, inculpari debeat, ſe illa velle *negare*.

beret, intelligentiam communem cupide amplexaturam conſilium, quod eam nulla re alia, atque cognitionibus empiricis earumque contextu rationi congruo, pollicetur expleri, cum e contrario dogmatica transſcendentalis eum cogat, vt ad conceptus progrediatur, intellectum rationisque facultatem ingeniorum in cogitando exercitatiſſimorum longe ſuperantes. Verum hoc ipſo momento ducitur. Quandoquidem ea tum in ſtatu verſatur eo, quo vel doctiſſimus quisque ſibi non poteſt quidquam prae illo arrogare. Si parum vel nihil earum rerum intelligit, tamen poterit nemo gloriari, ſe multum pluris de iis intelligere, et quamuis nequeat de illis tam artificioſe loqui, quam alii, tamen de iis poteſt infinite plura argutari, ſi quidem in meris ideis obambulat, de quibus ob eam ipſam cauſam facundiſſime poſſis diſſerere, quoniam eas *prorſus neſcias;* cum tamen de perſcrutatione naturae penitus obmuteſcere, de ſuaque ignorantia fateri cogeretur. Itaque haec decreta permagnam iam commendationem habent ſui ex commoditate vanitateque. Praeterea quamuis grauetur philoſophus, vt decretum eligat, cuius non poſſit ſibi rationem reddere, atque adeo conceptus introducat, quorum veritas (realitas) obiectiua nequeat perſpici; tamen intelligentiae communi nihil vſitatius videtur. Cupit ea aliquid habere, in quo tuto poſſit initium capi. Neque difficultate ſollicitatur eiusmodi ſumtionis comprehendendae, quoniam ei (qui, quid comprehendi ſit, neſcit), numquam illa in animum venit, idque notum ac peruulgatum putat, quod vſu crebro ac diuturno illi frequentatum videtur. Verum poſtremo omne inuitamentum contemplatiuum prae actiuo illi euaneſcit, illudque ſeſe perſpicere opinatur ac ſcire, quod vt amplexetur credatve, metu aut ſpe impellitur. Ita fit, vt ratio empirica rationis in via transſcendentali ideas ſectantis omni popularitate ſit prorſus priuata, atque, vtcumque ſupremis decretis practicis illa infenſa videatur, tamen haud quaquam metuendum eſt, ne vmquam terminos ſcholae migratura, atque in republica auctoritatem aliquam gratiamque multitudinis conſecutura videatur.

Ratio humana per naturam ſuam architectonica eſt, id eſt, omnes notitias ſpectat tamquam ad aliquod, quod eſſe poſſit, ſyſtema pertinentes, proinde quoque ſolum ea principia permittit, quibus quaedam inſtituta cognitio ſaltim haud impeditur, quo minus fere poſſit vna cum aliis in quopiam ſyſtemate reponi. Sed pronunciata antitheſeos eam naturam habent, vt iis prorſus fieri nequeat abſolutio contextus cognitionum. Ex iis enim praeter ſtatum mundi quendam ſemper alius eſt ſtatus vetuſtior, in quaque parte ſemper inſunt aliae partes rurſus diuiduae, ante quodque euentum eſt aliud, quod viciſſim itidem aliunde generatum eſt, atque in exſiſtentia omnia omnino ſunt tantummodo ad leges adſtricta, ita, vt nuſpiam exſiſtentia abſoluta primaque agnoſcenda videatur. Cum igitur antitheſi nuſpiam quiddam primum concedatur, nullumque initium ſimpliciter poſſit abſoluteque fundamento eſſe, plenus abſolutusque cognitionum contextus, eiusmodi ſumtis, eſſe nullo modo poteſt. Igitur inuitamentum rationis architectonicum (quod haud empiricam, ſed puram rationis vnitatem ex anticipatione poſtulat), naturalem in ſe commendationem cohibet adſertionum theſeos.

Quodſi autem quispiam ab omni ſe inuitamento poſſet abdicare, adſertionesque rationis, ad omnes conſequentias medius atque indifferens, ex ſolo pretio rationum ſub contemplationem vocare; is, vt nullum ſciret exitum, ſecus ſeſe e difficultatibus expediendi, atque, ſi vnam vel alteram ſententiarum controuerſarum profiteretur, perpetuo in dubio atque ancipiti haereret. Hodie videretur ſibi de voluntate hominis libera perſuaſus; cras, ſi inſolubilem naturae catenam conſideraret, libertatem nil niſi illuſionem ſui duceret, omniaque *naturalia* putaret. Sin autem ad agendum ventum ſit, tum hicce luſus rationis ſolius contemplatiuae, velut vmbrae ſomnii, euaneſceret, ſuaque principia ad ſolum inuitamentum practicum eligeret. Quoniam autem naturam cogitantem atque inueſtigantem decet, certa tempora ſoli ipſius ſui rationi examinandae impendere, in eo

vero omne partium ſtudium deponere, atque ita obſervata aliis diiudicanda palam proponere; nemo poterit nec reprehendi, nec prohiberi, theſes pariter atque antitheſes, vti ſe, nullis comminationibus perculſae coram iuratis ſui ipſius ordinis (coram ordine puta hominum imbecillium) defendere poſſunt, in medium adferre.

Antinomiae rationis purae

SECTIO QUARTA.

De quaeſtionibus transſcendentalibus rationis purae, quatenus abſolute ſolui poſſe oporteat.

Omnia, quae proponuntur, explicare velle, ad omniaque, quae quaeruntur, reſpondere, impudicae iactantiae foret, arrogantiaeque ita exorbitantis, qua illico omnem apud alios fiduciam perderes. Nihilominus tamen artes reperiuntur, quarum natura ita fert, vt quaeque in iis quaeſtio obuia ex iis, quae ſcimus, ſimpliciter explicanda videatur, eo quod explicatio iisdem de fontibus, vnde quaeſtio oritur, debet promanare, atque vbi nullo modo permiſſum eſt, vt ignorantiam inevitabilem praetendamus, ſed enodatio queat poſtulari. Quid ſingulis, quae cogitari poſſunt, temporibus iuſtum aut iniuſtum ſit regulariter, neceſſe eſt, vt ſcire poſſimus, ſi quidem obligationem noſtram attingit, neque eius, quod ſcire haud poſſumus, vllam obligationem habemus. Interim in enodandis naturae viſis multa, oportebit, incerta nobis, multaeque quaeſtiones inenodabiles maneant, quoniam id, quod de natura rerum ſcimus, ad ea, quae nobis explicanda ſunt, permultum abeſt, vt in omnibus cauſis ſatis videatur. Quocirca quaeritur: an vlla quaepiam quaeſtio philoſophiae transſcendentalis, quae rem obiectam ſpectat rationi propoſitam, eadem ipſa ratione enodari nequeat, atque an iure poſſis illius deciſionem recuſare eo, vt eam rem, tamquam ſimpliciter abſoluteque incertam (ex vniuerſis iis, quae poſſunt a nobis cognoſci), iis adnumeremus, de quibus quidem cogitationem habemus, quae ſufficit, vt quaeſtionem

proponamus, cuius quidem vmquam expediendae prorſus nobis aut ſubſidia deſunt aut facultas.

Iam adfirmo, philoſophiam transſcendentalem omnium notitiarum contemplatiuarum ſolum hoc peculiare habere: nullam quaeſtionem, rem oblatam quandam rationi purae propoſitam attingentem, eidem humanae rationi inenodabilem eſſe, neque vllum praetextum ignorantiae ineuitabilis profunditatiſque immenſae quaeſtionis poſſe ab obligatione liberare, plene perfecteque eam explicandi; ſi quidem idem conceptus, quo efficitur, vt quaerere poſſimus, neceſſario nos etiam reddere idoneos debet, ad quaeſtionem iſtam expediendam, propterea quod res obiecta extra conceptum nuſpiam deprehenditur (quemadmodum in iuſto atque iniuſto).

Nec vero in philoſophia transſcendentali quaeſtiones aliae ſunt, quam coſmologicae, quarum ratione iure poteſt plena numeriſque abſoluta reſponſio poſtulari, quae obiectae rei naturam ſpectet, neque philoſopho licebit, illam eo ſubterfugere, vt obſcuritatem imperuiam praetendat, eaeque quaeſtiones ſolas poſſunt ideas coſmologicas attinere. Namque res obiecta empirice data eſſe debet, quaeſtioque ſpectat tantummodo conuenientiam eius cum idea quadam. Si res obiecta transſcendentalis eſt, et proinde ignota ipſa, veluti an quiddam illud, cuius viſum (in nobis ipſis) in cogitatione (anima) verſatur, natura per ſe ſimplex ſit, an natura rerum vniverſarum exſtet abſolute neceſſaria, et ſic porro, tum ad ideam noſtram quaeri res obiecta debet, quam fateri poſſimus *nobis* eſſe ignotam, neque tamen non eſſe poſſe.*) Ideis coſmologicis ſolis hoc proprium ineſt, vt rem ſibi obnoxiam, ſyntheſinque empiricam ad eius conceptum neceſſariam ſumere. qua datam poſſint, quaeſtioque ex iis

*) Ad quaeſtionem, quaenam natura obiectae rei transſcendentalis ſit, reſponderi quidem non poteſt, ita ſcilicet, vt aperiatur, *quid ea ſit*, et quanam in re verſetur, ſed tamen ſic, vt *quaeſtionem* eſſe *nullam* ſignificemus, propterea quod nulla res ei ſubiecta data ſit atque propoſita. Quocirca ad omnes quaeſtiones pſychologiae transſcendentalis etiam poteſt

oriunda tantummodo progreſſum ſpectat ſyntheſeos huiusce, quatenus eo totalitas abſoluta contineri debet, quae quidem nil quidquam amplius empiricum eſt, propterea illa non poteſt in vlla quapiam experientia proponi. Igitur cum hoc loco duntaxat de re ſermo ſit qua experientiae, quae eſſe poſſit, obnoxia, neque qua de re per ſe ipſa, ſolutio quaeſtionis cosmologicae transſcendentalis, extra ideam nuſpiam eſſe poterit, ſi quidem haud ea rem attingit per ſe ipſam; atque ratione experientiae poſſibilis non id quaeritur, quod in ſingulo (concreto) in quapiam poſſit experientia oſtendi, ſed quid in idea inſit, cui ſyntheſis empirica debeat tantummodo appropinquare; ergo neceſſe eſt, vt ex idea ſola queat ſolui; namque haec in ſolis effectis rationis verſatur, quae proinde non poteſt culpam a ſe remouere, atque in obiectam rem ignotam transferre.

Atque haud ita mirum eſt, vti primo quaſi adſpectu videtur: doctrinam ratione omnium quaeſtionum domeſticarum meras certas ſolutiones et poſtulare poſſe et exſpectare, quamuis fortaſſe nondum repertae videantur. Praeter philoſophiam transſcendentalem duae ſunt doctrinae purae rationis, quarum vna ſolam contemplationem ſpectat, altera actionem, nempe *matheſis pura* et *philoſophia moralis pura*. Anne vmquam audiuimus, quaſi ex ignorantia quadam conditionum neceſſaria, incertum eſſe declaratum, quamne proportionem diameter ad peripheriam exacte habeat in numeris rationali-

reſponderi, vti vere reſponſum eſt; ſi quidem ſubiectum transſcendentale attingunt omnium viſorum internorum, quod ipſum haud poſitum in viſo eſt, nec proinde qua res obiecta datum eſt, atque in quo nullae categoriae (quas tamen proprie quaeſtio ſpectat) ad conditiones inveniunt ſui ad vſum transferendi. Itaque hic locum habebit, quod in vulgus dicitur, nullam reſponſionem etiam reſponſionis vicem explere, nempe quaeſtionem de natura illius cuiuſpiam, quod nullo poteſt attributo definito cogitari, propterea quod prorſus extra ſphaeram illud ponitur rerum obiectarum, penitus irritam atque inanem eſſe.

bus et irrationalibus? Cum priori neutiquam ea poſſit congruenter dari atque proponi, ſed poſteriori nondum inuentum ſit, iudicatum eſt, ſaltem certo poſſe cognoſci, eam ſolutionem nullo modo fieri poſſe, cuius rei quidem *Lambertus* argumentum dedit. In principiis morum vniuerſalibus nil eſſe quidquam incerti poteſt, quandoquidem enunciationes aut prorſus vanae ſunt et inani voce ſonant, aut e ſolis noſtris conceptibus rationis manare debent. Contra in phyſicis infinitas eſt coniecturarum, quarum ratione numquam poteſt certitudo exſpectari, propterea quod phaenomena phyſica in rebus obiectis verſantur, quae nobis a conceptibus noſtris liberae proponuntur quorum proinde aperiendorum clavis haud in nobis noſtraque cogitatione, ſed extra nos eſt, ob eandemque ipſam cauſam ſaepenumero non inueniri, proinde nulla certa patefactio ſperari poteſt. Quaeſtiones autem analytices transſcendentalis, quae deductionem attingunt cognitionis purae noſtrae, huc non referendas duco, quoniam in praeſens tantummodo de firmitate iudiciorum ratione rerum obiectarum, non ratione originis ipſorum conceptuum noſtrorum agimus.

Quamobrem ab obligatione propoſitarum rationis quaeſtionum critice ſaltim ſoluendarum eo haud nos poterimus liberare, vt de anguſtis rationis noſtrae carceribus querelas tollamus, et ſpecie cognitionis noſtri ipſius modeſte confiteamur, vim omnem rationis noſtrae ſuperare, vt decernamus, vtrum mundus ſit ab aeterno, an initium ceperit; vtrum ſpatium mundi in infinitum ſit naturis refertum, an intra certos terminos incluſum videatur; vtrum quidpiam in mundo ſimplex ſit, an vniuerſa in infinitum ſecari debeant ac diuidi; vtrum generatio quaedam ac propagatio ex libertate ſit, an cuncta ad catenam nexa pendeant ordinis naturae rerum; vtrum denique quaepiam natura ſit prorſus abſoluta ac per ſe neceſſaria, an vniuerſa quoad exſiſtentiam ad conditiones adſtricta ſint, proinde extrinſecus aliunde pendeant atque fortuita videantur. Namque vniverſae quaeſtiones iſtae rem ſpectant obiectam, quae

nuſpiam poteſt niſi in cogitatione noſtra proponi, nempe totalitatem ſimpliciter abſolutam ſyntheſeos viſorum. De qua ſi ex conceptibus noſtris nil certi quidquam pronunciare poſſumus aut ſtatuere, culpam non in rem debemus transferre, nobis ſeſe occultantem; namque eiusmodi res (propterea quod ea extra ideam noſtram nuſpiam deprehenditur) nullo modo nobis poteſt proponi, verum cauſa nobis in ipſa idea noſtra quaerenda eſt, quae quidem poſita in problemate eſt, quod nullam ſolutionem patitur, cuique nihilominus veram rem obiectam ſumimus reſpondere. Perſpicua explicatio dialectices, quae in ipſo noſtro conceptu ineſt, breui nos ad plenam firmitatem duceret de eo, quod ratione eiusmodi quaeſtionis nobis iudicandum videretur.

Veſtro quidem praetextui incertitudinis ratione horum problematum primum haec poteſt quaeſtio opponi, ad quam vos certe dilucide debebitis reſpondere: Vnde vobis exſiſtunt ideae, quarum ſolutione tantis difficultatibus hoc in loco impedimini? An forte viſa ſunt, quorum enodatione egetis, quorumque, ex hiſce ideis, duntaxat principia, regulamue expoſitionis illorum quaerere debetis? Ponatis, naturam eſſe totam vobis apertam, nil quidquam eſſe, quin ſenſibus veſtris, et conſcientiae eorum omnium, quae viſioni veſtrae propoſita ſunt, pateat; tamen ne per vllam quidem experientiam rem ideis veſtris ſubiectam in ſingulo (concreto) poteritis cognoſcere (etenim, praeter hancce viſionem plenam, et ſyntheſis perfecta, atque conſcientia opus eſt totalitatis illius abſolutae, id quod nulla prorſus fieri poteſt cognitione empirica), proinde quaeſtio veſtra nullo modo poteſt ad explicationem cuiuspiam viſi obuii neceſſaria eſſe, ideoque quaſi per ipſam rem obiectam propoſita. Namque res obiecta illa vobis numquam poteſt obuia eſſe, ſi quidem ea per nullam experientiam poſſibilem poteſt proponi. Cum vniuerſis perceptionibus, quarum eſſe copia poterit, ſemper conditionibus conſtricti linquemini, ſiue in ſpatio, ſiue in tempore, neque abſoluti quidquam attingetis, quo ſtatuere poſſitis, vtrum

hoc abſolutum in initio ſyntheſeos abſoluto quodam, an totalitate ſeriei abſoluta, ſine omni initio, ponendum videatur. Vniuerſitas autem ſenſu empirico ſemper tantummodo comparatiua eſt. Vniuerſitas abſoluta quantitatis (vniuerſitas rerum), diuiſionis, deriuationis, conditionis exſiſtentiae in genere, vna cum omnibus quaeſtionibus, vtrum ex finita, an in infinitum continuanda ſyntheſi perfici queat, nequaquam experientiam vllam poſſibilem attinet. Velut viſa cuiusdam corporis minime melius, aut etiam tantummodo aliter poſſetis explicare, ſiue, illud e ſimplicibus conſtare partibus, ſumatis, ſiue prorſus compoſitis effici; namque vobis nullum vmquam ſimplex viſum poteſt, atque aeque minus compoſitio infinita quaedam obuia eſſe. Viſa ſe volunt tantummodo explicari, quatenus conditiones explicandi datae ſunt in perceptione, omnia vero, quae vmquam in iis dari proponique poterunt, in *toto abſoluto* complexa, ipſa in perceptione verſantur. Atque huiusce vniuerſitatis explicatio proprie in quaeſtionibus rationis transſcendentalibus poſtulatur.

Cum igitur ſolutio quaeſtionum illarum ipſa numquam poſſit in experientia occurrere, non poteritis dicere, incertum eſſe, quae praeterea rei obiectae ſint attribuenda. Namque res obiecta veſtra in ſolo ineſt veſtro ingenio, neque extra illud vllo modo poteſt proponi; proinde vobis id modo curandum erit, vt vobismet ipſis conveniatis, atque amphiboliam vitetis, quae ideam veſtram in repraeſentationem putatitiam mutat rei empirice datae, ideoque etiam obiectae rei ex legibus empiricis cognoſcendae. Quocirca ſolutio dogmatica haud fere incerta eſt, ſed plane fieri non poteſt. Verum critica ſolutio, quae prorſus certa eſſe poteſt, quaeſtionem neutiquam obiectiue conſiderat, ſed ex fundamento cognitionis, in quo ea conſtituta eſt.

Antinomiae rationis purae

SECTIO QUINTA.

Deſcriptio ſceptica quaeſtionum cosmologicarum per omnes quatuor ideas transſcendentales.

Ab eo, quod poſtulauimus, vt ſcilicet ad quaeſtiones noſtras dogmatice reſponderetur, libenter deſiſteremus, ſi iam in anteceſſum comprehenderemus: fore, vt reſponſio, vtcumque illa cadat, ignorantiam noſtram magis auctura, nosque ex vno incomprehenſo in aliud incomprehenſum, ex vna obſcuritate in aliam maiorem, et, haud ſcio, an in repugnantias praecipitatura videatur. Quodſi quaeſtio noſtra tantummodo ad aiendum negandumue proponatur, prudentia ſuadet, vt, quas ſuſpicari poſſis, reſponſionis rationes in praeſens in medio relinquamus, atque inprimis ſub contemplationem vocemus, quid tum lucraturi ſimus, ſi reſponſio in gratiam huius contrariaeue partis cadat. Si igitur accidat, vt ex vtraque parte nil niſi caſſum quiddam et inanis vocis ſono decoratum dicatur, tum iure prouocamur, vt ipſi quaeſtionem noſtram critice examinemus, videamusque, annon ipſa in ſumtione lubrica poſita ſit, in ideaque ludat, quae falſitatem ſuam melius in applicatione et per conſequentias ſuas, quam in repraeſentatione ſeparata prodat. Atque in hoc magna illa cernitur vtilitas, quam adfert via ſceptica tractandi quaeſtiones, a ratione pura purae rationi propoſitas, et qua fit, vt paruo ſumtu poſſit ingente farragine dogmatica ſuperſederi, quo in eius locum critica ſobria ſufficiatur, qua, vt vero καταρκτικῷ, opinio, vna cum comite ſua, multiſcientia, commode exſtirpetur.

Quocirca ſi praeuidere poſſem, ideam cosmologicam, ad quamcumque partem abſoluti ſyntheſeos viſorum regreſſiuae ea ſe verſura ſit, tamen ad quemque *intelligentiae conceptum* aut nimis *magnam* fore, aut nimium *paruam;* ſane comprehenderem, illam, cum tantum in re experientiae ſubiecta verſetur, quae poſſibili

intelligentiae conceptui conuenire debet, prorſus inanem, eique nullam ſubiectam ſententiam eſſe, propterea quod res obiecta ad eam haud quadrat, vtcumque eam illi aptem. Id quod reuera accidit in omni conceptu cosmico, quo, ob eam ipſam cauſam, ratio, quam diu illi adhaeret, antinomia ineuitabili implicatur. Namque *primo* conſtituatis: *mundum nullum habere initium*, tum ad conceptum veſtrum is nimium *magnus* videbitur; ſi quidem hic, qui in regreſſu ſucceſſiuo cernitur, numquam ad totam poteſt aeternitatem elapſam pertinere. Verum ponatis: *mundum initium habere*, tum rurſus ad conceptum intelligentiae veſtrum in *neceſſario regreſſu empirico* nimis *paruus* erit. Etenim, quoniam initio ſemper tempus ponitur antegreſſum, illud nondum abſolutum eſt, et lege vſus intelligentiae empirici vobis praecipitur, vt conditionem altiorem temporis quaeratis, proinde mundus manifeſto ad hancce legem nimium paruus videtur.

Eadem vero ratio eſt quaeſtionis duplicis de magnitudine mundi ratione ſpatii. Si enim ea infinita ſit nullisque carceribus circumſcripta, tum ad omnem conceptum empiricum nimis *magna* eſt. Si *finita* ſit et terminis incluſa, tum iure adhuc quaeretis: quanam re iſti termini conſtituantur? Spatium vacuum non cernitur in correlato rerum in ſeſe conſiſtente, neque illud eſſe conditio poterit, in qua poſſitis conſiſtere, multo minus conditio empirica, partem experientiae poſſibilis conſtituens (cui enim eſſe experientia poteſt ſimpliciter vacui?). Sed ad totalitatem abſolutam ſyntheſeos empiricae ſemper requiritur, vt abſolutum in conceptu verſetur empirico. Ergo *mundus terminis circumſcriptus* ad conceptum veſtrum nimium paruus videtur.

Deinde, ſi quodque viſum in ſpatio (materia) *partibus infinite multis* efficiatur, tum regreſſus diuiſionis ad conceptum veſtrum ſemper *nimis magnus* erit; ſi diuiſio ſpatii autem in quopiam fere articulo eius (in ſimplici) deſinat; tum ideae abſoluti *nimis paruus* erit. Quo quippe articulo ſemper regreſſus ad plures partes in eo complexas relinquitur.

Tertio ſumatis: in vniuerſis illis, quae in mundo eueniunt, nihil eſſe, niſi euenta ex legibus *naturae;* tum effectio cauſae viciſſim erit ſemper aliquid, quod ſit, veſtrumque regreſſum ad cauſam altiorem, proinde dilatationem ſeriei conditionum a parte priori ſine intermiſſu neceſſariam efficit. *Natura* ſolum efficiens proinde ad omnem conceptum veſtrum in ſyntheſi euentorum cosmicorum, nimis *magna* erit.

Quodſi paſſim euenta *ſponte* effecta eligatis, proinde generationem ex *libertate;* tum vos de cauſa, cur fiat, ex lege naturae ineuitabili interrogatio perſequetur, cogetque, vt hunc locum ex lege cauſarum experientiae migretis, atque inuenietis eiusmodi totalitatem coniunctionis ad veſtrum neceſſarium conceptum empiricum nimis *paruam* videri,

Quarto denique, ſi naturam *abſolute neceſſariam* conſtituatis (ſiue mundum ipſum, ſiue aliquid in mundo, ſiue cauſam mundi): ponitis eam in tempore a quouis dato temporis puncto infinite remoto; ſi quidem alioquin ex alia atque antiquiore exſiſtentia penderet. Tum autem haec exſiſtentia veſtro conceptui empirico inacceſſa eſt nimisque *magna*, quam vt vnquam quopiam regreſſu continuato ad eam poſſitis pertinere.

Sin autem, e ſententia veſtra, vniuerſa, quae ad mundum pertinent (ſiue qua ad conditionem adſtricta, ſiue qua conditiones), *fortuita* ſint; tum quaeque exſiſtentia vobis data atque propoſita conceptui veſtro nimis *parua* videbitur. Si quidem illa cogemini, vt ſemper aliam exſiſtentiam quaeratis, vnde ea pendere videatur.

In omnibus hiſce cauſis *ideam cosmologicam* ad regreſſum empiricum, proinde ad quemque poſſibilem intelligentiae conceptum vel nimium *magnam* diximus, vel nimis *paruam*. Cur haud viciſſim retro pronunciauimus, in priori caſu conceptum empiricum ſemper ideae eſſe nimis paruum, in altero autem nimis magnum eſſe, ideoque culpam quaſi in regreſſu empirico haerere; cum e contrario ideas cosmologicas incuſaremus, quod eae in

exceſſu vel defectu a fine ſuo propoſito, nempe experientia poſſibili, aberrent? Cauſa haec erat. Experientia poſſibilis cernitur in eo, quod ſolum poteſt conceptui noſtro veritatem (realitatem) impertire; quippe ſine quo omnis conceptus in mera idea verſatur, et veritate deſtituta, et ad rem obiectam adfectione. Inde conceptus poſſibilis empiricus erat norma, ad quam ideae debebat iudicari, vtrum mera idea et res ex ſola cogitatione effecta ſit, an in mundo rem obiectam reperiat. Namque illud tantummodo comparatione cum alio quopiam nimium magnum paruumue dicitur, quod tantum huius poſterioris cauſa ſumitur, ad illudque componitur. In ludicris veterum ſcholarum dialecticarum erat et haec quaeſtio: cum globus non poteſt per foramen mitti, quid tum erit dicendum? eſtne globus nimium magnus, aut foramen nimis paruum? Qua quidem in cauſa ad rem nihil intereſt, quid dicatis; neque enim noſtis, quid horum amborum alterius cauſa adſit. Contra neutiquam dicetis: homo ad veſtem nimis longus eſt, ſed veſtis ad hominem nimium breuis.

Quamobrem in ſuſpicionem veram ſumus adducti, ideas cosmologicas, cum iisque omnes ſibi inuicem contrarias adſertiones argutantes, in inani forte quodam ac mere commentitio conceptu modi illius, quo res hiſce ideis ſubiecta nobis proponatur, fundamentum habere, qua quidem ſuſpicione duci iam poſſumus ad veſtigium verum, quo illuſionem aperiamus, quae errorem nobis tam diuturnum contraxerat.

Antinomiae rationis purae.

SECTIO SEXTA.

Idealiſmus transſcendentalis, vtpote clauis dialectices cosmologicae aperiendae.

In aeſthetica transſcendentali ſatis euicimus: omnia, quae in ſpatio aut tempore videntur, proinde res vniuerſas experientiae, quae nobis poteſt eſſe, obnoxias,

nil niſi viſis contineri, id eſt, repraeſentationibus, quae ita, vti repraeſentantur, qua naturae extenſae, ſeriesue mutationum, extra cogitationes noſtras nullam in ſe fundatam exſiſtentiam habere videantur. Hanc doctrinam *idealiſmum transſcendentalem* *) appellabo. Sectator realismi ſenſu transſcendentali haſce mutationes ſenſus noſtri res facit in ſeſe conſiſtentes, et proinde *repraeſentationes* meras ſtatuit res per ſe ipſas.

Is nobis vim adferret, qui idealismum empiricum dudum explosum nobis obtruderet, qui quidem, propterea, quod veram ſpatii exſiſtentiam ſtatuit, naturarum extenſarum in illo negat, certe dubiam putat, eaque in re inter ſomnium et veritatem nullum diſcrimen agnoſcit, quod ſatis poſſit doceri. In viſis quidem ſenſus intimi in tempore, vt rebus in veritate apparentibus, nulla difficultate vrgetur; quid? quod contendit, hac experientia intima veram exſiſtentiam rei illi ſubiectae (in ſe ipſam, cum omni hac determinatione chronica) vna ſolaque ſatis firmari.

Contra idealismus noſter transſcendentalis res viſioni externae propoſitas concedit, ita, vti in ſpatio videntur, etiam vere exſtare, omnesque mutationes in tempore, ita vti ſenſu interno repraeſentantur. Etenim, cum iam ſpatium in forma cernatur viſionis illius, quam externam vocamus, atque, ſine rebus obiectis in eo, nullae omnino repraeſentationes forent empiricae, veras atque apparentes in eo naturas extenſas ponere et poſſumus et debemus, pariterque etiam cum tempore comparatum videtur. Sed illud ipſum ſpatium, vna cum tempore hocce, et, ſimul cum vtroque, viſa vniverſa, tamen in ſe ipſa in nullis *rebus* verſantur, ſed in meris repraeſentationibus, neque vllo pacto poſſunt ex-

*) Quem alias quoque nonnumquam dixi idealismum *formalem*, quo a *materiali*, id eſt, communi vulgarique, qui ipſarum externarum rerum exſiſtentiam vel dubitat vel negat, diſtinguatur. Vt omnem nos calumniam euitemus, ſubinde ſatius duco, his potius vocabulis vti, quam quibus ſupra vſi ſumus.

tra animum noſtrum exſtare, et vel ipſa viſio interna et ſenſitiua animi noſtri (qua rei conſcientiae ſubiectae), cuius determinatio ſucceſſione ſtatuum diuerſorum in tempore repraeſentatur, etiam non eſt verum illud *ipſe*, vti per ſe exſtat, ſiue ſubiectum, quod vocant, transſcendentale, ſed tantummodo viſum quoddam, ſenſui naturae huiusce nobis ignotae datum. Sed exſiſtentia huius viſi intimi, qua rei per ſe exſtantis, non poteſt concedi, eo quod conditio eius tempus eſt, quod nulla cuiuspiam rei per ſe ipſius conditio eſſe poteſt. In ſpatio autem ac tempore veritati viſorum empiricae ſatis proſpectum eſt, eaque ab adfinitate ſomnii iuſto diſcrimine ſeparatur, vtroque ex legibus empiricis in experientia quadam recte prorſusque cohaerente.

Quocirca res experientiae obnoxiae numquam per ſe ipſae ſunt, ſed modo in experientia datae, neque omnino extra illam exſtant. Incolas poſſe in luna eſſe, quamuis eos nemo homo vmquam perceperit, ſane debet concedi, ſed hanc modo vim habet: nos poſſe in progreſſu experientiae poſſibilis demum in illos incidere; ea enim vniuerſa vera ſunt, quae cum perceptione quadam ex legibus progreſſus empirici contextu continentur. Igitur tum vere exſtant, ſi cum conſcientia mea vera contextum empiricum conſtituunt, etiamſi propterea non per ſe, id eſt, extra hunc experientiae progreſſum, in veritate rerum apparent.

Reapſe nobis nil quidquam datum eſt atque propoſitum, praeter perceptionem progreſſumque empiricum ab hac ad alias, quae eſſe poſſunt, perceptiones. Namque per ſe viſa, qua merae repraeſentationes, tantummodo in perceptione exſtant, quae reuera nil aliud eſt, quam exſiſtentia repraeſentationis cuiusdam empiricae, id eſt, viſum. Ante perceptionem viſum ſi vera res dicatur, aut eam vim habet, nos in progreſſu experientiae eiusmodi perceptionem offendere oportere, aut omnino ſententia caret. Namque illud per ſe ipſum, ſine adfectione ad ſenſus noſtros et experientiam poſſibilem, exſtare, ſane quidem dici poſſet, ſi de re per ſe ipſa ſermo

foret. Verum tantummodo de viſo in ſpatio ac tempore loquimur, quod vtrumque nulla rerum per ſe ipſarum, ſed modo ſenſus noſtri determinatione continetur; proinde id, quod in iis, ineſt (viſa), non eſt aliquid per ſe, ſed in meris repraeſentationibus verſatur, quae, ſi haud in nobis (in perceptione) datae ſint, nuſpiam omnino deprehenduntur.

Facultas videndi ſenſitiua proprie cernitur in facultate (receptiuitate), qua quodammodo poſſis repraeſentationibus adfici, quarum adfectio erga ſe inuicem in viſione pura cernitur ſpatii temporisque (merarum formarum ſenſus noſtri), quaeque, quatenus in hac relatione (ſpatio ac tempore) ſecundum leges vnitatis experientiae coniunctae ſunt ac determinabiles, res obiectae vocantur. Cauſa earum repraeſentationum ſenſibus haud obnoxia nobis prorſus ignota eſt, quamque etiam proinde non poſſumus qua rem obiectam videre: cuiusmodi quippe res obiecta nec in ſpatio foret, nec in tempore (vtpote ſolis conditionibus repraeſentationis ſenſitiuae) repraeſentanda, ſine quibus legibus nullam prorſus viſionem poſſumus cogitando nobis informare. Interim tamen cauſam viſorum mere intelligibilem vniuerſe poſſum rem obiectam transſcendentalem appellare, vt habeamus tantummodo, quod ſenſui, qua facultati recipiendi, reſpondere videatur. Atque huic rei obiectae transſcendentali vniuerſus ambitus contextusque, quae eſſe poſſunt, perceptionum noſtrarum poterit attribui, dicique, eam ante omnem experientiam per ſe ipſam datam eſſe atque propoſitam. Viſa vero, illi conuenienter, haud per ſe ſunt, ſed in hac tantummodo experientia data, ſi quidem illa in meris repraeſentationibus verſantur, quae qua repraeſentationes rem obiectam veram deſignant, ſi nimirum haec perceptio cum cunctis aliis ad regulas vnitatis empiricae cohaeret. Sic dici poteſt: res vere exſtantes temporis praeteriti in re obiecta experientiae transſcendentali datae ſunt; ſed ratione mei illae tantum res obiectae ſunt in praeteritoque tempore exſtant, quatenus cogito, ſeriem, quae poſſunt eſ-

ſe, perceptionum regreſſiuam (ſiue ad filum illud ducem hiſtoriarum fiat, ſiue ad veſtigia cauſarum et effectorum), ex legibus empiricis, verbo, curſum cosmicum ad ſeriem temporis praeterlapſam vt conditionem temporis praeſentis ducere, quod tum tamen duntaxat in contextu experientiae poſſibilis non per ſe ipſum vt praeſens repraeſentatur, ita, vt vniuerſa inde ab infinito tempore ante exſiſtentiam meam praeterita euenta nihil aliud denotent, quam poſſibilitatem catenae experientiae longius ducendae, inde a perceptione praeſente, ſurſum ad conditiones, hanc quoad tempus definientes.

Quamobrem ſi res ſenſibus ſubiectas exſtantes vniverſas in omni tempore omnibusque ſpatiis omnino mihi repraeſento; eas non ante experientiam in vtroque colloco, ſed haec repraeſentatio non niſi in cogitatione verſatur de quadam, quae eſſe poteſt, experientia, in totalitate eius abſoluta. In ea ſola datae ſunt res illae obiectae (quae nil ſunt, niſi merae repraeſentationes). Cum autem dico, illas ante omnem meam experientiam exſtare, hoc modo volo, eas in illa experientiae parte deprehendi, ad quam inde a perceptione inſtituens demum debeam progredi. Cauſa conditionum empiricarum huiusce progreſſus, proinde quos articulos, vel etiam quam longe ad eos in regreſſu queam offendere, transſcendentalis eſt, et proinde neceſſario mihi ignota. Neque vero haec ſpectatur, ſed tantummodo regula progreſſus experientiae, in qua res obiectae, quippe viſa, mihi proponuntur. In fine etiam perinde erit, ſi dicam, progreſſu empirico in ſpatio poſſe me in ſtellas incidere, ſexcenties longius remotas, quam, quas conſpicio, extremas: ſiue ſi dicam, fortaſſe eas poſſe in ſpatio huius vniuerſi deprehendi, etiamſi numquam eas homo perceperit, nec percepturus videatur; etſi enim illae qua res per ſe ipſae, ſine relatione ad experientiam poſſibilem omnino datae forent, tamen ratione mei nullae ſunt, proinde haud res obiectae, niſi quatenus ſerie regreſſus empirici continentur. Sed alia duntaxat relatione, cum haec eadem viſa ad ideam cosmologicam totius cu-

iusdam abſoluti adhibenda ſunt, cumque proinde quaeſtio proponenda eſt, terminos experientiae poſſibilis ſuperans, diſtinctioni modi illius, quo exſiſtentia rerum illarum ſenſibus ſubiectarum accipiatur, aliquid momenti ineſt, vt fallaci opinioni occurratur, ex falſa interpretatione noſtrorum ipſorum empiricorum conceptuum neceſſario oriundae.

Antinomiae rationis purae

SECTIO SEPTIMA.

Deciſio critica pugnae cosmologicae rationis ſecum ipſius.

Tota rationis purae antinomia in hocce argumento dialectico vertitur: poſito datoque eo, quod ad conditionem legemue pendet ex alio, tota quoque ſeries conditionum legumque ponitur et datur. Atqui res ſubiectae ſenſibus, qua aliunde pendentes, nobis datae ſunt propoſitaeque; ergo etc. Hac ratiocinatione, cuius propoſitio tam naturalis videtur et perſpicua, pro diuerſitate conditionum (in ſyntheſi viſorum), quatenus eae ſeriem conſtituunt, totidem ideae cosmologicae introducuntur, quibus totalitas huius ſeriei abſoluta poſtulatur, eoque ipſo rationi ſecum ipſi pugna neceſſario excitatur. Antequam vero fallaciam huiusce argumenti argutantis aperiamus, corrigendis definiendisque conceptibus quibusdam in eo obuiis ad iſtud negotium nosmet parabimus.

Primo ſequens enunciatio perſpicua et absque dubio certa eſt: poſito datoque eo, quod ad conditionem legemue pendet ex alio, nobis quoque regreſſum in ſerie conditionum omnium illius *propoſitum* eſſe; namque iam ita fert conceptus eius, quod aliunde pendet, vt eo aliquid ad conditionem quandam, quaeque cum viciſſim pendeat ex alio, ad conditionem remotiorem, atque ita per omnes ſeriei articulos referatur. Itaque haec enunciatio eſt analytica, omnemque metum ſuperat critices transſcendentalis. Ea quidem cernitur in poſtulato ra-

tionis logico: vt illam conceptus cum conditionibus ſuis connexionem per intelligentiam perſequamur, et, quoad eius fieri poſſit, continuemus, quae ipſa iam conceptui adhaeret.

Porro: ſi tam id, quod aliunde pendet, quam, vnde illud pendet, conditio in re per ſe ipſa verſetur, tum priori dato, non ſolum regreſſus ad alterum datus, verum hoc iam vna vere *datum* eſt, quod, quoniam de ſingulis ſeriei articulis valet, tota conditionum ſeries, proinde abſolutum quoque eo ſimul datum eſt, vel potius poſitum, id, quod aliunde pendet, quod per ſolam illam ſeriem eſſe poterat, datum eſſe. Atque hoc loco ſyntheſis eius, quod pendet, cum conditione ſua, vnde pendet, in ſyntheſi verſatur ſolius intelligentiae res ita vti ſunt repraeſentantis, neque reputantis, an poſſimus et quomodo ad cognitionem illarum peruenire. Contra cum in viſis occupor, quae, qua repraeſentationes merae, nullo modo data ſunt, niſi ad cognitionem eorum (id eſt, ad ea ipſa, ſi quidem ea non, niſi in notitiis empiricis, verſantur) peruenero, non poſſum eodem ſenſu dicere: poſito eo, quod ad conditionem legemue pendet ex alio, tota quoque ſeries conditionum legumque (qua viſorum) ponitur, nec proinde prorſus potero ad totalitatem abſolutam ſeriei illorum concludere. Quandoquidem *viſa*, in apprehenſione, ipſa nihil aliud ſunt, quam ſyntheſis quaedam empirica (in ſpatio ac tempore), et proinde in hac duntaxat data videntur. Atqui nullo pacto conſequitur, vt, poſito eo, quod aliunde pendet (in viſo), etiam ſyntheſis, qua conditio illius empirica efficitur, eo ſimul detur atque ſumatur, quippe quae in regreſſu demum, numquam autem ſine illo, locum habet. Verum hoc quidem poterit in eiusmodi cauſa dici, regreſſum ad conditiones quendam, id eſt, ſyntheſin empiricam continuatam ab hac parte praeceptam eſſe atque propoſitam, neque poſſe conditiones deeſſe, quae hocce regreſſu dentur atque offerantur.

Ex quo perſpicuum eſt, in propoſitione ratiocinationis cosmologicae id quod pendet ſignificatione trans-

ſcendentali categoriae purae, ſed adſumtione illud ſenſu empirico conceptus intelligentiae ad mera viſa adhibiti ſumi, proinde illa fraus dialectica in ea reperiri, quae ſophiſma figurae dictionis appellatur. Verum iſta fraus non arte quaeſita eſt, ſed in illuſione rationis communis prorſus naturali verſatur. Quippe qua (in propoſitione) conditiones earumque ſeriem, quaſi haud conſpectas, ſumimus, poſita re quapiam tamquam aliunde pendente, ſi quidem hoc nihil aliud eſt, quam praeceptum logicum, quo monemur, vt praemiſſas integras ad concluſionem datam ſumamus, tum autem in coniunctione eius, quod aliunde pendet, cum conditione illius nullus ordo temporis deprehenditur; ſi quidem ea per ſe, vt *ſimul* data, ſumuntur. Iam vero pariter conuenit, vt (in adſumtione) viſa qua res per ſe, ac perinde *ſoli* intelligentiae datae oblataeque res obiectae conſiderentur, vti in propoſitione factum eſt, vbi ab omnibus conditionibus viſionis, quibus ſolis dari res obiectae poſſunt, cogitationem abduxeram. Iam in eo quidem grauiſſimum conceptuum diſcrimen neglexeramus. Syntheſis eius, quod aliunde pendet cum conditione ſua, harumque ſeries vniverſa (in propoſitione) nil quidquam per tempus circumſcripti, nullumque ſucceſſionis conceptum in ſeſe continebat. Contra ſyntheſis empirica ſeriesque conditionum in viſo (in adſumtione ſumta) neceſſario ſucceſſiua, et tantummodo in tempore alia poſt aliam, data eſt; ergo totalitatem ſyntheſeos abſolutam, eaque repraeſentatae ſeriei hic non perinde atque illic ſumere poteram, propterea quod illic omnes ſeriei articuli per ſe (ſine conditione chronica) dati ſunt, qui vero hic ſolo regreſſu ſucceſſiuo eſſe poſſunt, qui eo duntaxat datus eſt, quod is reipſa efficitur.

De eiusmodi peccato argumenti communiter fundamento (adſertionum cosmologicarum) poſiti, conuicta, vtraque pars certans, iure poteſt, vt ea, quae haud iuſtum titulum habeat petitionis ſuae, reiici. Verum ea re ambarum partium diſceptatio contentioque haud ita compoſita eſt, vt perſuaſae videantur, ſeſe, aut illarum

alterutram, in re ipſa, quam adſeuerat (in concluſione), cauſa cadere, etiamſi eam non poterat rationibus firmis exquiſitisque fulcire. Nihil magis videtur perſpicuum eſſe, quam ex duobus, quorum alter contendit: mundum habere initium, alter perhibet: nullum prorſus mundi initium eſſe, ſed mundum ab aeterno exſtare, vnum vincere oportere. Quod ſi ita ſit, tamen, eo quod vtriusque partis eadem perſpicuitas eſt, fieri non poteſt, vt vſpiam inueniatur, in qua parte verum reperiatur, pugnaque manebit, etiamſi partes in foro rationis ad pacem fuerint amandatae. Itaque nihil relinquitur ad litem funditus, atque ita, vt vtrique parti ſatis fiat, dirimendam, quam, vt, cum ſe inuicem tam belle queant conuellere, tandem iis perſuadeatur, ſeſe de nihilo pugnare, ſpeciemque quandam atque illuſionem transſcendentalem veritatem iis ibi depinxiſſe, vbi prorſus nulla poſſit deprehendi. Atque hanc viam componendae litis, alioquin haud decidendae, nunc ingrediemur.

* * *

Zeno Eleaticus, dialecticus ſubtilis, iam a Platone vt ſophiſta petulans in eo vehementer reprehenſus, quod artis oſtentandae cauſa eandem ſententiam concluſiunculis fallacibus et ſpecioſis probare, et mox aliis itidem validis rurſus labefactare conaretur. Quippe aiebat, deum (qui ſine dubio illi idem, quod mundus fuit) nec finitum eſſe, neque infinitum, illum neque in motu eſſe, neque in quiete, nullique rei alii nec ſimilem eſſe, nec diſſimilem. Illis, qui eum de ea re iudicare volebant, duas pugnantes ſententias is videbatur prorſus voluiſſe negare; quod abſurdum eſt. Neque enim video, hoc in eo iure poſſe taxari. Primam harum ſententiarum mox propius conſiderabo. Quod autem ad reliquas attinet, cum vocabulo *dei* totam rerum vniuerſitatem intellexit, tum ſane illi dicendum erat: hanc neque in loco ſuo conſtanter praeſentem (in quiete) eſſe, nec illum mutare (ſe mouere), ſi quidem omnia loca duntaxat in rerum vniuerſitate, haec ipſa proinde *in nullo loco* eſt.

Si vniuerſitas rerum vniuerſa, quae exſtant, in ſe continet, ea et hoc quidem reſpectu nulli rei alii nec ſimilis eſt, nec diſſimilis, propterea quod extra illam nulla res eſt alia, quacum poſſit ea comparari. Si duo iudicia e contrariis disiuncta conditionem ponunt impoſſibilem, tum ambo, quamuis contraria ſunt (neque tamen proprie pugnant), ruunt, eo quod conditio ruit, qua ſola quodque illorum deberet valere.

Si quis diceret, quodque corpus vel bene olere, vel non bene, quiddam tertium locum habebit, nempe hoc, illud omnino non olere (euaporare), atque ita ambae enunciationes contrariae poterunt falſae eſſe. Sed ſi dicam, quodque corpus vel ſuaueolens eſſe vel non ſuaveolens, tum vtraque iudicia inuicem ſunt ex disiunctis oppoſita, tantumque prius falſum erit, ſed alterum illi ex disiunctis oppoſitum, nempe quaedam corpora non ſuaueolentia eſſe, etiam ea corpora, quae omnino non olent, complectitur. In priori oppoſitione (per diſparata) conditio fortuita conceptus corporis (odor) adhuc in iudicio pugnante manſit, proinde poſterius non erat priori ex disiunctis oppoſitum.

Quamobrem ſi dicam: mundus quoad ſpatium aut infinitus eſt, aut non eſt infinitus, tum, ſi falſa ſit enunciatio prior, neceſſe eſt, vt ei ex disiunctis oppoſita enunciatio: mundus non eſt infinitus, vera videatur. Atque eo quidem tantummodo tollerem mundum infinitum, nullo poſito alio, nempe finito. Verum ſi dicerem: mundus vel infinitus eſt, vel finitus (haud infinitus), tum poſſet vtrumque falſum eſſe. Tum enim mundum, vt in ſe ipſum, quoad quantitatem eius determinatum conſidero, propterea quod in ratione oppoſita non ſolum infinitatem tollo, cum eaque fortaſſe totam eius exſiſtentiam ſeparatam, ſed determinationem addo ad mundum, vt rem per ſeſe in veritate apparentem, id quod aeque poteſt falſum eſſe, ſi ſcilicet mundus neutiquam qua *res per ſe*, proinde etiam non quoad eius quantitatem, neque vt infinitus, neque vt finitus datus ac propoſitus foret. Eiusmodi oppoſitionem liceat *dialecti-*

cam, illam ex repugnantia autem *analyticam* oppoſitionem vocari. Ergo duorum iudiciorum dialectice oppoſitorum vtrumque poteſt falſum eſſe, propterea quod alterum alteri non ſolum repugnat, verum etiam plus enunciat, quam quod ad repugnantiam neceſſarium videtur.

Quodſi duo pronunciata: mundus quoad quantitatem infinitus eſt, mundus quoad quantitatem eſt finitus, tamquam ſibi inuicem ex disiunctis oppoſita conſideramus, ſumimus, mundum (totam viſorum ſeriem) eſſe rem per ſe ipſam. Is enim manet, ſiue infinitum regreſſum in ſerie eius viſorum, ſiue finitum tollamus. Sin autem hanc ſumtionem, ſpeciemue hanc transſcendentalem tollam, ac negem, eum in re per ſe ipſa verſari, tum repugnantia vtriusque adſertionis ex disiunctis mutatur in ſolam pugnam dialecticam, et quoniam mundus neutiquam per ſe (ita vt haud pendeat a ſerie regreſſiua repraeſentationum mearum) exſtat, neque is exſtat etiam, neque vt totum per ſe infinitum, neque per ſe finitum. Is tantummodo in regreſſu empirico ſeriei viſorum, minime vero per ſe ipſe deprehenditur. Quocirca, ſi haec ſemper aliunde pendet, numquam tota data erit, et proinde mundus haud cernitur in toto quodam abſoluto, neque ideo haud exſtat qua tale, neque infinita quantitate, neque finita.

Quae hoc loco de prima idea cosmologica dicta ſunt, nempe de totalitate abſoluta quantitatis in viſo, ea etiam valent de caeteris. Series conditionum duntaxat in ipſa ineſt ſyntheſi regreſſiua, non autem per ſe in viſo, vt peculiari quadam re, ante omnem regreſſum data. Quamobrem etiam dicere debebo: multitudinem partium in quodam viſo dato per ſe neque finitam eſſe, neque infinitam, propterea quod viſum nihil eſt, quod per ſe ipſum exſtet, partesque demum regreſſu ſyntheſeos decomponentis, in eoque, dantur, qui quidem regreſſus numquam ſimpliciter *totus*, neque vt finitus, neque vt infinitus datus eſt. Idem valet de ſerie cauſarum ſuper ſe inuicem ordinatarum, ſiue de exſiſtentia aliunde pen-

dente vsque ad abſolute neceſſariam, quae numquam neque per ſe ſecundum totalitatem ſuam, qua finita, neque qua infinita poteſt ſpectari, quoniam qua ſeries repraeſentationum ſubordinatarum tantummodo in regreſſu dynamico verſatur, ante illum autem, atque qua ſeries rerum in ſeſe conſiſtens, per ſe ipſa nullo modo poteſt exſtare.

Itaque antinomia rationis purae in ideis cosmologicis ſuis tollitur, ita, vt oſtendatur, eam modo dialecticam eſſe, atque in pugna verſari ſpeciei, inde oriundae, quod idea totalitatis abſolutae, quae tantum qua conditio valet rerum per ſe ipſarum, ad viſa adhibita ſit, quae in ſola repraeſentatione, et, ſi iis ſeries conſtituatur, in regreſſu ſucceſſiuo, ſed alias omnino haud exſtant. Sed poteſt etiam viciſſim retro ex hac antinomia, vera, non dogmatica illa quidem, ſed tamen critica vtilitas et doctrinalis percipi: nimirum vt idealitas viſorum transſcendentalis eo indirecte euincatur, ſi quis forte argumento directo in aeſthetica transſcendentali haud contentus videatur. Argumentum hoc quippe dilemmate abſoluetur: mundus, ſi in toto quodam cernitur per ſe exſtante, vel finitus erit, vel infinitus. Atqui prius falſum eſt perinde, atque poſterius (per argumenta ſupra et a parte theſeos, et a parte antitheſeos). Ergo etiam falſum eſt, mundum (complexum viſorum omnium) totum aliquod per ſe exſtans videri. Vnde porro ſequitur, viſa vniuerſa extra repraeſentationes noſtras nihil eſſe, quod ipſum idealitate illorum transſcendentali volumus innuere.

Quod quidem ſcholion ſane grauiſſimum videtur. Inde enim perſpicimus, ſuperiora argumenta quatuor illarum antinomiarum non praeſtigias eſſe, ſed vera, nempe ſi poſueris, viſa ſeu mundum ſenſibilem, qui illa omnia in ſe cohibet, res per ſe ipſas eſſe. Sed pugna enunciationum inde effectarum aperit, in ſumtione illa aliquam ineſſe falſitatem, eoque nos ad inueniendam veram rerum naturam, qua ſenſibus ſubiectarum, duci. Igitur dialectica transſcendentalis minime fauet rationi ſcepti-

corum, ſed viae potius ac methodo ſcepticae, quae in illa poteſt exemplum oſtendere permagnae vtilitatis ſuae, ſi argumenta rationis ſumma libertate ſua inducantur, quae, licet haud id, quod quaerebamus, tamen ſemper aliquid vtile atque ad corrigenda iudicia noſtra idoneum largientur.

Antinomiae rationis purae

SECTIO OCTAVA.

Principium regulatiuum rationis purae reſpectu idearum cosmologicarum.

Cum ex decreto cosmologico totalitatis nullum maximum ſeriei conditionum in mundo ſenſibili, vt re per ſe ipſa quadam, proponatur, ſed tantummodo in regreſſu eius *praecipi* queat, decreto illi rationis purae, in eius ſic conſtituta ſignificatione ſuus adhuc valor manebit, non quidem qua *axiomati* totalitatem in re obiecta vt veram cogitandi, ſed qua *problemati* in gratiam intelligentiae, proinde ſubiecti, vt, ideae integritati conuenienter, regreſſus in ſerie conditionum ad datum quiddam aliunde pendens inſtituatur et continuetur. Namque in facultate ſenſitiua, hoc eſt, in ſpatio ac tempore, quaeque conditio, ad quam in expoſitione viſorum datorum poſſumus peruenire, viciſſim eſt conditioni cuidam adſtricta; eo quod haec non res obiectae per ſe ipſae videntur, in quibus omnino poſſit ſimpliciter abſolutum locum habere, ſed in meris repraeſentationibus empiricis verſantur, quae ſemper debent conditiones ſuas in viſione reperire, quae quoad ſpatium tempusue eas determinat. Igitur decretum rationis proprie tantummodo in regula cernitur, in ſerie conditionum viſorum datorum regreſſum praecipiente, cui numquam licitum eſt, in quopiam ſimpliciter abſoluto conſiſtere. Ergo illud nullum eſt principium poſſibilitatis experientiae cognitionisque empiricae rerum ſenſibus ſubiectarum, proinde nullum decretum intelligentiae; ſi quidem quaeque experientia carceribus ſuis (viſioni datae conuenien-

ter) tenetur incluſa, neque etiam principium rationis *conſtitutiuum*, conceptus mundi ſenſibilis vltra omnem experientiam poſſibilem amplificandi, verum decretum, quanta fieri poſſit, maximae continuationis amplificationisque experientiae, ſecundum quod nullus terminus empiricus accipi debet vt abſolutus, proinde principium rationis, quod, vt *regula*, poſtulat, quid in regreſſu a nobis fieri debeat, neque *anticipat* ea, quae in re obiecta ante omnem regreſſum per ſe data videntur. Quamobrem illud principium rationis *regulatiuum* voco, cum e contrario decretum totalitatis abſolutae ſeriei conditionum, vt in re obiecta (viſis) per ſe ipſum datum, principium cosmologicum foret conſtitutiuum, cuius vanitatem hac ipſa diſtinctione indicare volui, eaque re impedire, quo minus, vti alias neceſſario accidit (ex ſubreptione transſcendentali), ideae cuidam, quae ſolum inſtar regulae eſt, realitas obiectiua tribuatur.

Vt autem ſenſum huiusce regulae rationis purae rite determinemus, in primis notandum eſt, eam non dicere poſſe, in quo *res obiecta* verſetur, ſed quomodo *regreſſus* empiricus ſit inſtituendus, vt ad plenum integrumque rei obiectae conceptum perueniamus. Etenim ſi prius locum haberet, tum ea principium conſtitutiuum foret. Quamobrem nullo pacto eſſe animus poteſt, dicere, ſeriem conditionum ad quiddam aliunde pendens per ſe finitam eſſe, vel infinitam; quippe quo mera idea totalitatis abſolutae, tantummodo in ea ipſa procreata, rem obiectam cogitaret, quae in nulla poſſet experientia proponi, propterea quod ſeriei cuidam viſorum realitas obiectiua a ſyntheſi empirica libera impertiretur. Igitur idea rationis duntaxat ſyntheſi regreſſiuae in ſerie conditionum regulam praeſcribet, ex qua ab eo, quod aliunde pendet, ope conditionum inuicem ſubordinatarum omnium, ad id, quod ab omni conditione liberum eſt, progreditur, quamuis illud numquam queat attingi. Namque ſimpliciter abſolutum neutiquam in experientia deprehenditur.

Itaque in hunc finem primo ſyntheſis ſeriei, quatenus ea numquam plena atque integra eſt, accurate de-

terminanda eſt. Quem in finem duo ſolent vocabula adhiberi, quibus aliquid in ea debeat diſtingui, quamquam cauſam huius diſtinctionis neſcias rite oſtendere. Mathematici tantummodo de *progreſſu in infinitum* loquuntur. Scrutatores conceptuum (philoſophi) illius loco ſolum volunt verbum *progreſſus in indefinitum* adhiberi. Vt neque in examinanda dubitatione, quae his eiusmodi diſtinctionem ſuaſit, neque in bono inaniue iſtius vſu immorer, hoſce conceptus pro conſilio propoſito accurate circumſcribere conabor.

Lineam rectam, iure dici poteſt, in infinitum poſſe produci, atque hic diſtinctio progreſſus in infinitum et indefinitum in inani ſubtilitate verſaretur. Etenim, quamquam, ſi dicitur: producite lineam, ſane rectius ſonat, ſi addatur, in indefinitum, quam ſi dicatur, in infinitum; ſi quidem prius nil denotat, niſi: producite eam, quousque velitis, poſterius autem: debetis in ea producenda numquam ceſſare (id quod in eo haud ita fere ſpectatur) tamen, ſi tantummodo de poſſe ſermo eſt, vocabulum prius prorſus rectum eſt; namque illam in infinitum reddere maiorem poteſtis. Et ſic ſe habet in omnibus cauſis, in quibus modo de progreſſu loquimur, id eſt, de proceſſione a conditione ad id, quod ad illam adſtrictum tenetur; hicce progreſſus poſſibilis in ſerie viſorum tendit in infinitum. A pari quodam parentum poteſtis in linea deſcendente generationis ſine fine progredi, eamque facile cogitatione informare, reapſe in mundo eam ita pergere. Namque hic rationi numquam opus eſt totalitate ſeriei abſoluta, quoniam illam non vt conditionem, vtque datum quiddam ſumit, ſed tantummodo vt aliquid, quod aliunde pendet, quod duntaxat dabile eſt, atque ſine ſine additur.

Longe aliter cum quaeſtione comparatum eſt: quam late pateat regreſſus, qui a dato eo, quod ad legem adſtrictum eſt, ad conditiones pergit in ſerie quadam, vtrum dici queat: *regreſſum* eſſe *in infinitum*, aut ſolum in indefinitum, et vtrum proinde ab hominibus, qui nunc viuunt, in ſerie maiorum, in infinitum ſurſum

queam progredi, an tantummodo dici poſſit: numquam, vt longiſſime regreſſus fuerim, rationem empiricam reperiri, ſeriem vſpiam circumſcriptam putandi, ita, vt et poſſim et debeam ad quemque maiorum vlterius auum anquirere, quamquam haud fere ſumere.

Quamobrem ſic dico: toto in viſione empirica dato, regreſſus in ſerie conditionum internarum fit in infinitum. Sed dato tantummodo ſeriei articulo, a quo regreſſus ad totalitatem abſolutam demum debeat progredi: duntaxat regreſſus in indefinitum locum habebit. Sic de diuiſione materiae cuiusdam intra terminos ſuos datae (corporis) oportet dici: eam in infinitum fieri. Nam haec materia tota, proinde cum omnibus, quae eſſe poſſunt, partibus ſuis in viſione empirica data eſt. Cum igitur conditio huiusce totius in parte illius, conditioque huiusce partis in parte partis, et ſic porro verſetur, neque in hoc regreſſu decompoſitionis numquam articulus huius ſeriei conditionum abſolutus (indiuiduus) deprehendatur, non ſolum nuſpiam ratio empirica adeſt, diuiſionis finiendae, ſed vlteriores articuli diuiſionis continuandae ipſi ſunt ante hancce diuiſionem progredientem empirice dati, id eſt, diuiſio fit in infinitum. Contra ſeries maiorum ad quempiam hominem datum per nullam, quae eſſe poteſt, experientiam, in totalitate ſua abſoluta data eſt, ſed tamen regreſſus a quouis fit huiusce generationis articulo ad altiorem quendam, ita, vt nullus terminus empiricus deprehendatur, quo articulus quidam, qua ſimpliciter abſolutus, oſtendatur. Cum autem nihilominus etiam articuli, qui huius rei poſſent loco conditionis eſſe, in viſione empirica non iam ante regreſſum inſint: regreſſus haud fit in infinitum (diuiſionis dati), ſed in indefinitum, conquiſitionis articulorum plurium ad datos, qui viciſſim ſemper ſolum ſub conditione dati ſunt.

In neutro regreſſu, nec in infinitum, nec in indefinitum, ſeries conditionum qua infinite in re obiecta data ſpectatur. Illae haud res ſunt, quae per ſe ipſae, ſed ſolum viſa, quae, vt conditiones ſui inuicem, dun-

taxat in regreſſu ipſo proponuntur. Ergo non amplius quaeritur: quanta ſeries conditionum per ſe ipſa ſit, finita an infinita, namque ea non eſt quidpiam per ſe ipſum, ſed: quomodo regreſſum empiricum inſtituere debeamus, et quo vſque illum continuare. Ac tum quidem verum diſcrimen eſt ratione regulae legisue huius progreſſus. Si totum empirice datum fuerit, *fieri poteſt*, vt *in infinitum* in ſerie conditionum internarum regrediamur. Sin illud vero non datum ſit, ſed regreſſu empirico dari demum debeat, duntaxat dici poteſt: *fieri poteſt*, vt *in infinitum* ad conditiones ſeriei altiores progrediamur. Priori caſu dici poterat: ſemper *adſunt* plures articuli, et empirice dati, quam quos regreſſu (decompoſitionis) attingo; poſteriori autem: in regreſſu ſemper poſſum progredi vlterius, ſi quidem nullus articulus qua ſimpliciter abſolutus empirice datus eſt, et proinde ſemper altiorem articulum, qui eſſe poſſit, ideoque percontationem illius vt neceſſariam concedit. Illic neceſſarium erat, vt plures ſeriei articuli deprehenderentur, ſed hic ſemper neceſſarium eſt, vt plures perveſtigentur, ſi quidem nulla experientia ſimpliciter abſoluteque carceres ponere videtur. Namque aut nullam perceptionem habetis, regreſſum veſtrum empiricum ſimpliciter terminis coërcentem, ac tum vobis regreſſus non eſt abſolutus putandus, aut talem perceptionem ſeriem veſtram carceribus includentem habetis, tum haec non poteſt poſita eſſe in parte quadam ſeriei veſtrae abſolutae (quoniam id, quod terminis circumſcribit, ab eo, quod illo circumſcribitur, eſſe diuerſum oportet), proinde etiam regreſſus vobis et ad hanc conditionem vlterius continuandus videtur, et ſic porro.

Sectione proxima hae animaduerſiones ex vſu ſuo atque applicatione rite exponentur.

Antinomiae rationis purae

SECTIO NONA.

De vſu empirico principii regulatiui rationis, reſpectu vniverſarum idearum cosmologicarum.

Cum, vti ſaepius oſtendimus, nullus conceptuum purorum vſus ſit, nec intelligentiae, nec rationis; cum totalitas abſoluta ſerierum conditionum in mundo ſenſibili tantummodo in vſu rationis nitatur transſcendentali, hancce totalitatem abſolutam poſtulantis de eo, quod vt rem per ſe ipſam ſumit; ſed mundus ſenſibilis id non in ſe contineat, ſermo numquam poteſt amplius eſſe de quantitate abſoluta ſerierum in illo, terminis illae circumſcriptae, an *per ſe* haud incluſae carceribus videantur, ſed tantummodo, quousque in regreſſu empirico, in experientia ad conditiones reducenda, regredi debeamus, vt ſecundum regulam rationis in nulla alia ad quaeſtiones illius reſponſione, quam rei obiectae conueniente, immoremur.

Itaque ſolus nobis relinquitur *valor principii rationis*, vtpote regulae *continuationis* quantitatisque experientiae poſſibilis, poſteaquam ſatis euicimus, illud haud aptum eſſe ad *principium conſtitutiuum* viſorum per ſe ipſorum. Praeterea, ſi illum poſſimus certum ob oculos ponere, pugna rationis ſecum ipſius prorſus componitur, propterea quod ſolutione critica non ſolum illuſio, quae discordiam generaſſet, tollitur, verum illius loco ſenſus, in quo ſibimet ipſa conuenit, cuiusque calumnia pugnae ſola anſam praeberet, aperitur, decretumque alioquin *dialecticum*, in *doctrinale* mutatur. Ac profecto quidem, ſi hoc, ſecundum ſenſum ſubiectiuum, vſum intelligentiae, quantus eſſe poſſit, maximum in experientia rebus eidem obnoxiis conuenienter determinandi, probari poſſit; perinde erit itidem, ac ſi vt axioma (quod e ratione pura fieri non poteſt) res obiectas per ſe ipſas ex anticipatione determinet; namque hoc quoque ratione rerum experientiae ſubiectarum nullam maiorem vim ad ampli-

ficationem correctionemque poſſet cognitionum noſtrarum habere, quam vt in vſu intelligentiae noſtrae empirico latiſſime patente vim ſuam exſereret.

I.

Solutio ideae cosmologicae

DE TOTALITATE COMPOSITIONIS VISORUM

totius cosmici.

Tam hoc loco, quam in reliquis quaeſtionibus cosmologicis, ratio principii rationis regulatiui poſita eſt in hoc enunciato: in regreſſu empirico nullam *experientiam termini* cuiusdam *abſoluti*, proinde nullius conditionis, qua talis, quae *ſimpliciter empirice* abſoluta ſit, poſſe deprehendi. Eius rei haec cauſa eſt: quod eiusmodi experientia circumſcriptionem viſorum per nihilum, ſiue vacuum, in quod continuatus regreſſus ope perceptionis cuiusdam incurrere poſſet, contineri deberet, id quod fieri non poteſt.

Hoc pronunciatum igitur, quod idem declarat, ac: memet in regreſſu empirico ſemper tantummodo ad conditionem peruenire, quae ipſa viciſſim vt empirice ad conditionem adſtricta ſpectari debeat, regulam continet in terminis: quo vsque illo in ſerie progrediente proceſſerim, ſemper memet altiorem ſeriei articulum quaerere debere, ſiue is mihi per experientiam innoteſcat, ſiue minus.

Iam ad ſolutionem primi problematis cosmologici nihil amplius opus eſt, quam vt conſtituamus: vtrum in regreſſu ad quantitatem totius cosmici abſolutam (quoad tempus ſpatiumque) hicce progreſſus numquam finitus dici *regreſſus* poſſit *in infinitum*, an tantummodo *regreſſus in indefinitum*.

Sola vniuerſalis repraeſentatio omnium praeteritorum ſtatuum cosmicorum, item rerum, quae in ſpatio

coſmico ſimul ſunt, ipſa in nulla re alia cernitur, quam in poſſibili regreſſu empirico, quem, quamquam adhuc indefinite, cogitatione mihi informo, et quo conceptus eiusmodi conditionum ſeriei ad perceptionem datam ſolo poteſt oriri. *) Atqui totum coſmicum ſemper tantum in conceptu habeo, ſed nullo modo (qua totum) in viſione. Ergo a quantitate illius ad quantitatem regreſſus non concludere poſſum, neque hanc illi conuenienter determinare, verum primum conceptum quantitatis coſmicae ex quantitate regreſſus empirici debeo formare. Sed de hoc numquam quidquam ſcio amplius, quam a quoque dato articulo ſeriei conditionum memet ſemper oportere ad altiorem (remotiorem) articulum pergere. Itaque quantitas totius viſorum eo minime eſt ſimpliciter determinata, proinde quoque non poteſt dici, hunc regreſſum in infinitum fieri, eo quod ea re articuli, ad quos nondum regreſſus peruenit, anticiparentur, eorumque multitudo tanta repraeſentaretur, vt nulla ſyntheſis empirica eo peruenire poſſet, proinde quantitas coſmica ante regreſſum (quamuis modo negatiue) determinaretur, quod fieri non poteſt. Namque haec nulla viſione (quoad totalitatem), proinde quoque quantitas illius ante regreſſum mihi neutiquam data eſt. Quamobrem de quantitate coſmica nil quidquam dicere poſſumus, ne quidem, regreſſum in ea in infinitum locum habere, ſed tantum ad regulam, regreſſum empiricum in ea determinantem, conceptum quantitatis mundi quaerere debemus. Sed haec regula nihil quidquam declarat, quam, quouſque in ſerie conditionum empiricarum progreſſi fuerimus, nos nuſpiam terminum abſolutum ſumere debere, ſed quodque viſum, vt aliunde pendens, alii cuidam, vt conditioni illius, ſubiiciamus,

*) Haec ſeries coſmica proinde nec maior eſſe poteſt, nec minor, poſſibili regreſſu empirico, in quo ſolo conceptus illius nititur. Qui cum neque determinatum infinitum dare queat, neque determinatum finitum (ſimpliciter terminis incluſum); inde planum eſt, nos quantitatem coſmicam neque finitam poſſe, neque infinitam ſumere, ſi quidem *regreſſus* (quo illa repraeſentatur) neutrum admittit.

ad hanc proinde porro progredi debeamus, quo quidem regreſſus in indefinitum continetur, qui, cum nullam quantitatem determinet in re obiecta, a regreſſu in infinitum ſatis perſpicue diſtinguendus videtur.

Proinde non poſſum dicere: mundus quoad tempus praeteritum ſpatiumue *infinitus* eſt. Namque talis conceptus quantitatis, vt infinitatis cuiusdam datae, empiricus eſt, ideoque etiam ratione mundi, vt rei ſub ſenſus ſubiectae, ſimpliciter eſſe non poteſt. Nec vero dicam: regreſſus inde a data perceptione quadam, ad ea omnia, quae hanc tam in ſpatio, quam in tempore praeterito in quadam ſerie finibus includit, fit in *infinitum;* ſi quidem hoc quantitatem mundi infinitam ponit; neque dicam: *finitus* eſt; quandoquidem terminus abſolutus pariter eſſe empirice non poteſt. Quamobrem de tota re experientiae obnoxia (mundo ſenſibili) nil quidquam, ſed modo de regula, ex qua experientia, rei ſibi ſubiectae conuenienter, et inſtitui debet et continuari, potero pronunciare.

Igitur ad quaeſtionem cosmologicam de quantitate mundi, prima eaque negatiua reſponſio haec eſt: mundus nullum primum initium habet quoad tempus, neque terminum extremum ratione ſpatii.

Etenim poſito contrario, mundus ab vna parte, tempore vacuo, ab altera, ſpatio inani circumſcriptus foret. Qui cum, vt viſum, neutrum eſſe per ſe ipſe poſſit, quoniam viſum in nulla re per ſe ipſa poſitum eſt, deberet perceptio circumſcriptionis per tempus ſimpliciter vacuum, ſpatiumue inane, eſſe poſſe, quibus iſti mundi termini in experientia poſſibili dati eſſent. Eiusmodi autem experientia, vt prorſus vacua a materia atque inanis, fieri non poteſt. Ergo terminus mundi abſolutus empirice, proinde et ſimpliciter eſſe non poteſt. *)

*) Animaduertes: argumentum hic longe aliter componi, quam dogmaticum illud ſupra in antitheſi antinomiae primae. Ibi mundum ſenſibilem, ex vulgari ac dogmatico cogitandi modo, vt rem per ſe ipſam ante omnem regreſſum

Ex quo ſimul conſequitur reſponſio aiens: regreſſus in ſerie viſorum mundi, vt finitio quantitatis mundi, ſit in indefinitum; quod idem declarat, ac: mundus ſenſibilis nullam habet quantitatem abſolutam, ſed regreſſus empiricus (quo a parte conditionum ſuarum ſola dari poteſt) ſuam regulam habet, nimirum a quoque ſeriei articulo, vt aliunde pendente, ſemper ad remotiorem (ſiue per experientiam propriam, ſiue ad filum ducem hiſtoriarum, catenamue effectorum et cauſarum) progrediamur, neque vſpiam vſu poſſibili empirico intelligentiae amplificando ſuperſedeamus, id quod etiam proprium ſolumque rationis negotium eſt in principiis ſuis.

Regreſſus empiricus determinatus, qui in quodam viſorum genere ſine fine fieret, ea re non praecipitur, velut ab homine viuente ſemper in ſerie parentum ſurſum progredi nos debere, ita vt primum quoddam par haud exſpectetur, aut in ſerie corporum mundi, non admiſſo ſole quodam extremo; verum tantummodo progreſſus praecipitur a viſis ad viſa, etiamſi haec nullam veram perceptionem (ſi quoad gradum tenuior noſtrae conſcientiae ſit, quam vt experientia euadat) conſtituant, quoniam nihilominus ad experientiam poſſibilem pertinent.

Omne initium in tempore eſt, omnisque terminus extenſi in ſpatio. Sed ſpatium tempusque in ſolo ſunt mundo ſenſibili. Proinde viſa in mundo ſunt tantummodo ex conditione, ſed *mundus* ipſe neque pendens ex conditione, neque abſolute terminis circumſcriptus.

Ob hanc ipſam cauſam, cumque mundus numquam *totus*, ipſaque ſeries conditionum ad aliquid datum, quod pendet ex alio, non, vt ſeries mundi, *tota* dari queat, conceptus quantitatis mundi ſolo regreſſu, non

datam ſecundum totalitatem eius conceſſeramus, eique, ſi haud vniuerſum tempus omniaque ſpatia occuparet, vniuerſe quempiam in vtroque determinatum locum, abnegaueramus. Quamobrem illic etiam conſequentia aliter effecta eſt, atque hic, nempe ad veram illius infinitatem concludebatur.

ante illum in quadam viſione collectiua datus videtur. Ille autem ſemper tantum in *determinatione* quantitatis verſatur, nec proinde *determinatum* conceptum ſuppeditat, ideoque nullum conceptum quantitatis, quae ratione certae cuiusdam menſurae infinita foret, proinde haud fit in infinitum (quaſi datum), ſed in indefinitum, vt quantitas (experientiae) proponatur, quae hoc demum regreſſu vera efficitur.

II.

Solutio ideae cosmologicae

DE TOTALITATE DIVISIONIS

totius cuiusdam dati in viſione.

Si totum, in viſione datum, diuido, a quopiam aliunde pendente ad conditiones pergo poſſibilitatis illius. Diuiſio partium (ſubdiuiſio ſeu decompoſitio) cernitur in regreſſu in ſerie harum conditionum. Totalitas huiusce *ſeriei* abſoluta tantummodo tum data foret, cum regreſſus poſſet vsque ad partes ſimplices pertinere. Cum autem omnes partes in decompoſitione continenter progrediente ſemper ſunt viciſſim diuiduae, tum diuiſio, id eſt, regreſſus ab eo, quod aliunde pendet, ad conditiones eius pergit in infinitum; quandoquidem conditiones (partes) in eo ipſo, quod inde pendet, continentur, cumque hoc in viſione intra terminos ſuos incluſa datum ſit, cunctae quoque ſimul datae videntur. Itaque regreſſus non ſolum regreſſus dici in indefinitum debet, vti per ideam cosmologicam ſuperiorem licitum erat, cum ab eo, quod aliunde pendet, ad conditiones eius, extra illud, proinde non eo ſimul datas, ſed in regreſſu empirico demum accedentes, progredi debebam. Nihilominis tamen nullo pacto licebit, de eiusmodi toto, quod diuidi in infinitum poteſt, dici: *partibus illud infinite multis conſtare.* Namque quamquam vniuerſae partes viſione totius continentur, tamen ea *haud tota diuiſio* continetur, quae in ſola decompoſitione progrediente,

ſiue regreſſu ipſo cernitur, quo ſeries demum vera efficitur. Qui regreſſus quidem cum infinitus ſit, omnes quidem articuli (partes), ad quos is peruenit, toto dato vt *congregata* continentur, non autem *tota ſeries diuiſionis*, quae ſucceſſiue infinita eſt, et numquam plena atque integra, proinde nullam multitudinem infinitam, nullamque collectionem rerum in toto quodam poteſt oſtendere.

Atque haec cautio generalis primum poteſt facile ad ſpatium adhiberi. Quodque in terminis ſuis ſpatium conſpectum eiusmodi toto efficitur, cuius partes, vtcumque diuidantur, ſemper viciſſim ſpatia videntur, ideoque illud diuiduum eſt in infinitum.

Ex quo promanat neceſſario altera applicatio ad viſum externum terminis ſuis incluſum (corpus). Cuius quidem ratio diuidua nititur in ratione diuidua ſpatii, qua poſſibilitas corporis, vt totius cuiusdam extenſi, efficitur. Hoc ergo diuidi in infinitum poteſt, neque tamen propterea partibus illud infinite multis conſtat.

Cum vero corpus vt ſubſtantia in ſpatio cogitari oporteat, videtur quidem, illud, quod legem rationis diuiduae attinet ſpatii, in eo ab hac diuerſum fore: poteſt enim omnino concedi, diuiſione numquam omnem in ſpatio compoſitionem tolli, propterea quod tum omne adeo ſpatium, quod alias nil in ſe continet, quod in ſeſe conſiſtat, eſſe deſinere (quod fieri non poteſt); verum, omni materiae compoſitione cogitando ſublata, nil quidquam fieri reliqui, non videtur cum conceptu ſubſtantiae poſſe coniungi, qui proprie vniuerſae compoſitionis eſſe ſubiectum deberet, in eiusque elementis relinqui oporteret, etiamſi coniunctio illorum in ſpatio, quo ea quoddam corpus conſtituit, ſublata foret. Sed cum eo, quod in *viſo* ſubſtantia dicitur, haud ita comparatum eſt, vti fere de re per ſe ipſa ex conceptu puro intelligentiae cogitaremus. Illud non cernitur in ſubiecto abſoluto, ſed in ſpecie atque imagine ſenſus, et non niſi in viſione, in qua nuſpiam quidquam a conditione liberum deprehenditur.

Quamuis autem haec regula progreſſus in infinitum in ſubdiuiſione viſi, vtpote ſolius repletionis ſpatii, ſine vlla dubitatione locum habeat: tamen ea non valere poteſt, ſi illam etiam ad multitudinem partium quodammodo in toto dato iamiam ſeparatarum, qua hae quantum conſtituunt diſcretum aliquod, adhibere velimus. Neque enim poteſt cogitari, vt ſumamus, in quouis toto organico quamque partem viciſſim organis praeditam eſſe, atque hoc modo in diuiſione partium in infinitum ſemper nouas partes artificioſas technicasue deprehendi, verbo, totum in infinitum articulatum videri, quamuis partes materiae in decompoſitione in infinitum poſſent articulari. Quandoquidem infinitas diuiſionis viſi cuiusdam in ſpatio poſita in hoc ſolo eſt, vt hac duntaxat ratio diuidua, id eſt, quaedam partium multitudo per ſe ſimpliciter indefinita data ſit, ſed partes ipſae ſola ſubdiuiſione dentur ac definiantur, breui, vt totum non per ſe ipſum iam diuiſum videatur. Quamobrem in eo diuiſione poteſt multitudo determinari, quae eo vsque augetur, quo vsque in regreſſu diuiſionis progredi velis. Contra in corpore organico in infinitum articulato totum hoc ipſo conceptu iam vt diuiſum repraeſentatur, partiumque multitudo per ſe ipſam determinata, ſed infinita, ante omnem diuiſionis regreſſum in eo deprehenditur, id quod ſecum ipſum pugnat; propterea quod infinita haec inuolutio vt ſeries numquam perficienda (infinita), et nihilominus tamen in collectione vt perfecta, conſideratur. Diuiſione infinita tantummodo viſum deſignatur vt quantum continuum, eaque non poteſt ab repletione ſpatii disiungi; quoniam in eadem ipſa cauſa latet rationis diuiduae in infinitum. Sed ſimulatque ſumtum fuerit vt quantum diſcretum: tum multitudo vnitatum in eo determinata eſt, proinde quoque ſemper numero cuidam aequalis. Quousque autem organiſatio in corpore organico pertineat, ſola poteſt experientia doceri, quae quamuis ad nullam partem organicam certo perueniret, tamen tales ſaltem, oportebit, experientia poſſibili contineri. Verum diuiſio viſi transſcendentalis quam late pateat

omnino, illud quidem non eſt poſitum in re experientiae ſubiecta, ſed in principio rationis, vt regreſſum empiricum, in decompoſitione extenſi, naturae huiusce viſi conuenienter, numquam vt ſimpliciter abſoluteque perfectum reputemus.

* * *

Scholion finale ad

SOLUTIONEM IDEARUM TRANSSCENDENTALIUM

praemonitumque ad ſolutionem dynamico-tranſſcendentalium.

Cum antinomiam rationis purae per omnes ideas tranſſcendentales in tabulâ proponeremus, cumque cauſam huiusce pugnae, vnumque illius tollendae remedium, oſtenderemus, quod poſitum in eo erat, vt vtraque adſertio contraria falſa declararetur: vbique conditiones, tamquam ad illud, quod ad eas adſtrictum tenetur, ex relationibus ſpatii temporisque pertinentes propoſuimus, quae quidem conſueta ſumtio eſt communis intelligentiae humanae, atque in qua etiam pugna tota illa nitebatur. Quo quidem reſpectu et omnes dialecticae totalitatis repraeſentationes, in ſerie conditionum ad datum quiddam ex iis aptum et pendens omnino eiusdem generis videbantur. Semper erat ſeries quaedam, in qua conditiones cum eo, quod inde pendet, vt articuli illius, coniunctae erant, eoque *homogeneae*, quo fiebat, vt tum regreſſus numquam *abſolutus* cogitari, aut, ſi hoc eſſe deberet, articulus per ſe aliunde pendens falſo vt primus, proinde vt abſolutus ſumi deberet. Quamobrem haud vbicumque quidem res obiecta, hoc eſt, id, quod ad conditionem adſtrictum eſt, ſed tamen ſeries conditionum illius, quoad ſolam quantitatem illius ſpectabatur, ac tum difficultas, nulla compoſitione amicabili, ſed ſola nodi praeſectione tollenda, in eo poſita erat, vt ratio intelligentiae rem vel nimis *longam* oſtenderet, vel ni-

mium *breuem,* atque ita, vt haec numquam poſſet illius ideam attingere.

Verum in eo quidem grauiſſimum diſcrimen neglegimus, quod dominatur in rebus obiectis, id eſt, in conceptibus intelligentiae, quas ratio ad idearum locum euehere conatur, cum ſcilicet, ſecundum noſtram ſuperiorem tabulam categoriarum, duae earum *mathematicae* ſint, duae vero reliquae in ſyntheſi viſorum *dynamica* verſentur. Atque hactenus iſtud commode fieri poterat, propterea quod, vti in vniuerſali omnium idearum transſcendentalium repraeſentatione ſemper duntaxat ſub conditionibus manſimus in *viſo*, ita etiam in duabus illis mathematico-transſcendentalibus nullam rem aliam obiectam habuimus, quam quae poſita eſſet in viſo. Nunc autem, cum ad conceptus intelligentiae dynamicos progredimur, quatenus illi eſſe apti debent ideis rationis, diſtinctio illa pondus quoddam videtur accipere, nobisque proſpectum aperit prorſus nouum, reſpectu litis, in qua ratio impedita tenetur, quaeque, cum antea, vt ab vtraque parte in falſis ſumtionibus poſita, *repudiata* eſt, iam, cum fortaſſe in antinomia dynamica talis ſumtio locum habeat, quae poſſit cum rogatione rationis conſtare, ob hanc cauſam, cumque iudex, quae ex vtraque parte praue intellecta fuerant, argumentorum iuris defectum ſuppleat, ita, vt vtrique parti fiat ſatis, *componi* queat, id quod effici haud poterat in pugna mathematicae antinomiae.

Ac ſane quidem conditionum ſeries homogeneae ſunt, quatenus ad ſolam illarum *compagem* ſpectamus: vtrum illae ideae conſentaneae ſint, an eae illis nimium magna vel parua videantur. Sed conceptus intelligentiae, qui hiſce ideis fundamento ſubeſt, aut ſolam in ſe ſyntheſin continet *homogenei* (quod in quaque quantitate, tam in compoſitione illius, quam diuiſione, ſumitur), aut etiam ſyntheſin *heterogenei*, quod in ſyntheſi dynamica, cum colligationis cauſarum, tum coniunctionis neceſſarii cum fortuito, ſaltem poteſt *admitti.*

Inde fit, vt in coniunctionem mathematicam ſerierum viſorum nulla alia ingredi conditio poſſit, quam ſenſibilis, id eſt, talis, quae ipſa pars ſeriei ſit; cum e contrario ſeries dynamica conditionum ſenſibilium tamen conditionem admittat heterogeneam, quae haud ſit pars ſeriei, ſed, vt ſolum intelligibilis, extra ſeriem ſita videatur, quo quidem tum rationi fit ſatis abſolutumque viſis anteponitur, neque tamen eo ſeries poſteriorum, vt ſemper ad conditionem adſtricta confunditur, atque intelligentiae decretis contrarie, abrumpitur.

Eo igitur, quod ideis dynamicis conditio permittitur viſorum extra ſeriem illorum, hoc eſt, ea, quae haud ipſa in viſo ſit, aliquid efficitur, quod ab euento antinomiae prorſus abhorrere videtur. Hac enim effectum eſt, vt ambae adſertiones dialecticae contrariae deberent pro falſis declarari. Contra perpetuo ad conditiones adſtrictum illud ſerierum dynamicarum, quod non poteſt ab iis vtpote viſis ſeparari, cum empirice quidem a conditione libera, verum etiam haud ſenſibili conditione coniunctum, ex parte *intelligentiae* poteſt, ex parte *rationi* *) ſatis facere, et dum argumenta dialectica ruunt, quae vniuerſitatem abſolutam in viſis meris hoc alioue modo quaerunt, contra vero enunciationes rationis, ſenſu tali modo correcto, ambae eſſe verae poſſunt; id quod in ideis cosmologicis, quae vnitatem duntaxat mathematicam attinent, numquam poteſt locum habere, quippe in quibus nulla ſeriei viſorum conditio deprehenditur, quam quae ipſa in viſo verſetur atque qua talis vna articulum ſeriei conſtituat.

*) Namque intelligentia nullam in viſis conditionem permittit, quae ipſa ſit empirice libera a conditione. Sin autem conditio *intelligibilis*, quae proinde ad ſeriem viſorum, vt articulus, pertineret, ad id, quod aliunde pendet (in viſo), poſſet cogitari, ita vt eo ſeries conditionum empiricarum minime interrumperetur: tum talis poſſet vt *empirice conditione vacua* admitti, ita vt eo progreſſui continuo empirico nuſpiam quidquam derogaretur.

III.

Solutio idearum coſmologicarum

DE TOTALITATE DERIVATIONIS

euentuum coſmicorum e cauſis ſuis.

Ratione eius, quod euenit, duplex tantummodo poteſt effectio cauſarum cogitari, aut ſecundum *naturam*, aut ex *libertate*. Illa cernitur in coniunctione ſtatus cuiusdam cum priori in mundo ſenſibili, quem ille ad regulam ſequitur. Cum autem *effectio cauſarum* in viſis conditionibus nitatur temporis, ſtatusque prior, ſi ſemper fuiſſet, nullum quoque effectum, quod demum in tempore oritur, edidiſſet: effectio cauſae eorum, quae eueniunt, aut oriuntur, etiam *exorta* eſt, atque ipſa viciſſim cauſa opus habet ex decreto intelligentiae.

Contra libertatem, ſenſu coſmologico, facultatem dico, ſtatum quendam *ſponte* incipiendi, cuius proinde effectio haud viciſſim ſecundum legem naturae alii cuidam cauſae ſubſit, quae illam quoad tempus determinet. Quo quidem ſenſu libertas in idea verſatur pura transſcendentali, quae primo nil quidquam in ſe continet ab experientia depromtum, cui deinde quae ſubiecta eſt res per nullam poteſt experientiam determinate dari, ſi quidem vniuerſali lege, ipſius poſſibilitatis cuiusque modi experientiae conſtitutum eſt, vt cuncta, quae eueniunt, cauſam, oporteat, proinde et effectio cauſae, quae *ipſa* euenit, aut orta eſt, viciſſim cauſam habere; quo quidem totus experientiae campus, quam late pateat, in complexum naturae merae mutatur. Quum autem hoc modo nulla poſſit totalitas conditionum abſoluta in relatione cauſarum emergere, ratio ideam creat ſpontaneitatis cuiusdam, quae ex ſe ipſa queat actionem inſtituere, ſine vlla alia cauſa praemittenda, quae illam viciſſim ad legem colligationis cauſarum ad agendum determinet.

Perquam notatu dignum eſt, in hac idea *libertatis* transſcendentali conceptum illius practicum niti, illam-

que in hac proprium momentum conſtituere difficultatum, quae quaeſtionem de poſſibilitate illius vsque quaque circumdedere. *Libertas* ſenſu practico cernitur in vacuitate ab arbitrii *coactione* per ſtimulos ſenſus. Arbitrium enim dicitur *ſenſitiuum*, quatenus illud *pathologice* (cauſis ſenſus motricibus) adfectum eſt; illudque ipſum vocatur *brutum*, cum poteſt *pathologice* cogi. Atque hominis quidem arbitrium eſt ſenſitiuum, non vero brutum, ſed *liberum*, propterea quod actio illius ſenſu haud neceſſaria redditur, ſed homini facultas ineſt, libere a coactione ſtimulorum ſenſus, ſeſe ex ſe ipſo determinandi.

Facile intelligitur, ſi omnis cauſarum effectio in mundo ſenſibili per ſolam naturam ederetur, quodque euentum alio quodam in tempore ex legibus neceſſariis determinatum fore, ideoque, cum viſis, quatenus arbitrium ea determinant, quaeque actio, vtpote naturalis conſecutio eorum, reddi neceſſaria oporteret, libertate transſcendentali ſublata ſimul etiam vniuerſam libertatem practicam iri deletum. Haec enim ſumit, etiamſi aliquid haud factum ſit, tamen fieri debuiſſe, eiusque cauſam in viſo proinde haud ita determinantem fuiſſe, quin in arbitrio noſtro vis quaedam efficiendi lateat, qua libere ab illis cauſis phyſicis contraque ipſam illius vim contagionemque aliquid queat produci, quod in ordine temporis ex legibus empiricis determinatum ſit, ideoque ſeries euentorum *prorſus ſponte* inchoari.

Igitur hic accidit, quod omnino in pugna rationis vltra terminos experientiae poſſibilis tendentis reperitur, vt quaeſtio proprie haud *pſychologica*, ſed *transſcendentalis* videatur. Quamobrem quaeſtio de poſſibilitate libertatis pſychologiam quidem ſollicitat, verum cum in argumentis dialecticis ſolius rationis purae poſita ſit, vna cum ſolutione ſua philoſophiam, neceſſe eſt, occupet transſcendentalem. Atque vt haec, quae non poteſt ea de re iuſtam reſponſionem recuſare, ad illud negotium idonea reddatur, in primis, quam viam ea in hac quaeſtione

traſtanda inſtituere debeat, in primis conabor obſeruatione quadam accuratius determinare.

Quodſi viſa poſita eſſent in rebus per ſe ipſis, proinde ſpatium tempusque in formis cerneretur exſiſtentiae rerum per ſe ipſarum; tum conditiones cum eo, quod inde pendet, ſemper ad vnam eamdemque ſeriem pertinerent, atque exinde quoque in praeſenti cauſa antinomia oriretur, omnibus ideis transſcendentalibus communis, hanc ſcilicet ſeriem neceſſario intelligentiae nimium magnam, vel nimium paruam eſſe oportere. Sed conceptus rationis dynamici, in quibus hoc ac ſequente numero occupamur, hoc peculiare habent: vt, cum non de re obiecta tractent, vt quantitate ſpectata, ſed modo de exſiſtentia illius, etiam a quantitate ſeriei conditionum poſſit cogitatio abduci, in iisque ſola conditionum ad id, quod inde pendet, relatio dynamica ſpectetur, ita, vt in quaeſtione de natura et libertate iam in difficultatem incurramus, an libertas eſſe omnino queat, et num, ſi ita eſt, cum naturali lege effectionis cauſarum vniuerſali poſſit conſtare; proinde an recte ex disiunctione enuncietur, vnumquodque in mundo effectum aut ex natura oportere, aut ex libertate oriri, aut an non potius vtrumque ex diuerſa relatione poſſit in vno eodemque euento locum habere. Veritas decreti illius de contextu perpetuo omnium euentorum mundi ſenſibilis, ex legibus phyſicis immutabilibus iam vt decretum analytices transſcendentalis firma eſt, neque vlli obnoxia exceptioni videtur. Ergo tantummodo quaeſtio eſt: vtrum nihilominus ratione eiusdem effecti, ſecundum naturam determinati, etiam locum queat libertas habere, an haec illa inuiolabili regula prorſus excluſa videatur. In quo communem quidem, ſed fallacem apparet ſumtionem *realitatis* viſorum *abſolutam* vim ſuam noxiam exſerere in ratione confundenda. Si enim viſa in rebus per ſe ipſis verſantur, tum libertas non erit conſeruanda. Tunc natura plena cauſa eſt perfecteque cohibens in ſe efficientiam cuiusque euenti, et conditio illius ſemper duntaxat ſerie viſorum continetur, quae,

vna cum effectо ſuo, neceſſario naturae legi ſubeſſe videntur. Contra ſi viſa nihil aliud habentur, atque ea re ipſa ſunt, nempe non res per ſe, ſed merae repraeſentationes, ad leges empiricas cohaerentes, neceſſe eſt, vt ipſa cauſas habeant, quae haud in viſis verſentur. Verum eiuscemodi cauſa intelligibilis ratione cauſalitatis ſuae non viſis determinatur, licet illorum effecta videantur, atque ita aliis poſſint viſis determinari. Itaque illa ſimul cum effectione ſua extra ſeriem eſt; ſed effecta illius in ſerie conditionum empiricarum deprehenduntur. Igitur effectum ratione cauſae intelligibilis vt liberum poteſt, et ſimul tamen reſpectu viſorum vt conſecutio illorum ex neceſſitate naturae conſiderari; quae quidem diſtinctio, ſi vniuerſe et prorſus cogitatione informata (abſtracte) proponatur, maxime ſubtilis obſcuraque videatur, neceſſe eſt, quae tamen ad vſum translata pateſiet. Hoc loco duntaxat monere volui: cum contextus omnium viſorum perpetuus, in contextu naturae, ſubiectus legi neceſſariae ſit, hac omnem neceſſario corruere libertatem oportere, ſi realitati viſorum obſtinate velimus adhaereſcere. Ex quo factum eſt, vt, communem in eo ſententiam ſecuti numquam eo poſſent peruenire, vt naturam cum libertate conciliarent.

Poſſibilitas effectionis
EX LIBERTATE,
in conciliatione cum lege vniuerſali neceſſitatis phyſicae.

Id in re ſenſibus ſubiecta, quod ipſum haud viſum eſt, *intelligibile* dico. Quapropter ſi illud, quod in mundo ſenſibili vt viſum conſiderandum eſt, in ſe ipſum quoque facultatem in ſe cohibet, viſioni ſenſitiuae haud obnoxiam, qua vero ſit, vt cauſa eſſe id viſorum queat: *effectio* huiusce naturae poterit e duplici parte ſpectari, ſcilicet vt *intelligibilis*, ex ſua ipſius actione, vt rei per ſe, vtque *ſenſibilis*, quoad *effecta* ipſius, qua viſi in mundo ſenſibili. Quocirca de facultate eiuscemodi ſubiecti

conceptum nobis empiricum informaremus, itemque intellectualem effectionis illius, qui in vno eodemque effecto ſimul locum habent. Ex tali duplici ratione facultatem rei ſenſibus ſubiectae cogitatione depingendi, nulla pugna emergit conceptuum eorum, qui nobis de viſis ſunt experientiaque poſſibili informandi. Etenim, cum his, quoniam non in rebus per ſe verſantur, obiecta res transſcendentalis fundamento ſubeſſe oporteat, qua illa vt merae repraeſentationes determinentur, nihil impedit, quominus, iſti obiectae rei transſcendentali, praeter proprietatem illam, qua conſpicitur, et effectionem attribuamus, quae haud poſita in viſo ſit, licet effectum illius nihilominus in viſo deprehendatur. Verum vna quaeque cauſa efficiens *characterem* quendam, legem effectionis, habeat, neceſſe eſt, ſine qua nullo modo ea cauſa foret. Ac tum in ſubiecto mundi ſenſibilis primo *characterem* empiricum haberemus, quo actiones eius, vt viſa, perpetuae cum aliis viſis ad fixas et immutabiles leges phyſicas cohaererent, ab iisque poſſent, tamquam a conditionibus ſuis, deriuari, et proinde, cum his coniunctae, vnius ſolius ſeriei ordinis naturae articulos conſtituerent. Deinde iis et intelligibilis concedi χαρακτηρ oporteret, quo fiat, vt cauſa quidem illarum actionum vt viſorum ſit, qui ipſe vero ſub nullas ſenſus conditiones ſubiectus ſit, neque ipſe in viſo verſetur. Poſſemus etiam illum eiusmodi rei in viſo characterem dicere, alterum characterem rei per ſe ipſius.

Atque hocce ſubiectum agens, ſecundum characterem intelligibilem, nullis temporis conditionibus ſubeſſet; ſi quidem tempus in conditione cernitur duntaxat viſorum, non vero rerum per ſe ipſarum. In eo neque exſiſteret *actio*, neque exſtingueretur, proinde etiam illud legi vniuerſae determinationis temporis, omnium mutabilium, foret ſubiectum: cuncta, quae *eueniunt, in viſis* (ſtatus prioris) cauſam habere. Verbo, effectio illius, quatenus eſt intellectualis, neutiquam foret in ſerie conditionum empiricarum, euentum in mundo ſenſibili neceſſarium efficientium. Qui quidem character

intelligibilis numquam poſſet proxime cognoſci, propterea quod nihil poſſumus percipere, niſi quatenus videtur, verum is tamen charaćteri empirico conuenienter oporteret cogitari, quemadmodum omnino cogitatione debemus rem obieċtam transſcendentalem viſis fundamento ſubiicere, quamuis, quid ea per ſe ipſa ſit, prorſus neſciamus.

Proinde ex charaċtere empirico hocce ſubieċtum, vt viſum, ſecundum vniuerſas determinationis leges colligationi cauſarum ſubditum foret, atque hoc reſpeċtu non, niſi in parte mundi ſenſibilis verſaretur, cuius effeċta ita, vti quoduis aliud viſum, ex natura neceſſario promanarent. Prout viſa externa illud adficerent, vt charaċter eius empiricus, id eſt, lex efficientiae illius, per experientiam agnoſceretur, omnes aċtiones eius ex legibus phyſicis deberent enodari poſſe, et vniuerſa, quae ad determinationem plenam earum et neceſſariam requiruntur, in experientia poſſibili oporteret deprehendi.

Verum ſecundum charaċterem eius intelligibilem (cuius quidem nobis non niſi ſolus eſſe conceptus vniverſalis poteſt) idem ſubieċtum nihilominus ab omni contagione ſenſus et determinatione per viſa liberum declarari oporteret, cumque in illo, quatenus noumenon eſt, nil quidquam ſit, nulla mutatio, quae determinationem temporis dynamicam poſtulat; proinde cum viſis, vtpote cauſis, coniunċtio inueniatur, haec natura aċtiua, eatenus in aċtionibus ſuis ab omni neceſſitate phyſica, quippe quae in ſolo mundo ſenſibili reperitur, vacua liberaque foret. Reċte illa diceretur effeċta ſua in mundo ſenſibili ſua ſponte inchoare, quamuis aċtio haud in ea ipſa incipiat; idque locum haberet, etiamſi effeċta in mundo ſenſibili haud ſponte initium capiant, quandoquidem in eo ſemper conditionibus in tempore priori, ſed tamen duntaxat ope charaċteris empirici (qui in ſolo viſo cernitur charaċteris intelligibilis) ante determinata ſint, et tantummodo vt continuatio eſſe queant ſeriei cauſarum phyſicarum. Ita libertas et natura, ſuo quae-

que ſenſu pleno perfectoque, in iisdem actionibus, prout eas cum cauſa illarum intelligibili vel ſenſibili comparaueris, ſimul atque absque omni pugna deprehenderentur.

EXPLANATIO

ideae cosmologicae libertatis in coniunctione cum vniuerſali neceſſitate phyſica.

E re eſſe duxi, primo adumbratam imaginem ſolutionis quaeſtionis transſcendentalis noſtrae delineare, vt iter rationis in ſoluenda illa eo melius perſpiceretur. Nunc autem momenta deciſionis eius, de quibus potiſſimum agitur, exponemus, ſingulaque ſpeciatim contemplabimus.

Lex phyſica, vniuerſa, quae eueniunt, cauſam habere, effectionem huiusce cauſae, id eſt, actionem, cum in tempore fiat, et ratione effecti, quod ortum eſt, ipſa non ſemper eſſe potuerit, ſed eam eſſe *factam* oportuerit, ſuam itidem in viſis cauſas habere, ideoque omnia euenta in ordine naturae conſtituta videri; haec lex igitur, qua demum viſa naturam conſtituunt, et res eſſe experientiae ſubiectae poſſunt, lex eſt intelligentiae, a qua ſub nullo quopiam praetextu licitum eſt discedere, neque quodpiam viſum excipere; eo quod alioquin illud extra omnem experientiam poneres poſſibilem, ſed ea re ab omni re poſſibili experientiae obnoxia diſtingueres, illudque ſolam rem cogitatione effictam fetumque ingenii efficeres.

In quo quidem quamquam catena videtur ſpectari cauſarum, quae in regreſſu ad conditiones ſuas, nullam prorſus *totalitatem abſolutam* admittit, tamen ea difficultas nos nihil moratur; ſi quidem ea iam in antinomia rationis vniuerſe diiudicanda, cum in ſerie viſorum ad id tendit, quod omni conditione vacat, ſublata eſt. Si illuſioni realiſmi transſcendentalis cedere velimus: nec natura relinquetur, nec libertas. Hoc loco tantummodo quaeſtio eſt: vtrum, ſi in tota ſerie euento-

rum omnium meram neceſſitatem phyſicam ſtatuamus, tamen eſſe queat, vt eadem, quae partim effectio phyſica videtur, partim tamen etiam vt effectio debeat ex libertate ſpectari, an in hiſce ambobus generibus effectionis directa repugnantia inueniatur.

In cauſis viſi profecto haud eſſe quidquam poteſt, quod ſimpliciter poſſit ſuaque ſponte ſeriem incipere. Quaeque actio, vt viſum, quatenus ea euentum producit, ipſa in euento cernitur, quod alium ſtatum, in quo cauſa deprehendatur, anteponit, atque ita omnia, quae eueniunt, duntaxat in ſerie continuanda verſantur, neque vllum in ea eſſe initium poteſt, ſua ſponte eueniens. Ergo vniuerſae cauſarum phyſicarum actiones in ſucceſſione temporis ipſae viciſſim in effectis verſantur, quae cauſas ſuas itidem in ſerie temporis antegreſſas requirunt. Actio originaria, qua aliquid fit, quod antea non erat, non poteſt a colligatione cauſarum in viſis exſpectari.

Verum num etiam neceſſe eſt, vt, ſi effecta in viſis cernantur, effectio cauſae illorum, quae (ſcilicet cauſa) ipſa quoque poſita in viſo eſt, tantummodo eſſe empirica debeat? nonne potius eſſe poteſt, vt, etiamſi ad quodque effectum in viſo colligatio cum cauſa ſua, ex legibus effectionis cauſarum empiricae, vere poſtuletur, tamen haec effectio empirica, contextu ſuo cum cauſis phyſicis haudquaquam interrupto, nihilominus in effecto poſſe effectionis haud empiricae, ſed intelligibilis verſari? hoc eſt, actionis cauſae, ratione viſorum, originariae, quae proinde eatenus haud viſum ſit, ſed quoad hanc facultatem intelligibilis, quamuis praeterea tota, tamquam articulus catenae naturae, ad mundum ſit ſenſibilem adnumeranda.

Decreto effectionis cauſarum in viſis inter ſe inuicem opus habemus, vt euentorum phyſicorum conditiones phyſicas queamus, id eſt, cauſas in viſo et quaerere, et indicare. Quo quidem conceſſo, neque vlla exceptione debilitato, intelligentia, quae in vſu empirico ſuo in

omnibus euentis nil niſi naturam videt, idque et iure facit, cuncta habet, quae poſtulare poterit, enodationesque phyſicae haud impeditae in via pergunt. Atqui eo haud illi quidquam derogatur, vt caeteroquin duntaxat confictum videatur, ſi ſumſeris, in cauſis phyſicis eſſe quoque, quae facultate gaudeant duntaxat intelligibili, propterea quod determinatio illius ad agendum numquam in conditionibus empiricis nititur, ſed in ſolis intelligentiae rationibus, ita tamen, vt *actio* huiusce cauſae *in viſo* vniuerſis legibus effectionis cauſarum empiricae conſentanea videatur. Etenim hoc modo ſubiectum agens, vt cauſa phaenomenon, cum natura indiſſolubili ratione omnium actionum ſuarum aliunde pendentium quaſi concatenatum teneretur, ſolumque huiusce ſubiecti phaenomenon (cum omni effectione ſua in viſo) certas conditiones in ſe cohiberet, quae, ſi ab re obiecta empirica velis ad transſcendentalem progredi, vt mere intelligibiles conſiderandae forent. Namque ſi modo in eo, quod eſſe cauſa in viſis poteſt, legem phyſicam ſequamur: non eſt, quod curemus, quae cauſa viſorum iſtorum eorumque contextu in ſubiecto transſcendentali, quod nobis empirice ignotum eſt, cogitetur. Atque hac ratione intelligibili quaeſtiones empiricae nullo modo ſollicitantur, ſed ſolam fere cogitationem ea attinet in intelligentia pura, et, quamquam effecta huiusce et cogitationis intelligentiae et actionis in viſis deprehenduntur, tamen haec nihilominus ex cauſa ſua in viſo ex legibus phyſicis plene, oportebit, poſſe enodari, ita, vt duntaxat characterem eorum empiricum, vtpote ſummam explicationis rationem, ſequamur, intelligibilemque characterem, in quo poſita cauſa eſt transſcendentalis illius, prorſus vt ignotum praetereamus, niſi quatenus is ſolum empirico, vt nota illius ſenſibili, indicatur. Hoc, age, ad experientiam adhibeamus. Homo eſt in viſis mundi ſenſibilis, et hoc quidem reſpectu etiam in cauſis phyſicis, quarum effectio legibus ſubeſſe empiricis debet. Vt talis proinde characterem, neceſſe eſt, empiricum habeat, quemadmodum aliae res phyſicae vniuerſae. Quem quidem

animaduertimus ex viribus facultatibusque, quas exſerit in effectis ſuis. In natura inanima, vel modo animaliter animata, nullam rationem inuenimus, quampiam nobis facultatem aliter, quam ſenſitiue ad conditiones adſtrictam cogitatione informandi. Sed homo, qui alias vniuerſam rerum naturam ſolis ſenſibus famulis nouit, etiam ſe ipſum ſola apperceptione cognoſcit, et quidem in actionibus determinationibusque internis, quas nullo pacto poteſt ad impreſſiones ſenſuum referre, ſibique ipſe ſane ex parte quidem phaenomenon videtur, ex parte vero, nempe ratione certarum facultatum, res obiecta mere intelligibilis, quoniam actio illius prorſus non poteſt ad vim recipiendi facultatis ſenſitiuae accenſeri. Quas quidem facultates intelligentiam vocamus et rationem, in primis haec poſterior proprie praecipueque ab omnibus viribus ad conditiones empirice adſtrictis diſtinguitur, cum ea res ſibi propoſitas ſolum ex ideis conſideret, intelligentiamque ad eas determinet, quae tum conceptus ſuos (ſane quidem itidem puros) ad vſum empiricum transfert.

Hanc autem rationem effectione (cauſalitate) gaudere, certe nos quidem eiuscemodi in ea cogitare, perſpicuum eſt ex *imperatiuis*, quae in omni actione viribus ſeſe exſerentibus vt regulas proponimus. Verbo *debere* ſpecies exprimitur neceſſitatis coniunctionisque cum rationibus, in vniuerſa rerum natura alioquin nuſpiam obviis. Cuius quidem nil poteſt quidquam intelligentia cognoſcere, niſi quod ſit, aut fuerit, aut futurum ſit. Fieri non poteſt, vt quidquam in ea aliter *eſſe debeat*, atque in omnibus his relationibus temporis reuera eſt, quin illud *debere*, ſi ſolum naturae curſum ſpectes, omni prorſus deſtitutum ſententia eſt. Neutiquam quaeri poterit: quid fieri in natura rerum debeat; aeque minus, atque: quae proprietates cadere in circulum debeant, ſed quid in ea fiat, vel quae proprietates in circulum cadant.

Itaque illo *debere* actio exprimitur poſſibilis, cuius ratio non, niſi in conceptu verſatur; cum contra ſolius

actionis phyſicae ratio ſemper cerni in viſo, neceſſe ſit. Atqui ſane quidem actionem eſſe poſſe, oportebit, ex conditionibus phyſicis, ſi illud *debere* illa ſpectet; ſed hae conditiones phyſicae haud ipſam arbitrii determinationem attingunt, verum duntaxat effectionem eiusque in viſo conſecutionem. Quot illae cumque rationes phyſicae ſint, memet ad *volendum* impellentes, quot illi cumque ſtimuli ſenſibiles, iis tamen non poterit illud *debere* produci, verum modo velle quoddam ſemper ad conditiones adſtrictum, tantum abeſt, vt neceſſarium, cui e contrario illud debere, quod ratio pronunciat, modum terminumque opponit, atque adeo vetitum auctoritatemque. Siue res ſit ſub ſolum ſenſum ſubiecta (iucundum), ſiue etiam rationi purae obnoxia (bonum): ratio non cedit rationibus empirice datis, neque ordinem rerum ſequitur, ita vti ſeſe in viſo oſtendunt, ſed ſpontaneitate prorſus plena ſibimet ipſa ordinem peculiarem conſtituit ad ideas, cui conditiones aptat empiricas, atque ex quibus vel actiones declarat neceſſarias, quae tamen non factae ſunt, nec fortaſſe fient, quarum quidem ratione rationem ponit nihilominus in iis poſſe efficientiam habere; namque, ſine hoc, ea haud exſpectaret in experientia effecta ſuarum idearum.

Iam hic conſiſtamus, ſaltemque ſumamus, eſſe poſſe, vt ratio vere reſpectu viſorum efficientiam (cauſalitatem) habeat: tamen, quantumuis ratio ſit, characterem ea oſtendere empiricum debebit, ſi quidem quauis cauſa regula ponitur, ad quam certa viſa, vt effecta, conſequantur, et quaeque regula conuenientiam poſtulat effectorum, quae conceptum cauſae (vt facultatis) conſtituit, quem quidem, quatenus is e ſolis viſis patere debet, characterem eius empiricum poſſumus vocare, qui conſtans eſt ac perpetuus, dum effecta pro diuerſis conditionibus concomitantibus partimque circumſcribentibus in formis apparent mutationi obnoxiis.

Igitur quisque homo charactere arbitrii gaudet empirico, qui nil eſt, niſi certa quaedam rationis effectio (cauſalitas), quatenus haec in effectis ſuis in viſo regu-

lam monſtrat, ad quam argumenta rationis actionesque ex modo illarum graduque intelligi poſſunt, principiaque arbitrii ſubiectiua diiudicari. Qui quidem character empiricus cum ipſe e viſis vt effectum atque ex regula eius, quam experientia miniſtrat, elici debeat: vniuerſae hominis actiones in viſo e charactere empirico ſuo aliisque cauſis adiuuantibus ſecundum naturae ordinem determinatae ſunt, et ſi omnia phaenomena arbitrii eius ad imum vsque fundum poſſemus percontari, ne vna quidem actio humana foret, quam non certo praedicere atque e conditionibus illius antegreſſis poſſemus vt neceſſariam cognoſcere. Ratione huiusce characteris empirici ergo nulla libertas eſt, ex eoque tamen ſolo poſſumus hominem contemplare, ſi modo *obſeruare*, et, vti in anthropologia fieri ſolet, actionum illius cauſas mouentes velimus phyſiologice perſcrutari.

Quodſi autem easdem actiones in relatione ad rationem conſideremus, et quidem haud contemplatiuam, vt eas quoad originem explicemus, ſed tantummodo, quatenus ratio cauſa eſt, earum ipſarum generandarum; verbo, ſi illam cum hac ex conſilio *practico* comparemus, longe aliam regulam ordinemque inueniemus, quam ordinem phyſicum. Tum enim fortaſſe haec omnia *fieri non* deberent, quae tamen ad curſum naturae *facta* ſunt, ad eiusque rationes empiricas neceſſario fieri oportebat. Nonnumquam autem inuenimus, vel certe putamus invenire, ideas rationis reapſe effectionem reſpectu actionum hominis, vt viſorum, exſeruiſſe, easque factas eſſe, non propterea, quod cauſis empiricis, ſed potius, quoniam argumentis rationis eſſent determinatae.

Fac igitur, vt dici poſſit: rationi effectionem eſſe reſpectu viſorum; an tum actio illius poterit libera vocari, cum ea in charactere empirico (ſenſus genere) accurate determinata ſit et neceſſaria. Hic viciſſim determinatus eſt charactere intelligibili (cogitandi modo). Quem poſteriorem quidem non nouimus, verum viſis deſignamus, quibus proprie ſolus ſenſus modus (chara-

ctter empiricus) proxime cognoſcitur. *) Actio igitur, quatenus cogitandi modo, tamquam cauſae ſuae, tribuenda eſt, nihilominus tamen prorſus non ſequitur ex legibus empiricis, hoc eſt, ita, vt conditiones rationis purae, ſed ſic modo, vt effecta illarum in viſo ſenſus intimi antecedant. Ratio pura, vtpote facultas mere intelligibilis, formae temporis non eſt, nec proinde quoque conditionibus ſucceſſionis temporis ſubiecta. Cauſalitas rationis in charactere intelligibili *non oritur*, neue certo ſorte tempore inſtituit effectum edere. Namque alioquin legi viſorum phyſicae ea ſubiecta foret, quatenus ea quoad tempus determinat ſeries cauſarum, tumque in natura cauſalitas cerneretur, non vero in libertate. Ergo dicere poterimus: ſi rationi eſſe cauſalitas poterit ratione viſorum; ea in facultate verſabitur, qua conditio ſenſibilis ſeriei cuiusdam effectorum empiricae primum incipit. Etenim, quae in ratione ineſt, conditio non ſenſibilis eſt, nec proinde ipſa incipit. Quamobrem tum locum habet, quod in vniuerſis ſeriebus empiricis deſiderauimus: *conditionem* ſeriei cuiusdam euentorum ſucceſſiuae ipſam poſſe eſſe ab omni conditione empirice liberam. Namque hic conditio extra ſeriem viſorum (in intelligibili) eſt, nec proinde cuipiam conditioni ſenſibili, nullique temporis determinationi ex cauſa antegreſſa obnoxia.

Nihilominus tamen eadem cauſa alio reſpectu quoque pertinet ad ſeriem viſorum. Homo ipſe in viſo cernitur. Eius arbitrium charactere gaudet empirico, qui in cauſa (empirica) eſt actionum illius omnium. Nulla eſt conditionum, hominem huic characteri conuenienter determinantium, quin ea in ſerie effectorum phyſicorum

*) Propria actionum moralitas (meritum et culpa) nobis proinde, vel ipſa noſtrae ipſius vitae prorſus ignota manet. Noſtrae imputationes tantummodo poſſunt ad characterem empiricum referri. Quantum autem earum purum libertatis effectum ſit, quantum naturae ſoli, vitioque temperamenti inculpato meritoue ſit fortunae attribuendum, nemo poteſt cogitando inquirere, nec proinde quoque ex plena iuſtitia diiudicare.

comprehendatur, legique illorum obtemperet, ex qua nulla prorſus cauſalitas empirice a conditionibus libera eorum, quae fiunt in tempore, reperiatur. Proinde nulla data actio (eo quod duntaxat poteſt vt phaenomenon percipi) ſimpliciter poteſt abſoluteque ſuapte ſponte incipere. Verum de ratione dici non poteſt, eum ſtatum, in quo illam determinat arbitrium, alium antecedere, in quo hic ſtatus ipſe determinetur. Cum enim ratio ipſa non in phaenomeno verſetur, nullique prorſus ſenſus conditioni ſubiecta ſit, in ea, vel ratione cauſalitatis illius, nulla locum ſucceſſio temporis habet, ad eamque proinde lex naturae dynamica, qua ſucceſſio temporis ex regulis definitur, non poteſt adhiberi.

Quamobrem ratio conſtans illa atque perpetua conditio eſt actionum omnium arbitrariarum, ſub quibus homo videtur. Quaeque illarum in charactere hominis ante determinata eſt, quam ea euenit. Ratione characteris intelligibilis, cuius ille ſolum ſchema ſenſibile eſt, nullum nec *ante* valet, nec *poſt*, et vnaquaeque actio, nullo habito reſpectu relationis temporis, qua illa ad alia phaenomena adfecta eſt, cernitur in effectione proxima characteris intelligibilis rationis purae, quae proinde libere agit, ita vt in catena cauſarum naturalium, nec externis rationibus nec internis, ſed tempore antegreſſis, dynamice ſit determinata, eaque illius libertas non ſolum negatiue poteſt tamquam vacuitas a conditionibus empiricis ſpectari (quippe quo facultas rationis eſſe cauſa viſorum deſineret), verum etiam poſitiue facultas deſignari, ſeriem euentorum ſuapte ſponte inchoandi, ita, vt in ea ipſa nihil incipiat, ſed vt ea, tamquam conditio haud aliunde pendens cuique actioni arbitrariae, ſupra ſe nullam tempore antecedentem conditionem permittat, dum interim tamen illius effectio in ſerie phaenomenorum incipit, ſed numquam in ea initium ſimpliciter abſoluteque primum poteſt conſtituere.

Vt igitur principium rationis regulatiuum exemplo ex vſu eius empirico depromto illuſtremus, non quo illud confirmemus (ſi quidem eiusmodi argumenta ad ad-

ſertiones transſcendentales inepta videntur), actionem ponamus arbitrariam, velut mendacium malitioſum, quo quis confuſionem quandam in ſocietatem adduxit, quamque primo ex cauſis commouentibus, vnde illud exorſum ſit, examinamus, et deinde iudicamus, quomodo illud cum conſequentibus ſuis illi queat imputari. Priori reſpectu characterem eius empiricum vsque ad fontes illius perſequimur, quos in educatione praua, in ſocietate mala, partim etiam in malitia ingenii ad pudorem hebetis conquirimus, partim in leuitatem animi temeritatemque conferimus; in quo et cauſas occaſionem largientes haud negligimus. In his omnibus verſamur, vti omnino in inueſtigatione ſeriei cauſarum determinantium in dato quodam effecto phyſico. Quamquam autem actionem eo determinatam putamus, tamen nihilo minus hominem vituperamus, et quidem propter infortunatum eius ingenium, proper temporum vim in illum et contagionem, non adeo denique propter vitam anteactam, quippe quam ſumimus, qualis fuerit, prorſus poſſe praeteriri, praeteritamque conditionum ſeriem vt infectam, illud facinus autem vt prorſus a conditione liberum ratione ſtatus prioris conſiderari, quaſi auctor facinoris ſeriem ea re confecutionum ſua ſponte incipiat. Hoc vituperium nititur lege rationis, in quo haec (ratio) vt cauſa ſpectatur, quae actiones hominis, nullo habito aliarum conditionum empiricarum reſpectu, aliter et potuerit et debuerit determinare. Et quidem effectionem rationis haud fere vt ſolam concurrentiam, ſed per ſe ipſam vt plenam ſpectamus et integram, etiamſi impulſiones ſenſus ei prorſus haud fauerent, ſed fere adeo adverſarentur; actio characteri tribuitur eius intelligibili, iamiam, in eo momento, quo mentitur, totus in culpa haeret; proinde ratio, neglectis omnibus facinoris conditionibus empiricis, prorſus libera fuit, eiusque omiſſioni hoc totum tribuendum videtur.

In hac ſententia vituperante facile animaduertimus cogitari, rationem omni illa facultate ſenſitiua haud adfici, neque mutari (etiamſi phaenomena illius, id eſt,

modus, quo ea ſeſe in effectis ſuis manifeſtat, immutentur), in eaque nullum ſtatum antecedere, qui determinet ſequentem, proinde illam nullo pacto ad ſeriem pertinere conditionum ſenſibilium, quibus viſa ſecundum leges phyſicas neceſſaria redduntur. Illa ratio in omnibus actionibus hominis omnibus temporum ſtatibus praeſens eſt eademque, ipſa vero non eſt in tempore, neque in ſtatum nouum incidit, in quo antea non fuerit; ratione huius ea eſt *determinans*, verum haud quaquam *determinabilis*. Quamobrem quaeri non poteſt: cur ratio ſeſe haud aliter determinauit? Sed duntaxat: cur phaenomena effectione ſua non ſecus determinauit? Ad hoc vero, fieri non poteſt, vt reſpondeatur. Namque alius character intelligibilis alium characterem empiricum exſeruiſſet, et cum dicimus, auctorem facinoris, nulla habita ratione vitae vsque ad illud tempus inſtitutae, tamen potuiſſe mendacium omittere, tum illud hanc vim habet, illud (mendacium) poteſtati rationis proxime ſubiectum eſſe, rationemque in effectione ſua nullis ſubeſſe conditionibus phaenomeni curſusque temporis, diſcrimenque temporis quoque, praecipuum quidem diſcrimen phaenomenorum conſtituere inter ſe inuicem collatorum, quae vero cum in nullis rebus, proinde quoque non in cauſis per ſe ipſis verſentur, nullum efficere diſcrimen poſſe actionis reſpectu rationis.

Igitur in ſententia de actionibus liberis ferenda, ratione cauſalitatis earum, poſſumus duntaxat ad cauſam intelligibilem pertinere, non autem *vltra* illam venire; poſſumus cognoſcere, eam liberam, id eſt, a ſenſus contagione libere determinatam, atque, hoc modo conditionem viſorum ſenſitiue abſolutam eſſe poſſe. Quare vero charactere intelligibili ipſa haec viſa ipſeque hic character empiricus hiſce temporibus efficiatur, id vt reſponſione planum fiat, vim omnem rationis noſtrae fugere videtur, quin illi ne ipſa quidem quaerendi copia ſit, quaſi quaeratur: qui fiat, vt res obiecta transſcendentalis viſioni externae ſenſitiuae noſtrae ipſam duntaxat viſionem in *ſpatio* neque quampiam aliam largiatur. Ve-

rum quaeſtio, quae nobis hoc loco enodanda fuit, ad eam rem nos haud obligat; ſi quidem illa tantummodo eo redibat: an libertas neceſſitati phyſicae in vna eademque actione repugnet; id quod ſatis eſt a nobis explicatum. Namque docuimus, cum in illa (libertate) adfectio eſſe poſſit ad longe aliud conditionum genus, atque in hac (neceſſitate phyſica) lege poſteriorum priores haud adfici, proinde vtrisque ab ſe inuicem liberis nec per ſe inuicem turbatis eſſe locum poſſe.

* * *

Sed probe notandum eſt: nos ea re non *veritatem* libertatis, vtpote facultatis, cauſam phaenomenorum mundi ſenſibilis noſtri in ſe cohibentis, voluiſſe euincere. Namque, praeterquam quod hoc non quidquam fuiſſet, quod caderet in deliberationem transſcendentalem, duntaxat in conceptibus occupatam, illud etiam haud poſſet ſuccedere, propterea quod numquam poſſumus ab experientia concludere ad id, quod neutiquam debet ex legibus experientiae cogitari. Iam vero ne animus quidem fuit, *poſſibilitatem* libertatis probandi; neque enim hoc ſucceſſiſſet, quoniam nullius omnino rationis realis nulliusque cauſalitatis, e meris conceptibus ex anticipatione, poſſumus agnoſcere poſſibilitatem. Hoc loco libertas tantummodo tractatur vt idea transſcendentalis, qua ratio cogitat ſeriem conditionum in phaenomeno per illud, quod ſenſitiue liberum ab omni conditione eſt, ſimpliciter inſtituere, ſed in eo in antinomiam incidit cum ſuis ipſius legibus, quas illa vſui praeſcribit intelligentiae empirico. Quam antinomiam quidem in ſola ſpecie poſitam eſſe atque illuſione, naturamque effectionis ex libertate certe haud pugnare, id vnum fuit, quod potuimus efficere, quodque ſolum noſtra interfuit.

IV.

Solutio ideae coſmologicae

DE VNIVERSITATE DEPENDENTIAE

viſorum, quoad exſiſtentiam vniuerſe.

Numero ſuperiori mutationes mundi ſenſibilis contemplati ſumus in ſerie dynamica, cum quaeque alii cuidam, vt cauſae ſuae, ſubeſt. Iam haec ſeries nobis eſt pro duce, quo ad exſiſtentiam quamdam perueniamus, quae ſumma eſſe conditio poſſit eorum omnium, quae mutantur, nimirum ad *naturam neceſſariam.* Hoc loco non de cauſalitate abſoluta agitur, ſed de exſiſtentia abſoluta ipſius ſubſtantiae. Proinde ſeries, de qua nunc agimus, proprie duntaxat ſeries conceptuum eſt, haud viſionum, quatenus altera alterius conditio videtur.

Sed facile intelligitur: cum omnia in complexu phaenomenorum poſſint mutari, proinde ratione exſiſtentiae pendeant aliunde, nuſpiam omnino in ſerie exſiſtentiae pendentis articulum eſſe quemquam abſolutum poſſe, ideoque, ſi viſa in rebus per ſe ipſis cernerentur, ob hanc ipſam rem autem conditio illorum cum eo, quod pendet, ſemper ad vnam atque eandem viſionum ſeriem pertineret, naturam neceſſariam, tamquam cauſam exſiſtentiae phaenomenorum mundi ſenſibilis, poſſe numquam locum habere.

Sed regreſſus dynamicus hoc ſibi proprium habet, atque ita diſtinguitur a mathematico: vt, cum hic proprie tantummodo in compoſitione partium ad totum aliquod, aut in diuiſione cuiusdam totius in partes eius verſetur, conditiones huius ſeriei ſemper vt partes illius, proinde vt homogeneae, ideoque vt viſa oporteat ſpectari, cum contra in illo regreſſu, quia non de poſſibilitate totius cuiusdam abſoluti e partibus datis, partisue ad totum datum abſolutae, verum de deriuatione ſtatus cuiuspiam a cauſa, vel exſiſtentiae fortuitae ipſius ſub-

ſtantiae ab neceſſaria agitur, conditio haud fere neceſſario cum eo, quod pendet, ſeriem empiricam conſtituere debeat.

Quapropter, in hac nobis obuerſante antinomia putatitia exitus patebit, vt ſcilicet, cum vtraque enunciatio pugnans pro diuerſo reſpectu eſſe ſimul verae poſſint, ita, vt res omnes mundi ſenſibilis prorſus fortuitae ſint, proinde quoque ſemper exſiſtentia gaudeant duntaxat empirice pendente, nihilominus tamen ſeriei totius conditio non empirica locum habeat, id eſt, natura abſolute neceſſaria. Quandoquidem haec, vtpote conditio intelligibilis, neutiquam ad ſeriem vt eius articulus (ne articulus quidem ſupremus) pertineret, neque ſeriei articulum empirice abſolutae conſtitueret, verum totum mundum ſenſibilem in exſiſtentia per omnes articulos empirice pendente manere pateretur. In eo igitur hic modus exſiſtentiae viſis ſicut aliquod fundamentum ponendae, ab effectione empirice abſoluta (libertate), in ſuperiori articulo, differret, vt in libertate res ipſa, vt cauſa (ſubſtantia phaenomenon), tamen ad ſeriem conditionum pertineret, ſolaque duntaxat eius cauſalitas vt intelligibilis cogitaretur, hic autem natura neceſſaria prorſus extra ſeriem mundi ſenſibilis (vt ens extramundanum) ſolaque intelligibilis cogitatione foret informanda, quo quidem ſolo poterit euitari, vt ne ipſa lege fortuiti dependentiaeque phaenomenorum omnium ſubiiciatur.

Quamobrem *principium* rationis *regulatiuum* reſpectu huius quaeſtionis noſtrae erit huiuscemodi: vniuerſa in mundo ſenſibili exſiſtentiam habere empirice ad conditiones adſtrictam, ac nullibi in eo ratione vllius cuiuspiam qualitatis neceſſitatem abſolutam videri: nullum eſſe articulum in ſerie conditionum, cuius haud vsquequaque ſit conditio empirica per experientiam quandam poſſibilem exſpectanda, et, quoad eius fieri poſſit, anquirenda, neque nobis quidpiam poteſtatem facere, vllam quampiam exſiſtentiam a conditione quadam extra ſeriem empiricam deriuandi, eamue quoque vt ipſam

abſolute liberam a conditione atque in ſeſe conſiſtentem reputandi, neque tamen propterea negandi, totam ſeriem in natura quadam intelligibili (quae ideo ab omni conditione libera ſit, potiusque cauſam in ſeſe contineat poſſibilitatis horum omnium phaenomenorum) poſſe niti.

Non eſt animus exſiſtentiam abſolute neceſſariam naturae cuiusdam euincere, neue vel poſſibilitatem modo conditionis cuiuspiam mere intelligibilis viſorum in mundo ſenſibili in illa conſtituere, ſed ita tantummodo, vti rationem circumſcribimus, ne filum ea conditionum empiricarum deſerat, atque in rationes explicandi ſeſe transſcendentes praecipitet, in ſinguloque (concreto) haud proponendas, ita e contrario quoque legem intelligentiae tantummodo empirice vtendae vsque eo circumſcribere, vt ne ea de poſſibilitate rerum in vniuerſum decernat, atque intelligibile, etiamſi ad enodanda phaenomena vti illo nequeamus, non ideo non eſſe poſſe iudicet. Proinde eo duntaxat monetur, perpetuam illam rerum naturalium omnium rationem fortuitam omniumque earum conditionum empiricarum commode poſſe cum ſumtione arbitraria neceſſariae cuiuspiam, licet mere intelligibilis conditionis conſtare, ergo nullam veram in hiſce adſertionibus repugnantiam ineſſe, proinde *vtramque* eſſe veram poſſe. Vt eſſe per ſe nequeat eiusmodi natura intelligibilis abſolute neceſſaria, tamen hoc ex ratione fortuita vniuerſali ac pendente omnium eorum, quae pertinere ad mundum ſenſibilem videntur, itemque ex principio, in nullo quopiam eorum articulo, quatenus fortuitum eſt, deſinendi et ad cauſam extramundanam prouocandi, nullo pacto poteſt concludi. Ratio pergit in vſu empirico ſuumque peculiare iter proſequitur in transſcendentali.

Mundus ſenſibilis nil in ſe continet praeter phaenomena, quae vero in ſolis repraeſentationibus verſantur, ſemper viciſſim ſenſitiue ad conditiones adſtrictis, cumque hic numquam nobis res per ſe ipſae propoſitae ſint, non mirum eſt, nobis numquam competere, vt ab

articulo quodam, qui ille cumque ſit, ſeriei empirice ſaltum faciamus extra contextum ſenſus, quaſi in rebus verſentur per ſe ipſis, quae extra cauſam transſcendentalem ſuam exſtarent, quaeque relinqui queant, quo cauſa exſiſtentiae illarum extra eas quaeratur; quod ſane tandem fieri in rebus *fortuitis* deberet, minime vero in ſolis *repraeſentationibus* rerum, quarum ipſa ratio fortuita duntaxat in phaenomeno cernitur, ad nullumque alium poteſt regreſſum ducere, quam quo phaenomena determinantur, id eſt, ad empiricum. Sed cauſam viſorum, id eſt, mundi ſenſibilis, intelligibilem animo concipere, eamque liberam a ratione horum fortuita cogitare, neque empirico regreſſui in ſerie phaenomenorum nullis carceribus circumſcripto aduerſatur, neque rationi fortuitae illorum perpetuae. Verum hoc vnum eſt, quod ad explanandam antinomiam putatitiam nobis fuit efficiendum, quodque ſolum hoc modo potuit fieri. Etenim, ſi quaeque conditio ad quodque, quod inde pendet (quoad exſiſtentiam), ad ſenſum, et ob eam ipſam cauſam ad ſeriem pertinet, ipſa viciſſim eſt ad conditionem adſtricta (vti docet antitheſis antinomiae quartae). Aut igitur cum ratione, abſolutum poſtulante, pugnam manere, neceſſe erat, aut hoc extra ſeriem poni in intelligibili, cuius neceſſitas nullam requirit conditionem empiricam, nec permittit, et proinde, habito reſpectu ad viſa, abſolute neceſſaria videtur.

Vſus rationis empiricus (reſpectu conditionum exſiſtentiae in mundo ſenſibili) conceſſa quadam natura intelligibili haud adficitur, ſed ex principio rationis fortuitae perpetuae a conditionibus empiricis progreditur ad altiores, itidem pariter empiricas. Verum aeque minus hoc decreto regulatiuo ſumtio cauſae intelligibilis, quae non eſt in ſerie, excluditur, ſi de vſu rationis puro (reſpectu finium) agatur. Namque tum illa duntaxat cauſam denotat ratione noſtri transſcendentalem atque ignotam poſſibilitatis ſeriei ſenſibilis in vniuerſum, cuius ab omni conditione huiusce poſterioris vacua reſpectuque huius abſolute neceſſaria exſiſtentia ra-

tioni fortuitae nullis carceribus circumſcriptae illius prioris, et propterea quoque regreſſui nuſpiam finito in ſerie conditionum empiricarum, prorſus haud contraria videtur.

SCHOLION FINALE

ad vniuerſam antinomiam rationis purae.

Quamdiu cum noſtris rationis conceptibus in vniverſitate conditionum mundi ſenſibilis verſamur, in iisque, quae reſpectu illius fieri in commodum rationis poſſunt: noſtrae ideae ſunt *transſcendentales* illae quidem, ſed tamen *coſmologicae.* Verum ſimul atque abſolutum illud (de quo tamen proprie agitur) in eo ponamus, quod prorſus poſitum eſt extra mundum ſenſibilem, proinde extra omnem, quae fieri poteſt, experientiam, tum ideae euadunt *transſcendentes;* non ſolum eae faciunt ad vſum empiricum rationis (qui ſemper idea numquam perficienda manet, ſed ſequenda tamen) abſoluendum, ſed ſe ipſae prorſus ab eo ſeiungunt, et ſibi ipſae res obiectas effingunt, quarum materia haud ab experientia depromta eſt, quarumque realitas obiectiua itidem haud in perficienda ſerie empirica, ſed in conceptibus puris ex anticipatione niteretur. Huiuscemodi ideis transſcendentibus propoſita res eſt mere intelligibilis, quam, vt rem obiectam transſcendentalem, quam caeteroquin prorſus ignoramus, ſane licet concedi, quam vero vt rem cogitemus attributis diſtinguentibus ſuis atque internis determinabilem, nec rationes poſſibilitatis (vt ab omni conceptu empirico liberae), nec minimum praetextum habemus eiusmodi remobiectam ſumendi, quaeque proinde in ſola re cogitando efficta verſatur. Nihilominus illa omnium idearum coſmologicarum, quae quartae anſam antinomiae dedit, vrgemur, vt illud audeamus. Nam exſiſtentia viſorum in ſe ipſa prorſus haud fundata, ſed ſemper conditionibus adſtricta nos prouocat, vt anquiramus quiddam ab vniuerſis phaenomenis diuerſum, proinde oblatam rem intelligibilem,

in qua haec ratio fortuita deſinat. Quoniam vero, cum ſemel nobis tantum indulſimus, vt extra campum vniverſi ſenſus exſiſtentiam in ſeſe conſiſtentem ſumeremus, viſa duntaxat vt fortuitos repraeſentationum modos obiectarum rerum intelligibilium, eiusmodi naturarum, quae ipſae intelligentiae ſint, ſpectaremus: nihil nobis aliud relinquitur, quam analogia, ad quam conceptibus empiricis vtimur, vt de rebus intelligibilibus, quarum nobis per ſe ne minima quidem notitia eſt, quampiam tamen nobis cogitationem informemus. Cum fortuitum non niſi per experientiam cognoſcamus, hoc autem loco de rebus ſermo ſit, quae neutiquam res eſſe debeant experientiae ſubiectae, notitiam illarum eo, quod per ſe neceſſarium eſt, ex conceptibus rerum in vniuerſum, debebimus deriuare. Itaque primo ſtatim, quem extra mundum ſenſibilem facimus, gradu cogimur, vt nouas notitias noſtras ab inueſtigatione naturae abſolute neceſſariae inſtituamus, atque a conceptibus illius conceptus rerum omnium, quatenus mere intelligibiles ſunt, deriuemus, idque ſequente capite periclitabimur.

Libri poſterioris

DIALECTICES TRANSSCENDENTALIS

CAPUT TERTIUM.

Ideale rationis purae.

SECTIO PRIMA.

De Ideali in genere.

Supra vidimus, *conceptibus* puris *intelligentiae*, ſine omni ſenſus conditione, nullas omnino poſſe res obiectas repraeſentari, ſi quidem conditiones deſunt realitatis illarum obiectiuae, nihilque in iis, praeter ſolam cogitandi formam, deprehenditur. Nihilominus tamen in ſingulo (concreto) poſſunt proponi, ſi ad phaenomena adhibeantur; quippe in quibus proprie habent materiam conceptus empirici, qui non niſi in conceptu verſatur

intelligentiae in ſingulo (concreto). Verum ideae longius ſunt, atque *categoriae*, a realitate obiectiua remotae; neque enim vllum inueniri phaenomenon poteſt, in quo poſſint in ſingulo oſtendi. Continent in ſe perfectionem quandam, ad quam nulla, quae eſſe poteſt, cognitio empirica ſuppetit, ratioque in eo duntaxat vnitatem ſyſtematicam ſpectat, cui ea poſſibilem vnitatem empiricam propius conatur adducere, ita tamen, vt numquam penitus ad eam pertineat.

Multo autem longius, atque idea, illud a realitate obiectiua diſtare videtur, quod *ideale* dico, et quo ideam intelligo non modo in concreto, verum etiam in ſingulari (indiuiduo), id eſt, vt ſingularem quamdam rem, per ſolam ideam determinabilem, aut adeo determinatam.

Natura humana in plena integritate ſua ac perfectione non ſolum amplificationem continet omnium ad hanc naturam pertinentium proprietatum cum ea ipſa continentium et neceſſariarum, quibus noſtra de illa cogitatio efficitur, vsque ad plenam congruentiam cum finibus ſuis, in quo noſtra idea poſita foret humanitatis perfectae atque abſolutae, verum etiam cuncta, quae praeter huncce conceptum ad perpetuam ideae determinationem pertinent; ſi quidem ex vniuerſis attributis oppoſitis vnum tantummodo poteſt ad ideam hominis perfectiſſimi quadrare. Quod nobis ideale eſt, *Platoni* fuit idea *intelligentiae diuinae*, res obiecta ſingula in viſione illius pura, perfectiſſimum cuiusque generis, quae eſſe poſſunt, naturarum, ac prototypon ectyporum omnium in phaenomeno.

Sed ne longius aberremus, nobis fatendum erit, rationem humanam non ſolum ideas, ſed ideale quoque in ſe cohibere, quae haud quidem, inſtar Platonicarum, vim creatricem habeant, at *actiuam* (practicam) tamen (vt principia regulatiua), et poſſibilitati perfectionis fundamento ſint certarum *actionum*. Conceptus morales non prorſus ſunt conceptus puri rationis, ſi quidem iis

quiddam empirici (iucundum yel iniucundum) ſubeſſe fundamento videtur. Nihilominus reſpectu principii, quo ratio libertatem per ſe a lege liberam carceribus coërcet (proinde ſi ſolam illius formam ſpectaueris), commode illi poſſunt exemplo eſſe conceptuum purorum rationis. Virtus, cum eaque ſapientia humana in omni puritate ſua, verſantur in ideis. Sed ſapiens (Stoicorum) ideale eſt, hoc eſt, homo, qui in ſola cogitatione exſtat, qui vero cum idea ſapientiae prorſus congruere videtur. Vti idea *regulam* praecipit, ita ideale in eiusmodi caſu *prototypo* ſeruit perpetuae determinationi ectypi, neque aliam actionum noſtrarum normam habemus, quam exemplar huiusce diuini hominis in nobis, quocum nosmet comparamus, et iudicamus, eoque emendamus, quantumuis illud numquam poſſimus attingere. Neque haec idealia, etiamſi iis nullam realitatem obiectiuam (exſiſtentiam) conceſſerimus, propterea tamquam imagines phantaſiae ſpectanda videntur, ſed neceſſaria rationis norma ſunt, conceptu eius, quod in ſuo genere omni numero abſolutum eſt, egentis, vt ad eam gradum queat defectusque imperfectionis et aeſtimare, et metiri. Sed fieri non poteſt, vt ideale in exemplo quodam, id eſt, in phaenomeno, ad veritatem (realitatem) transferatur, vti fere ſapientem facimus in fabula Romanenſi, praeterea quoque abſonum eſt et inutile, propterea, quod carceribus illis naturalibus, qui perfectioni in idea perpetuo derogant, fit, vt nulla eſſe illuſio poſſit in tali periculo, eoque bonum ipſum, quod ineſt in idea, in ſuſpicionem vocetur, ſoliusque fictionis ſimile reddatur.

Sic cum ideali rationis comparatum eſt, quod ſemper in conceptibus niti determinatis debet, et regulae ſeruire ac prototypo, ſiue obtemperandi, ſiue diiudicandi. Sed longe aliter ſe habet cum idolis phantaſiae, de quibus nemo mentem explicare poteſt, neque conceptum perſpicuum ſuppeditare, quaſi *monogrammis*, quae in ſingularibus cernuntur lineis, quamquam ad nullam, quae indicari poſſit, regulam determinatis, quae

potius deſcriptionem picturamue efficiunt, in medio diverſarum experientiarum vagantem, quam imaginem definitam, cuiusmodi pictores et phyſiognomi in mente habere prae ſe ferunt, quaeque in adumbrata imagine effectorum ſuorum ſententiarumue neutiquam communicanda perhibent verſari. Poſſunt illa quidem, quamquam duntaxat improprie, idealia ſenſus appellari, quoniam exemplar inacceſſum eſſe debent, quae eſſe poſſunt, viſionum empiricarum, neque tamen regulae inſeruiunt, quae explicari queat atque examinari.

Contra omne rationis conſilium in ideali ſuo poſitum eſt in determinatione perpetua ad regulas ex anticipatione; quamobrem ſibi rem obiectam cogitatione depingit, quae ex principiis eſſe perpetuo determinabilis debeat, quamuis plenae perfectaeque ad illam conditiones deſint in experientia, atque ipſe proinde conceptus videatur transſcendens.

Capitis tertii

SECTIO SECUNDA.

De ideali transſcendentali.
(prototypo transſcendentali).

Quisque conceptus ratione eorum, quae in ſe ipſe haud continet, indeterminatus eſt, decretoque ſubeſt (ſit venia verbo) *determinabilitatis;* e duobus per repugnantiam diſiunctis attributis vnum illi tantummodo poſſe competere, quod in effato nititur repugnantiae, et proinde principium eſt mere logicum, quod ab omni cognitionis materia ſe continet, nihilque, niſi formam logicam, iſtius ſpectare videtur.

Verum quaeque res, quatenus eſſe poteſt, praeterea ſubiecta eſt decreto determinationis perpetuae, vi cuius ex omnibus *rerum*, quae eſſe poſſunt, attributis, quatenus cum diſiunctis ſuis contrariis comparantur, vnum illi debet competere. Id quod non ſolum poſitum

eſt in pronunciato repugnantiae: ſi quidem, praeter relationem duorum attributorum pugnantium, quamque rem illud conſiderat in adfectione ad *poſſibilitatem vniuerſam*, vt complexum omnium attributorum rerum in vniverſum, dumque ea vt conditiones ſumit ex anticipatione, quamque rem ita proponit, ac ſi a parte, quam capit, vniuerſae poſſibilitatis, ſuam ipſius poſſibilitatem deriuet. *) Igitur principium determinationis perpetuae materiam attingit, non ſolam formam logicam. Cernitur illud in decreto ſyntheſeos attributorum omnium, quibus plenus rei debet conceptus effici, neque haud duntaxat repraeſentationis analyticae, per vnum e duobus oppoſitis attributum, ſumtionemque continet transſcendentalem, nimirum materiae vniuerſae *poſſibilitatis*, qua ex anticipatione debent data poſſibilitatis cuiusque rei ſpecialis contineri.

Decretum: omne, quod *exſtat*, perpetuo eſt determinatum, non ſolum hanc vim habet, vt de ſingulis paribus attributorum inuicem ſibi oppoſitorum datorum, ſed etiam de vniuerſis, quae eſſe poſſint, ſemper illi vnum competere; quo pronunciato non tantum attributa inter ſe logice, verum res ipſa, cum complexu omnium, quae eſſe poſſunt, attributorum, transſcendentali modo comparantur. Illud autem hanc vim habet: vt res quaedam plene cognoſcatur, omnia, quae eſſe poſſunt, cognoſci debent, eaque iis, ſiue aiendo fiat ſiue negando, determinari. Proinde determinatio perpetua cernitur in conceptu, quoad vniuerſitatem ſuam numquam in concreto proponenda, ideoque ille in idea nititur, quae tantummodo in ratione ſedem habet, intelligentiae regulam vſus illius pleni praecipiente.

*) Quo quidem decreto quaeque res ad correlatum aliquod commune, nempe ad vniuerſam poſſibilitatem refertur, quae (ſcil. materia omnium, quae eſſe poſſunt, attributorum), ſi in idea rei vnius deprehenderetur, eorum omnium, quae eſſe poſſunt, affinitatem ex identitate cauſae determinationis omnimodae illius euinceret. *Determinabilitas* cuiusque *conceptus* ſubeſt *vniuerſalitati* decreti excluſi medii inter duo attributa oppoſita, *determinatio rei* autem *vniuerſitati*, ſiue complexui omnium, quae eſſe poſſunt, attributorum.

Quamquam haec idea quidem complexus eorum omnium, quae eſſe poſſunt, quatenus is vt conditio determinationis perpetuae rei cuiusque fundamento ſit, ratione attributorum, quibus ille poteſt effici, ipſa adhuc indeterminata eſt, eaque nil niſi complexum omnium omnino, quae eſſe poſſunt, attributorum cogitamus, tamen re propius conſiderata inuenimus, ideam iſtam, vt conceptum primum, vim attributorum reiicere, quae vt deriuata aliis iam data videntur, neque iuxta ſe inuicem collocari poſſunt, eamque vsque ad conceptum perpetuo ex anticipatione determinatum depurari, eoque conceptum effici rei obiectae cuiusdam ſingularis, ex ſola idea omnimode determinatum, proinde dicendam eſſe *ideale rationis purae.*

Si omnia, quae eſſe poſſunt, attributa non modo logice, ſed transſcendentaliter, id eſt, quoad materiam, conſideremus, quae in iis poteſt ex anticipatione cogitari, inuenimus, quibusdam eorum quoddam eſſe repraeſentari, aliis ſolum non-eſſe. Negatio logica, quae tantummodo verbo: non, indicatur, proprie numquam adhaeret conceptui, verum duntaxat adfectioni eius ad alium in iudicio quodam, proinde ad deſignandum conceptum ratione materiae non poteſt idonea eſſe. Vocabulo: non-mortalis, neutiquam poteſt indicari ſolum non-eſſe in re obiecta repraeſentari, ſed omnem materiam haud quaquam attingit. Contra negatio transſcendentalis denotat illud non-eſſe per ſe ipſum, cui opponitur transſcendentalis adfirmatio, quae eſt quidpiam, cuius conceptu per ſe ipſo iam eſſe quoddam exprimitur, et proinde ea veritas (realitas) appellatur, quod per eam ſolam, quamque late illa patet, res obiectae ſunt aliquid (res), ſed negatio contraria ſolum defectum notat, et, vbi haec ſola cogitatur, cuiusque rei exſtinctio repraeſentatur.

Atqui nemo homo determinate poteſt negationem cogitare, niſi ipſi fundamento poſita ſit adfirmatio oppoſita. Quem natura caecum genuit, is minime poteſt tenebrarum imaginem cogitatione depingere, ſi quidem

illi nulla eſt luminis; neque homo ferus atque incultus paupertatis, propterea quod haud nouit opulentiam. *) Inſcius atque ignarus nullam habet cogitationem de inſcientia ſua atque ignorantia, quia nullam habet ſcientiae et cognitionis, et quae ſunt de genere eodem. Ergo omnes quoque negationum conceptus deriuati ſunt, veritatesque (realitates) continent data quaſique materiam transſcendentalem poſſibilitatis determinationisque omnimodae rerum vniuerſarum.

Quodſi igitur determinationi omnimodae in ratione noſtra transſcendentale aliquod ſubſtratum fundamento ponatur, quod omnem quaſi copiam contineat materiae, vnde omnia, quae eſſe poſſunt, rerum attributa petantur, hocce ſubſtratum nil niſi idea erit vniuerſitatis veritatis (omnitudinis realitatis). Tum omnes negationes verae non niſi in *carceribus* verſantur, quod dici non poſſent, ſi, quod a circumſcriptione carcerum liberum eſt (vniuerſitas) fundamento ſubeſſet.

Sed vniuerſa hac realitatis poſſeſſione etiam conceptus *rei per ſe ipſius*, vt omnimode determinatae, repraeſentatur, conceptusque naturae veriſſimae perfectiſſimaeque (entis realiſſimi) cernitur in conceptu naturae ſingularis, propterea quod ex omnibus, quae eſſe poſſunt, attributis vnum, nimirum id, quod ſimpliciter ad illud eſſe pertinet, in determinatione eius deprehenditur. Ergo *ideale transſcendentale* determinationi perpetuae, quae in iis, quae exſtant, neceſſario ineſt, fundamento ſubeſt, illudque ſupremam plenamque poſſibilitatis ſuae conditionem efficit materialem, ad quam omnino obiectarum rerum cogitatio, oportebit, quoad materiam, reuocetur. Sed eſt illud quoque vnum ideale

*) Obſeruationes computationesque aſtronomorum multa nos mirabilia docuerunt, ſed ſine dubio grauiſſimum eſt, quod voraginem nobis aperuerunt *ignorantiae*, quam, ſine hiſce notitiis, ratio humana numquam potuiſſet tantum cogitatione informare, cuiusque ſtudioſa cogitatio permagnam, neceſſe eſt, mutationem pariat in finibus noſtri rationis vſus determinandis.

proprium, cuius ratio humana capax eſt; quoniam in hoc vno caſu conceptus per ſe vniuerſalis rei per ſe ipſius omnimode determinatur, atque vt repraeſentatio cuiusdam ſinguli (indiuidui) agnoſcitur.

Determinatio conceptus logica per rationem in ratiocinatione nititur disiunctiua, cuius propoſitione continetur diuiſio logica (ſphaerae conceptus vniuerſalis), ſed adſumtione haec ſphaera ad partem vsque circumſcribitur, et concluſione per hanc conceptus determinatur. Conceptus vniuerſalis realitatis in vniuerſum non poteſt diuidi ex anticipatione, ſi quidem abſque experientia nullas nouimus realitatis formas determinatas, illo genere complexas. Igitur propoſitio transſcendentalis determinationis rerum omnium perpetuae non niſi in repraeſentatione complexus realitatis vniuerſae, non in conceptu ſolo, omnia attributa, quoad materiam transſcendentalem, non ſub ſe, ſed in ſe continente; et perpetua cuiusque rei determinatio poſita eſt in circumſcriptione huiusce vniuerſitatis realitatis, propterea quod quaedam ex ea rei attribuuntur, caetera vero excluduntur, quod cum illo aut et aut in propoſitione disiunctiua atque determinatione rei obiectae, per vnum articulorum huius diuiſionis in adſumtione, conuenire videtur. Quocirca vſus rationis, quo ideale transſcendentale ea quaſi fundamentum quoddam ſubiicit omnium, quae eſſe poſſunt, rerum determinationi, ei, ſecundum quem ea agit in ratiocinationibus disiunctiuis, analogicus videtur; id quod enunciatum erat, quod ſupra diuiſionis omnium idearum transſcendentalium fundamentum feci, ex quo tribus illis ratiocinationum generibus mutuae et conſentaneae generantur.

Per ſe intelligitur, rationem ad hocce propoſitum ſuum, tantummodo ſcilicet neceſſariam rerum determinationem perpetuam repraeſentandi, exſiſtentiam haud ſumere naturae *ideali* conuenientis, ſed tantummodo ideam illius, quo ab vniuerſitate indefinita determinationis perpetuae abſoluta deriuet ad conditiones adſtrictam, id eſt vniuerſitatem circumſcripti. Proinde illi ideale illud

erit prototypon omnium rerum, quae cunctae, vt ectypa imperfecta inde materiam depromunt poſſibilitatis ſuae, cuique quamuis plus minusue appropinquent, permultum tamen abeſt, vt ad illud pertineant.

Ita vniuerſa poſſibilitas rerum (ſyntheſeos variorum quoad illorum materiam) vt deriuata, ſolaque tantummodo illa eius, quod omnem in ſeſe realitatem continet, vt originaria ſpectatur. Omnes enim negationes (quae tamen in ſolis illis attributis verſantur, quibus cuncta alia poſſunt ab natura perfectiſſima (realiſſima diſcerni), meris continentur carceribus realitatis maioris tandemque ſummae, proinde illis haec ponitur, eaeque quoad materiam ſunt ab illa ſolum deriuatae. Omnis rerum varietas cernitur tantum in ratione multiplici conceptuum realitatis ſummae, quia eius ſubſtratum commune eſt, circumſcribendi, quemadmodum figurae eſſe omnes poſſunt duntaxat, vt variae rationes ſpatii infiniti carceribus coërceantur. Quamobrem, quae in ſola ratione ineſt, res ideali eius propoſita *natura originaria* (ens originarium), quatenus nullam ſeſe habet ſuperiorem, *natura ſumma* (ens ſummum), et, quatenus vniuerſa, vt ad conditiones adſtricta, illi ſubſunt, *natura naturarum* (ens entium) appellatur. Verum his omnibus non adfectio deſignatur obiectiua rei oblatae in veritate apparentis ad res alias, ſed *ideae* ad conceptus, nosque de exiſtentia naturae tam praeſtantis prorſus inſcii relinquimur atque ignari.

Quoniam itidem haud dici poteſt, naturam originariam multis naturis conſtare deriuatis, propterea quod quaque earum illa ponitur, neque proinde illud poteſt decerni, ideale naturae originariae etiam vt ſimplex erit cogitandum.

Proinde alius cuiusuis ab hacce natura originaria poſſibilitatis deriuatio, ſi verum dicere volumus, itidem haud poterit vt *circumſcriptio* ſummae realitatis eius, quaſique illius *diuiſio* ſpectari; tum enim natura originaria vt ſola naturarum deriuatarum congregatio conſi-

deraretur, quod, vti in ſuperioribus monſtrauimus, fieri non poteſt, quamquam ſtatim initio in prima rudi imagine adumbrata ita illam propoſuimus. Potiusque rerum omnium poſſibilitati ſumma realitas quaſi *fundamentum* quoddam nihilque vt *complexus* fundamento ſubeſſet, neque varietas prioris in circumſcriptione ipſius naturae originariae, ſed eius conſecutione plena niteretur, ad quam quoque vniuerſus noſter mundus ſenſibilis, vna cum omni in phaenomeno realitate pertineret, quae ad ideam naturae ſummae non poteſt, velut ingrediens quiddam, ſpectare.

Quodſi igitur hanc ideam noſtram, dum eam facimus ὑπόςασιν, vlterius proſequamur, naturam originariam ex ſolo realitatis ſummae conceptu poterimus vt vnam, ſimplicem, omnibus ſufficientem, aeternam, et ſic porro, ad ſummam, in abſoluta illius perfectione atque vniuerſitate ex omnibus praedicamentis determinare. Conceptus talis naturae eſt conceptus *dei*, ſenſu transſcendentali cogitatus, atque ita ideale rationis purae propoſitum, eſt *theologiae transſcendentali*, vti ſupra quoque eius mentionem fecimus.

Interim hic vſus ideae transſcendentalis tamen iamiam terminos migrare determinationis videretur. Namque ratio eam, vt *conceptum* vniuerſae realitatis, determinationi perpetuae rerum in vniuerſum fundamento poſuit, nec propterea, omnem realitatem iſtam eſſe obiectiue datam, ipſamque rem voluit conſtituere. Quod poſtremum quidem in mera fictione verſatur, qua varia ideae noſtrae in ideali quodam, vt natura ſingulari, colligimus veramque damus, cuius quidem rei nullam prorſus poteſtatem habemus, adeo ne poſſibilitatem quidem talis hypotheſeos recta accipiendi, quemadmodum et omnes conſequentiae, ex huiuscemodi ideali promanantes, perpetuam rerum in genere determinationem, in cuius quippe gratiam ſolum opus idea fuit, nil quidquam attinent, neque minimam in eam vim habent.

Non ſufficit, vt viam rationis eiusque dialecticam deſcribamus, neceſſe eſt etiam, vt fontes illius aperire

conemur, vt haec ipſa ſpecies illuſioque poſſit, tamquam phaenomenon intelligentiae explicari; namque ideale, de quo loquimur, poſitum in idea eſt naturali, neque ſolum arbitraria. Quapropter quaero: qui fit, vt ratio vniuerſam rerum poſſibilitatem vt ab vna deriuatam, quae fundamento ſit, nempe a realitate ſumma, conſideret, atque hanc tum, vt in peculiari natura originaria complexam, ſumat?

Reſponſio ex iis, quae in analytica transſcendentali pertractata ſunt, ſponte occurrit. Poſſibilitas rerum ſenſibus obnoxiarum cernitur in adfectione illarum ad noſtram cogitationem, in qua aliquid (ſcilicet forma empirica) poteſt ex anticipatione cogitari, id vero, quo materia efficitur, realitas in phaenomeno (quod ſenſationi reſpondet), oportet datum eſſe, ſine quo illud quoque neutiquam cogitari poteſt, nec proinde poſſibilitas eius repraeſentari. Atqui res ſenſibus ſubiecta duntaxat poteſt omnimode determinari, ſi cum omnibus phaenomeni attributis comparatur, iisque aiendo negandoue repraeſentatur. In qua quidem cum id, quo res ipſa (in phaenomeno) conſtituitur, quippe reale, eſſe datum debeat, ſine quo illa quoque non poſſet cogitari; illud autem, in quo datum eſt omnium phaenomenorum reale, vna vniuerſe complectens experientia videatur: materia poſſibilitatis rerum omnibus ſenſibus propoſitarum, vtpote in quodam complexu data, neceſſe erit, ſumatur, in cuius circumſcriptione ſola vniuerſa empiricarum rerum obiectarum poſſibilitas, earumque diſcrimen poteſt et determinatio perpetua inniti. Atqui re ipſa res nobis nullae poſſunt aliae, quam ſenſibus ſubiectae, nuſpiamque, quam in contextu experientiae poſſibilis, dari; ergo nihil eſſe nobis quidquam propoſitum poteſt, niſi illo complexus vniuerſae realitatis empiricae vt conditio poſſibilitatis ipſius ponatur. Igitur fit ex illuſione quadam naturali, vt id decretum putemus, quod de omnibus omnino rebus oporteat valere, quod proprie ſolum valet de iis, quae vt res, quae cadant in ſenſus noſtros, proponuntur. Ergo principium empiricum de conce-

ptibus poſſibilitatis rerum, vt viſorum, miſſa hac circumſcriptione, pro principio transſcendentali poſſibilitatis rerum in vniuerſum accipiemus.

Quod autem hanc ideam complexus vniuerſae realitatis poſtea hypoſtaſin facimus, fit propterea, quoniam vnitatem vſus empirici intelligentiae *diſtributiuam* in vnitatem *collectiuam* cuiusdam totius empirici transmutamus, atque in hoc toto phaenomenorum animo concipimus rem ſingularem, vniuerſam in ſe realitatem empiricam complectentem, quae tum, ex ſubreptione, quam ſupra diximus, transſcendentali, cum conceptu rei permutatur, quae eſt in fronte poſſibilitatis omnium rerum, cuius determinationi perpetuae conditiones ea reales miniſtrat. *)

Capitis tertii

SECTIO TERTIA.

De argumentis rationis contemplatiuae concludendi ad exſiſtentiam naturae ſupremae.

Quamuis autem, hac neceſſitate coacta, ratio ſumat, quod intelligentiae eſſe fundamento poſſit ad determinationem conceptuum perpetuam, tamen illa naturam eiuscemodi ſumtionis commentitiam facilius animaduertit, quam vt ea ſola illi perſuaderi queat, talem ingenii fetum cogitationisque continuo pro natura

*) Hoc ideali naturae perfectiſſimae (entis realiſſimi) igitur, quamquam in ſola repraeſentatione verſatur, primum efficitur *reale*, id eſt, res obiecta, tum illud redditur *hypoſtaſis*, tandem, ex naturali rationis ad vnitatem perficiendam progreſſu, ſpecie induitur *perſonae*, vti mox oſtendemus; ſi quidem vnitas experientiae regulatiua haud in phaenomenis ipſis (in ſolo ſenſu) nititur, ſed in coniunctione varietatis illorum per *intelligentiam* (in apperceptione), proinde vnitas realitatis ſummae et determinabilitas perpetua (poſſibilitas) rerum vniuerſarum in intelligentia quadam ſuprema, ideoque in *natura* ineſſe *intelligente* videtur.

vera accipiendum eſſe, niſi alia re quapiam vrgeretur, vt vſpiam quietem quaereret, nempe in regreſſu ab eo, quod aliunde pendet, dato ad abſolutum, quod in ſe quidem atque ex ſolo conceptu ſuo nondum datum eſt vt in veritate rerum apparens, quod vero ſolum poteſt ſeriem ad rationes perductarum conditionum abſoluere. Atque hoc iter eſt cuiusque rationis humanae, vel maxime vulgaris, quamquam illud nequeat quaeque tenere. Neque a conceptibus illa incipit, verum ab experientia vulgari, et proinde quiddam, quod vere exſtat, fundamento ponit. Verum hocce ſolum ruit, niſi in rupe nitatur immota abſolute neceſſarii. Haec ipſa vero nutat nullo fulcro ſuſtentata, ſi et extra eam et infra inane ſpatium ſit, neque ipſum omnia repleat, eoque nullum quaeſtioni de *cauſa* locum relinquat, id eſt, quoad realitatem infinitum videatur.

Si aliquid, quod illud cumque ſit, exſtat, neceſſe eſt, vt quoque concedatur, quidpiam neceſſario exſtare. Namque fortuitum duntaxat ex conditione exſtat cuiuspiam alterius, vt cauſae ſuae, de qua porro valet conclufio vsque ad cauſam haud fortuitam, ob eamque rem ſine conditione neceſſario in veritate rerum apparentem. Atque hoc eſt argumentum, in quo ratio progreſſum ponit ad naturam originariam.

Iam ratio anquirit conceptum naturae, tali exſiſtentiae praecipuae, qualis abſoluta neceſſitas eſt, conſentaneae, non propterea quidem, vt tum a conceptu illius ex anticipatione concludat ad eius exſiſtentiam (namque, ſi hoc ea auderet, poſſet omnino tantum in ſolis conceptibus ſcrutari, neque opus haberet, vt exſiſtentiam quampiam datam quaſi quoddam fundamentum poneret), ſed ſolum vt in vniuerſis rerum, quae eſſe poſſunt, conceptibus illum inueniat, cui nil quidquam ineſt, quod neceſſitati abſolutae repugnet. Quandoquidem, quidpiam ſimpliciter abſoluteque oportere neceſſario exſtare, ex priori ratiocinio certum conſtitutumque arbitratur. Quodſi illa igitur omnia poſſit remouere, quae huic neceſſitati aduerſantur, praeter vnum;

hocce vnum poſitum erit in natura abſolute neceſſaria, ſiue neceſſitatem illius comprehendas, id eſt, e ſolo eius conceptu poſſis deriuare, ſiue minus.

Atqui illud, cuius conceptu cuiusque quaeſtionis de cauſa reſponſio continetur et ratio, nulla ex parte nulloque reſpectu manca atque imperfecta, quae vbiuis vt conditio ſufficit, ob eam ipſam cauſam natura eſſe videtur abſolutae neceſſitati conſentanea, eo quod praeterquam, quod eorum omnium, quae eſſe poſſunt, conditiones in ſe vniuerſas cohibet, ipſa non opus vlla conditione habet, atque adeo eius ne capax quidem videtur, ergo, certe ex vna parte, conceptui neceſſitatis abſolutae facit ſatis, in quo quidem nullus ſe alius conceptus illi poteſt aequare, qui, quoniam mancus et imperfectus eſt, et complemento opus habet, nullam in ſe notam continet vacuitatis ab omni vlteriori conditione. Verum eſt, inde nondum certo poſſe concludi, id, quod ſummam omnique reſpectu plenam in ſe conditionem haud continet, propterea ipſum oportere quoad exſiſtentiam aliunde pendere: ſed tamen vnum illi inſigne deeſt exſiſtentiae abſolutae, cuius capax ratio eſt, vt per conceptum ex anticipatione quampiam naturam vt abſolutam cognoſcas.

Quamobrem conceptus naturae ſumma realitate pollentis ex vniuerſis conceptibus, quae eſſe poſſunt, rerum optime ad conceptum quadraret naturae abſolute neceſſariae, et, huic etiamſi haud prorſus ſatis faciat, tamen nulla nobis optio eſt, ſed cogimur illum tenere, ſi quidem non poſſumus exſiſtentiam naturae neceſſariae reiicere, illa vero conceſſa, in toto poſſibilitatis campo nil quidquam poſſumus deprehendere, quod maiori iure queat talem exſiſtentiae praeſtantiam ſibi vindicare.

Ita igitur ſe habet naturale iter rationis humanae. Primo ſibimet ipſa perſuadet de exſiſtentia cuiuspiam naturae neceſſariae. In hac exſiſtentiam agnoſcit ab omni adiunctione liberam. Iam conceptum anquirit eius, quod vacuum omni conditione eſt, illumque de

prehendit in eo, quod ipſum in plena perfectaque conditione verſatur omnium aliorum, id eſt in eo, quod vniuerſam in ſe cohibet realitatem. Verum vniuerſitas illa nullis carceribus incluſa in vnitate cernitur abſoluta, habetque in ſe conceptum vnius cuiusdam, nimirum ſummae naturae, atque ita concludit, naturam ſupremam, vt rerum omnium cauſam primam abſolute neceſſariam exſtare.

Cui quidem conceptui certa quaedam veritas non poteſt denegari, ſi ſermo eſt de *capiendis conſiliis*, nimirum, ſi exſiſtentia naturae cuiuspiam neceſſariae concedatur, in eoque conuentum ſit, vt partes eius ſequamur, quanam in re illam poni velimus; tum enim non poteſt eligi conuenientius, potiusue nobis nulla optio eſt, cogimurque, vnitati abſolutae realitatis perfectae, vt primo poſſibilitatis fonti, ſuffragari. Cum autem nulla re impellimur, vt conſilium capiamus, totamque rem eam relinqui in medio mallemus, donec pleno argumentorum pondere ad adſenſum cogeremur, id eſt, ſi tantummodo de *diiudicando* laboramus, quantum ſciamus ex ea quaeſtione, quaeque ſcire duntaxat nos opinemur; tum ratiocinatio illa parum arridet, gratiaque opus ac fauore habet, quo defectus rationum iuris reſarciatur.

Etenim, ſi in omnibus, vti ob oculos verſantur, acquieſcamus, nempe primo a quapiam exſiſtentia data (vel adeo tantummodo mei ipſius) recte poſſe ad exſiſtentiam concludi naturae cuiusdam abſolute neceſſariae; deinde naturam, quae vniuerſam realitatem, proinde et cunctas conditiones contineat, memet debere vt abſolute ab adiunctione liberam contemplare, ergo conceptum rei abſolutae neceſſitati conſentaneae eo eſſe inuentum; tamen inde non poterit effici, conceptum naturae carceribus circumſcriptae, ſumma realitate carentis, neceſſitati abſolutae ideo repugnare. Nam etiamſi in conceptu eius abſolutum haud inueniam, quod iamiam vniverſitatem in ſe contineat conditionum, inde tamen haud poterit elici, exſiſtentiam eius ob eam ipſam cau-

ſam pendere aliunde oportere; quemadmodum in ratiocinatione hypothetica non poteſt dici: vbi non eſt certa conditio (nempe hoc loco perfectionis ex conceptibus), ibi haud et illud eſt, quod ad id tenetur adſtrictum. Potius nobis liberum erit, caeteras omnes naturas circumſcriptas pariter vt abſolute neceſſarias concedere, licet neceſſitatem earum, ex vniuerſali, quem de iis habemus, conceptu concludere nequeamus. Sed hoc modo argumentum illud ne minimum quidem conceptum nobis miniſtraret proprietatum, quae in naturam neceſſariam cadunt, omninoque nil quidquam effeciſſet.

Nihilominus tamen huic argumento certum pondus manet, quaedamque dignitas, quae, ob hanc imperfectionem obiectiuam, illi non poteſt continuo adimi. Fac enim, eſſe obligationes, quae in idea rationis prorſus verae, ſed ſine omni realitate in iis ad nos ipſos adhibendis, id eſt, ſine ſtimulis et elateribus forent, niſi natura ſumma ſumatur, quae legibus practicis vim poſſit virtutemque impertire: teneremur quoque obligatione obtemperandi conceptibus, qui, etiamſi haud obiectiuae ſatis fuerint, tamen pro mediocritate rationis noſtrae pondus habent, quibusque nihil melius, nihilque approbatione dignius habemus. Officium eligendi hoc loco dubitationem contemplationis additamento quodam practico ex aequilibrio moueret, quin ratio ab illo, vtpote iudice aequiſſimo, non probaretur, niſi vi cauſarum mouentium commota, quamuis ex manco intellectu, hiſce rationibus iudicii ſui, quibus tamen nullas nouimus meliores, obtemperaſſet.

Quod argumentum, quamuis reapſe transſcendentale videtur, propterea quod poſitum eſt in imperfectione interna fortuiti, tamen adeo ſimplex et naturale eſt, vt communi ſenſui conueniat ipſius vulgi, ſimul atque hic ad illud ducatur. Videmus res mutari, oriri atque interire; ergo illae, vel certe ſtatus illarum, cauſam habeant, neceſſe eſt. Quod idem quaeri viciſſim poteſt de quaque cauſa, vmquam per experientiam data. Quo aequius eſt, vt *ſupremam cauſalitatem* collocemus, niſi in

eo, vbi et *ſumma* cauſalitas videtur, id eſt, in ea natura, quae in ſe ipſa originarie contineat ſufficientiam ad effectum poſſibile, cuius quoque conceptus ſola perfectione abſoluta facile efficitur. Atque hanc cauſam ſummam putamus tum abſolute neceſſariam, ſi quidem ſimpliciter neceſſarium videmus, vt vsque ad illam progrediamur, neque vllam rationem, vt vltra illam longius migremus. Vnde in vniuerſis populis per craſſiſſimum polytheismum videmus nihilominus quasdam monotheismi ſcintillas micare, quo nec cogitatio nec profunda contemplatio, ſed via naturalis ſubinde dilucidior facta intelligentiae communis eos perduxerat.

Tria tantum eſſe poſſunt genera argumentorum ex ratione contemplatiua pro exſiſtentia dei.

Omnes viae, quae hoc conſilio poterunt inſtitui, aut ab experientia determinata, naturaque ſingulari mundi noſtri ſenſibilis per illam cognitae incipiunt, atque inde ex legibus cauſalitatis vsque ad cauſam ſummam extra mundum tendunt: aut duntaxat experientiam indeterminatam, id eſt, exſiſtentiam quamdam, empirice fundamento ponunt, aut denique ab omni ſe omnino experientia continent, prorſusque ex anticipatione concludunt e meris conceptibus ad exſiſtentiam ſummae cuiusdam cauſae. Primum argumentum eſt *phyſico-theologicum*, alterum *coſmologicum*, tertium denique *ontologicum*. Plura nec ſunt, nec poſſunt eſſe.

Vincam: rationem in vna via (empirica) aeque minus efficere, atque in altera (transſcendentali), fruſtraque eam alas pandere, vt ſola vi contemplationis vltra mundum ſenſibilem transuolet. Atque ordo quidem, quo haec argumenta debent ſub examen vocari, ipſe erit contrarius ei, quem ratio paullatim ſeſe amplificans inſtituit, quoque primum ea collocauimus. Namque planum fiet: quamuis primam eius anſam dederit experientia, tamen ſolo conceptu transſcendentali rationem in hoc conatu ſuo duci, in cunctisque eiusmodi periculis, quam ſibi propoſitam habet, metam proponi. Quam-

obrem ab examine argumenti transſcendentalis incipiam, poſteaque videbo, quid additamentum empirici poſſit ad vim probandi eius augendam efficere.

Capitis tertii

SECTIO QUARTA.

De impoſſibilitate argumenti ontologici pro exſiſtentia dei.

Ex iis, quae hactenus diximus, facile intelligitur: conceptum naturae abſolute neceſſariae eſſe conceptum purum rationis, id eſt, meram ideam, cuius realitas obiectiua eo, quod ratio illa opus habet, nondum probata eſt, quae etiam de quadam, quamuis inacceſſa, perfectione teſtatur, proprieque potius facit, vt intelligentia carceribus coërceatur, quam vt ea ad obiectas res nouas dilatetur atque amplificetur. Verum hoc loco hoc mirabile atque alienum videtur, concluſionem ab exſiſtentia quapiam data in vniuerſum, ad quampiam exſiſtentiam abſolute neceſſariam vim adferre atque in ſe veritatem habere videri, cum tamen nihilominus vniuerſae leges intelligentiae, quibus queat huiuscemodi neceſſitatis conceptus formari, nobis prorſus aduerſentur.

Fuerunt, et ſunt, qui de natura *abſolute neceſſaria* loquerentur, neque tam in eo elaborarent, vt intelligerent, an et quomodo eiuscemodi res vel modo cogitatione poſſet depingi, quam potius vt eius exſiſtentiam probarent. Iam definitio verbi de hoc conceptu facilis eſt, ſcilicet illum in eo verſari, quod vt non ſit, fieri nequeat; verum ea re nil quidquam euadimus doctiores, ratione conditionum, quibus fit, vt non poſſis, rem non eſſe, vt aliquid, quod cogitari nequeat, conſiderare, quaeque proprie continentur eo, quod ſcire cupimus, nimirum vtrum hocce conceptu aliquid omnino cogitatione informemus, nec ne. Namque ſi vniuerſas conditiones, quibus ſemper opus eſt intelligentiae, vt aliquid vt neceſſarium ſpectetur, ope vocabuli: *abſolute*,

abiecerim, eo nondum efficietur, vt intelligam, vtrum tum conceptu cuiusdam abſolute neceſſarii adhuc quiddam cogitem, an forſitan neutiquam quidquam mente agitem.

Quid? quod huuc conceptum, ſola fortuna auſum, tandemque prorſus vſu tritum, praeterea copia exemplorum enodari putarunt, ita, vt omnis vlterior de perſpicuitate eius inquiſitio penitus inutilis videretur. Quaeque geometriae enunciatio, velut triangulum tres angulos habere, ſimpliciter neceſſaria eſt, atque ita factum eſt, vt de re ſermo eſſet, prorſus extra ſphaeram poſita intelligentiae noſtrae, quaſi probe intelligeretur, quid ex conceptu dici de illa velint.

Omnia illa exempla putatitia, ne vllo quidem excepto, a *iudiciis* deſumta ſunt, non a *rebus* earumque exſiſtentia. Sed neceſſitas abſoluta iudiciorum non eſt neceſſitas abſoluta rerum. Etenim neceſſitas abſoluta iudicii eſt tantummodo neceſſitas ad conditionem adſtricta rei, attributiue in iudicio. Enunciatio ſuperior haud dixit, tres angulos abſolute neceſſarios eſſe, ſed, cum adiunctione, ſi triangulum adeſt (datum eſt), etiam tres anguli (in eo) neceſſario adſunt. Nihilominus haec neceſſitas logica tantam vim exſeruit illuſionis ſuae, vt, conceptu ex anticipatione rei cuiusdam formato, atque ita conſtituto, vt eius ambitu ſimul exſiſtentiam teneri putarent, inde certo concludi poſſe crederent, quoniam rei huic conceptui ſubiectae exſiſtentia neceſſario competit, id eſt, cum adiunctione, vt eam rem vt datam (exſtantem) ponam, etiam exſiſtentiam eius neceſſario (ex regula identitatis) poni, eamque naturam ipſam propterea abſolute neceſſariam eſſe, ſi quidem exſiſtentia eius in conceptu pro lubitu accepto, atque cum adiunctione, vt rem ei ſubiectam ponam, vna cogitatur.

Cum attributum in iudicio identico ſuſtulero ſubiectumque retinuero, repugnantia exſiſtet, proinde dico: illud huic competit neceſſario. Sin autem ſubiectum vna cum attributis ſuſtulero, nulla emerget repu-

gnantia; neque enim quidquam amplius adeſt, cui poſſit repugnari. Triangulum ponere et tamen tres eius angulos tollere, pugnat; ſed triangulum vna cum angulis tribus eius tollere, non pugnat. Similiter cum conceptu eſt naturae abſolute neceſſariae comparatum. Si exſiſtentiam illius tollas, tollis rem ipſam cum omnibus attributis eius; vnde tum repugnantia exſiſtet? Extrinſecus nihil eſt, cui repugnetur, ſi quidem res non debet extrinſecus neceſſaria eſſe; neque intus quidquam eſt, quippe, ſublata re ipſa, omnia interna ſimul ſuſtuliſti. Deus eſt omnipotens; id iudicium neceſſarium eſt. Omnipotentia tolli non poteſt, cum ponitis diuinam, id eſt, infinitam naturam, cum cuius conceptu ille vnus eſt idemque. Sin vero dicatis: *Deus* non eſt, tum non eſt, neque omnipotentia, neque aliquod attributorum illius datum eſt; ſi quidem vniuerſa ſunt vna cum ſubiecto ſublata, neque minima in hac cogitatione pugna ineſt.

Vidiſtis igitur, attributo iudicii cuiusdam vna cum ſubiecto ſublato, numquam poſſe repugnantiam internam exſiſtere, qualecumque attributum videatur. Iam nullum exitum habebitis, niſi forte dicatis: eſſe ſubiecta, quae tolli nullo modo queant, quae proinde oporteat manere. Verum hoc idem foret, atque: ſubiecta eſſe abſolute neceſſaria; quae quidem ſumtio eſt, de cuius veritate modo dubitaui, cuiusque poſſibilitatem vos mihi voluiſtis demonſtrare. Namque poſſum minime cogitationem informare de re, quae, vna cum vniuerſis attributis ſuis ſublata, repugnantiam relinqueret, neque tamen, praeter repugnantiam, nullum prorſus habeo impoſſibilitatis inſigne e meris conceptibus puris ex anticipatione.

Contra has omnes argumentationes (quas nemo homo poteſt recuſare) memet per caſum quendam prouocatis, quem mihi, tamquam aliquod argumentum de facto, obiicitis: eſſe tamen quendam conceptum, et quidem hunc vnum, vbi rem obiectam non eſſe, eamue tolli in ſe ipſo pugnare, isque eſt conceptus naturae perfectiſſimae (entis realiſſimi). Habet in ſe, ſic aitis, om-

nem realitatem, et poteſtis iure veſtro, talem naturam eſſe poſſe, ſumere (quod quidem in praeſens concedo, etſi permultum abeſt, vt conceptu a pugna interna libero, eſſe rem obiectam poſſe, euincatur). *) Atqui realitate vniuerſa continetur quoque exſiſtentia: ergo exſiſtentia latet in conceptu eius, quod eſſe poteſt. Quae quidem res cum tollitur, tollitur etiam poſſibilitas rei interna, id quod repugnat.

Ad haec habeo, quae reſpondeam: iamiam vos incidiſtis in repugnantiam, cum in conceptum rei, quam duntaxat quoad eius poſſibilitatem voluiſtis cogitare, quo illud cumque nomine tecto fiat, iamiam conceptum illius exſiſtentiae indideritis. Quo vobis conceſſo, viciſtis quidem ad ſpeciem, re vero ipſa nihil quidquam dixiſtis; in meram enim tautologiam offendiſtis. Quaero ex vobis, eſtne enunciatio: *haec* vel illa *res* (quam eſſe poſſe vobis, quae illa cumque ſit, concedo) *exſtat*, eſtne, inquam, haec enunciatio analytica an ſynthetica? Si analytica eſt, per exſiſtentiam rei nihil quidquam accedit ad cogitationem veſtram de re, tum vero aut neceſſe erit, vt, quae in vobis ineſt, cogitatio in re ipſa verſetur, aut exſiſtentiam ſumſiſtis, vt ad poſſibilitatem pertinentem, tumque exſiſtentiam, vti dicitis, e poſſibilitate interna concluſiſtis, quod nil eſt, niſi miſera tautologia. Vocabulum: realitas, quod in conceptu rei aliter ſonat, atque exſiſtentia in conceptu attributi, nil efficit. Etenim, ſi vel omnem poſitionem (nihil attinet, quid ponatis) realitatem vocatis, rem iamiam vna cum omnibus attributis eius in conceptu ſubiecti poſuiſtis, vtque in

*) Conceptus ſemper eſſe poteſt, cum ſibi haud repugnat. In eo cernitur nota poſſibilitatis logica, eoque res illi ſubiecta diſcernitur a nihilo negatiuo. Verum nihilominus is eſſe poteſt conceptus inanis, niſi realitas obiectiua ſyntheſeos, qua conceptus generatur, ſingulatim probetur; quod vero ſemper, vt ſupra oſtendimus, poſitum eſt in principiis, quae eſſe poteſt, experientiae, non in decreto analyſeos (effato repugnantiae). Quae quidem cautio eſt, vt ne a poſſibilitate conceptuum (logica) ſtatim ad poſſibilitatem rerum (realem) concludamus.

veritate rerum apparentem ſumſiſtis, neque quidquam agitis aliud in attributo, quam vt eam tantummodo repetatis. Contra ſi fateamini, quod quemque ſanum aequum eſt fateri, quamque enunciationem exſiſtentialem eſſe ſyntheticam, qui tandem contenditis, attributum exſiſtentiae non poſſe ſine pugna tolli? cum hoc praecipue proprium ſit analyticarum, quarum quippe natura peculiaris in hoc ipſo poſita videtur.

Ac ſperarem quidem, haſce argutationes ſubtiles, ſine circuitione et anfractu, accurata determinatione conceptus exſiſtentiae conuelli, niſi vidiſſem, illuſione, permutando attributo logico cum alio reali (id eſt, determinatione cuiusdam rei), omnem fere inſtitutionem correctionemque recuſari. *Attributo logico* poteſt, quocumque velis, ſeruire, atque adeo ſubiectum poterit ſibi ipſum attribui; ſi quidem ab omni materia ſeſe logica continet. Sed determinatio in attributo verſatur, praeter conceptum ſubiecti accedente eumque augente. Igitur eam, neceſſe eſt, illo non iam contineri.

Eſſe, manifeſtum eſt, in nullo attributo verſari reali, id eſt, in conceptu cuiuspiam, quod poſſit ad conceptum rei cuiusdam accedere. Cernitur illud duntaxat in poſitione rei cuiuspiam, certarumue determinationum per ſe ipſarum. In vſu logico tantummodo copula efficitur iudicii. Enunciatio: *deus eſt omnipotens*, conceptus duos complectitur, quae res ſibi ſubiectas habent: et deus, et omnipotentia; vocabulum: *eſt*, non inſuper in attributo verſatur, ſed in eo ſolum, quo attributum ponitur in *adfectione ad ſubiectum*. Iam, cum, ſubiecto (deo) cum omnibus attributis (in quibus etiam omnipotentia eſt) coniuncto, dico: *deus eſt*, ſiue eſt deus aliquis, tum nullum attributum nouum ad dei conceptum iungo, ſed tantummodo ſubiectum per ſe ipſum pono cum omnibus eius attributis, et quidem rem obiectam in relatione ad meum *conceptum*. Vtroque debet accurate idem contineri, et proinde ad conceptum, quo ſola poſſibilitas exprimitur, eo, quod rem ei ſubiectam vt ſimpliciter datam verbo: *eſt* cogito, nihil quidquam am-

plus poteſt accedere. Atque ita eo, quod exſtat, nil continetur, niſi id, quod poteſt eſſe. Centum Ioachimicorum numeratorum ac praeſentium (ſiue realium) ne minimi quid pluris quidem complectuntur centum cogitatione fictis et poſſibilibus. Cum enim hi conceptum ſolum, illi rem ipſam ſub hunc conceptum ſubiectam eiusque poſitionem per ſe ipſam denotent, ſequitur, vt, ſi plus in illa re, quam in hoc conceptu, inſit, conceptus meus non totam rem illi propoſitam exprimat, eoque efficiatur, vt conceptus haud rei illi congruens videatur. Sed plus ineſt in facultatibus meis, ſi reapſe Ioachimicorum centum poſſideam, quam ſi ſolam tantummodo cogitationem eorum agitem (id eſt, poſſibilitatem). Etenim res conceptui ſubiecta, ſi ea vere adeſt atque apparet, non tantum analytice conceptu continetur, ſed ſynthetice ad conceptum (qui in determinatione conditionis meae verſatur) accedit, ita vt, extra conceptum meum, illi centum Ioachimici, hac praeſentia ſua ne minimo quidem augeantur et creſcant.

Quamobrem ſi rem aliquam, quibus quotque attributis velim (in ipſa determinatione perpetua), cogito, eo, quod inſuper *addo*, haec res exſtat, ne minimum quidem ad rem accedit. Si quidem alias non idem exſtaret, ſed plus, quam conceptu informatum cogitaueram, neque dicere poſſem, ipſam rem conceptui meo ſubiectam exſtare. Quodſi igitur naturam cogito vt ſummam realitatem (ſine defectu), tamen ſemper quaeſtio relinquitur, exſtet, nec ne. Quanquam enim in conceptu meo verae, quae eſſe poteſt, materiae rei cuiusdam in genere, nihil deeſt, tamen aliquid deeſt praeterea in adfectione ad vniuerſam conditionem meam cogitationis, nimirum cognitionem rei cuiusdam obiectae ex vſu rerum poſſe et experientia (a poſteriori) peti. Atque hic etiam cauſa ſeſe manifeſtat difficultatis in ea re obuerſantis. Si ſermo foret de re ſenſibus obnoxia, non poſſem exiſtentiam rei cum ſolo rei conceptu confundere. Namque conceptu res obiecta tantummodo cum conditionibus vniuerſalibus cognitionis, quae eſſe poteſt,

empiricae generatim vt conſentiens atque conueniens, ſed per exſiſtentiam vt contextu vniuerſae experientiae complexa cogitatur; inde fit, vt coniunctione cum materia experientiae vniuerſae conceptus rei necquidquam augeatur, nec creſcat, ſed cogitationi noſtrae poſſibilis illo perceptio accedat. Contra ſi exſiſtentiam ex ſola velimus categoria pura cogitare, nil mirum eſt, nos nullam poſſe notam indicare, qua illa ab ſola poſſibilitate dignoſcatur.

Quocirca, quid quantumque conceptu noſtro rei cuiusdam obiectae contineatur, tamen neceſſe eſt, vt illum migremus, quo huic rei exſiſtentiam impertiamus. Quod quidem in rebus, quae ſub ſenſus cadunt, nexu efficitur cum quapiam mearum perceptionum ex legibus empiricis; ſed rerum cogitationi purae ſubiectarum exſiſtentiam cognoſcendi nullum prorſus adminiculum eſt, quoniam ea prorſus deberet ex anticipatione cognoſci: verum noſtra cuiuscumque exſiſtentiae (ſiue perceptione proxime fiat, ſiue concluſionibus, quae aliquid cum perceptione coniungunt) conſcientia tota pertinet ad vnitatem experientiae, et quamquam haud adfirmari poteſt, exſiſtentiam quandam extra huncce campum eſſe ſimpliciter non poſſe, tamen ea in ſumtione verſatur, quam nulla re probare poſſumus et tueri.

Conceptus naturae ſummae idea eſt vario reſpectu vtiliſſima; ea autem ob eam ipſam rem, quoniam mera idea eſt, prorſus videtur inhabilis, ad cognitionem noſtram ratione eorum, quae exſtant, per ſe dilatandam. Illa ne tantum quidem valet, vt ratione eorum, quae eſſe poſſunt, vberius per eam edoceamur. Nota poſſibilitatis analytica, quae in eo cernitur, quod meris poſitionibus (realitatibus) nulla repugnantia generatur, non poteſt illi quidem denegari: ſed cum coniunctione omnium attributorum realium in re quadam ſyntheſis efficiatur, cuius de poſſibilitate haud poſſumus ex anticipatione iudicare, quoniam nobis non ſunt realitates ſpeciatim datae, et, ſi hoc contingat, nullum vſpiam iudicium in ea locum inueniat, ſi quidem nota poſſibilitatis notitiarum

ſyntheticarum ſemper tantum in vſu debet experientiáque quaeri, ad quam autem res ideae ſubiecta haud poteſt pertinere; celeberrimus *Leibnitius*, permultum abeſt, vt id praeſtiterit, quod putaret, ſcilicet, vt ex anticipatione vellet poſſibilitatem naturae idealis tam excelſae perſpicere.

Quamobrem in frequentato illo argumento ontologico (Carteſiano), de exſiſtentia naturae ſummae ex conceptibus, omnis et opera et labor fruſtra collocatur, neque quiſpiam e ſolis ideis augebitur notitiis, perinde vt mercator opibus, ſi, vt conditionem ſuam meliorem redderet, pecuniae in arca praeſenti vnum alterumue zero adſcriberet.

Capitis tertii

SECTIO QUINTA.

De impoſſibilitate argumenti cosmologici pro exſiſtentia dei.

Ab natura prorſus alienum quiddam fuit, meraque ingenii ſcholaſtici nouitas, vt ex idea ex ſola libidine concepta ipſam oblatae rei illi conſentaneae exſiſtentiam cuperent enucleare. Ac profecto quidem in hac via numquam illud foret tentatum, ſine praeuia neceſſitate rationis, quidpiam neceſſarium (in quo poſſit in progrediendo conſiſti) ad exſiſtentiam generatim adſumendi, et niſi ratio, cum haec neceſſitas debeat abſoluta eſſe atque ex anticipatione certa, coacta eſſet, vt quaereret conceptum, qui, quantum fieri poſſet, eiuscemodi deſiderio ſatisfaceret, quamdamque exſiſtentiam proponeret prorſus ex anticipatione cognoſcendam. Qui quidem putabatur in idea naturae cuiusdam perfectiſſimae deprehendi, atque ita duntaxat ad cognitionem adhibebatur magis determinatam illius, quod, iam aliunde ſibi perſuaſum habebant, exſtare oportere, ſcilicet naturae neceſſariae. Interim hoc naturale rationis iter celatum eſt, cumque debuiſſet in hoc conceptu finiri, ab eo tenta-

runt proficiſci, quo neceſſitatem exſiſtentiae inde derivarent, quam tamen debebat ſupplere. Vnde tum exſiſtebat argumentum ontologicum illud male inſtitutum, quod nihil in ſe cohibet, quod vel naturali intelligentiae et ſanae ſatisfaceret, vel examini ſubtili probaretur.

Argumentum cosmologicum, quod nunc explorabimus, coniunctionem neceſſitatis abſolutae cum ſumma realitate retinet, verum, cum, vti ontologicum, ab realitate ſumma ad neceſſitatem in exſiſtentia concludere deberet, potius a neceſſitate abſoluta cuiuspiam naturae in anteceſſum data ad realitatem illius concludit carceribus vacuam, atque eatenus omnia ſaltem in orbitam ducit ratiocinationis, neſcio rationi conuenientis an argutantis, certe naturalis, non ſolum communi intelligentiae verum etiam contemplatiuae plurimum in ſe perſuaſionis cohibentis; quemadmodum eam quoque, in oculos incurrit, omnium theologiae naturalis primas lineas ducere, quas ſemper ſecuti ſunt, et porro etiam ſequentur, vtcumque ornamentorum copia veſtiantur et contegantur. Atque hoc argumentum, quod idem *Leibnitius* a contingentia mundi vocauit, iam ob oculos ponamus, illudque examini ſubiiciamus.

Sic ſe habet: ſi aliquid exſtat, neceſſe eſt, vt exſtet quoque natura abſolute neceſſaria. Atqui ego certe quidem exſto: ergo exſtat natura abſolute neceſſaria. Adſumtione quaedam continetur experientia, propoſitione concluſio ex quadam experientia in genere ad exſiſtentiam abſolute neceſſarii. *) Igitur argumentum proprie ab experientia proficiſcitur, proinde illud non prorſus ex anticipatione, ſiue ontologice, ducitur, quoniamque res vniuerſae, quae eſſe poteſt, experientiae mun-

*) Haec conſequentia notior eſt, quam quae opus ſit hoc loco fuſius proponi. Poſita eſt illa quidem in lege phyſica cauſalitatis transſcendentali putatitia, omne fortuitum ſuam cauſam habere, quae, ſi rurſus fortuita ſit, itidem cauſam habeat, neceſſe eſt, donec ſeries cauſarum ſibi inuicem ſubiectarum in cauſa abſolute neceſſaria finiatur, ſine qua nulla illius vniuerſitas videretur.

dus vocatur, idcirco illud argumentum *coſmologicum* appellatur. Quod cum praeterea ab omni ſingulari rerum experientiae ſubiectarum proprietate, qua hicce mundus ab omni alio, qui eſſe poteſt, diſtinguatur, ſeſe contineat: etiam iam nomine ab argumento phyſicotheologico diſcernitur, quod obſeruationibus vtitur naturae peculiaris huius noſtri mundi ſenſibilis pro argumentis.

Iam porro argumentum concludit: natura neceſſaria vno duntaxat modo, id eſt, ratione praedicatorum omnium, quae eſſe poſſunt, oppoſitorum vno ſolum eorum poteſt determinari, proinde per conceptum ſuum *perpetuo* definitum ſit, neceſſe eſt. Atqui eſſe tantum vnus poteſt rei cuiusdam conceptus, qui eam perpetuo ex anticipatione determinet, ſcilicet conceptus naturae perfectiſſimae (realiſſimae); ergo conceptus naturae perfectiſſimae ſolus eſt, quo poſſit natura neceſſaria cogitari, id eſt, natura ſumma exſtat neceſſario.

In hoc argumento coſmologico tot decreta conueniunt argutantia, vt ratio contemplatiua vniuerſam in eo artem ſuam dialecticam excitaſſe videatur, quo ſpecies quae eſſe poſſit maxima transſcendentalis efficeretur. Miſſo interea ad tempus illius examine, dolum in ea aperiemus, quo argumentum vetus mutata forma pro nouo venditans ad duorum teſtium conſenſum prouocat, nempe teſtem rationis purae, aliumque fidei empiricae, qui tamen idem cum illo eſt, qui veſtitum duntaxat vocemque mutat, vt pro altero reputetur. Quo firmius fundamentum iaciat, hoc argumentum nititur experientia, eoque videri vult ab ontologico diuerſum, quippe quod omnem ponit fiduciam in ſolis conceptibus puris ex anticipatione. Verum hac experientia vtitur argumentum coſmologicum propterea, vt vnum tantummodo gradum faciat, nimirum ad exſiſtentiam naturae neceſſariae in vniuerſum. Cui, quae attributa ſint, argumento empirico non poteſt doceri, ſed tum ratio prorſus illud dimittit, in merisque anquirit conceptibus, qui ſcilicet in naturam abſolute neceſſariam in genere

cadere debeant, hoc eſt, quanam in re eorum omnium, quae eſſe poſſunt, requiſita neceſſitatis abſolutae complexa videantur. Iam haec requiſita putat in ſolo conceptu naturae perfectiſſimae inueniri, tumque ſic concludit: in eo cernitur natura abſolute neceſſaria. Sed manifeſtum eſt, in eo ſumi, conceptu naturae, cui ſumma inſit perfectio (realitas), conceptui neceſſitatis abſolutae in exſiſtentia prorſus fieri ſatis, id eſt, ex illa ad hanc poſſe concludi; quod quidem enunciatum eſt ab argumento ontologico adſertum, quodque proinde, in argumento cosmologico ſumtum, quaſi quoddam fundamentum ponitur, quod tamen ipſum voluerant vitare. Namque neceſſitas abſoluta cernitur in exſiſtentia e meris conceptibus. Quodſi ergo dico: conceptus naturae perfectiſſimae (entis realiſſimi) eſt conceptus talis, et quidem vnus, qui ad exſiſtentiam neceſſariam aptus eique conueniens eſt; tum etiam, oportebit, concedam, ex eo hoc poſſe poſterius concludi. Ergo hoc argumentum proprie tantummodo eſt illud ontologicum ex meris conceptibus conflatum, quod omnem probandi neruum in ſe continet cosmologici, quamque oſtendunt, experientia prorſus otioſa eſt, fortaſſe, vt duntaxat ad conceptum neceſſitatis abſolutae ducamur, non autem vt hanc in quapiam re determinata euincamus. Namque, ſimulatque hoc nobis propoſitum eſt, vniuerſa nobis continuo experientia relinquenda eſt, atque in puris conceptibus anquirendum, quo fere illorum potiſſimum conditiones poſſibilitatis naturae abſolute neceſſariae contineantur. Verum poſſibilitate eiuscemodi naturae tali modo perſpecta, etiam illius exſiſtentia probata videtur; ſi quidem idem eſt, atque: in vniuerſis iis, quae poſſunt eſſe, vnum eſt, quod neceſſitatem abſolutam in ſe continet, id eſt, ea natura ſimpliciter neceſſario exſtat.

Omnes concluſionum fallaciae aperiuntur facillime, cum in via logica ob oculos ponuntur. Quod et nobis in praeſens propoſitum eſt.

Si vera eſt enunciatio: vnaquaeque natura neceſſaria eadem eſt natura perfectiſſima (ens realiſſimum, in

quo neruus probandi ineſt argumenti coſmologici); perinde, atque vniuerſae enunciationes aientes, poſſe debet, ſaltim *per accidens*, conuerti, ita: quaedam naturae perfectiſſimae ſimul ſunt naturae abſolute neceſſariae. Atqui natura perfectiſſima (ens realiſſimum) ab alia in nulla re differt, ideoque quod valet de nonnullis hocce conceptu complexis, illud etiam valet de vniuerſis. Proinde (in hac cauſa) etiam *ſimpliciter* poterit conuerti, ſic: quaeque natura perfectiſſima eſt natura neceſſaria. Quod pronunciatum cum e ſolis ſuis conceptibus ex anticipatione determinatum ſit: cogitur, vt ſolus conceptus naturae perfectiſſimae etiam neceſſitatem illius abſolutam in ſe contineat; id quod ipſum ab argumento ontologico adferebatur, quod vero coſmologicum noluit agnoſcere, nihilominus tamen concluſionibus ſuis, vt clanculum atque latenter, ſubſtrauit.

Itaque planum eſt, alteram viam, cui ratio contemplatiua inſiſtit, ad exſiſtentiam naturae ſummae euincendam, perinde ac prima illa fallax eſt, verum etiam propterea in vitio videtur, quod peccat ex ignoratione elenchi, ſi quidem nobis pollicetur, nouo nos tramite ſeſe ducturum, quos tamen ex anfractu breui rurſus in veterem reducit, quem eius cauſa modo reliqueramus.

Breui ante dixi, in hocce argumento coſmologico permagnam vim latere arrogantiae dialecticae, quae facile a critica transſcendentali aperiri poſſit atque euerti.

Veluti 1) occurrit decretum transſcendentale; a fortuito ad cauſam concludendi, quod tantummodo in mundo ſenſibili locum habet, verum extra illum omni prorſus deſtitutum ſententia eſt. Namque conceptus mere intellectualis fortuiti nullam poteſt generare enunciationem ſyntheticam, qualis eſt pronunciatio effectionis cauſarum, quae poſterior quidem inani voce ſonat, nullamque vſus ſui notam habet, niſi in ſolo mundo ſenſibili; ſed hoc loco id ipſum eo effici debebat, vt vltra mundum ſenſibilem perueheremur. 2) Concluſio, ab

impoſſibilitate ſeriei infinitae cauſarum in mundo ſenſibili aliarum poſt alias datarum, concludendi ad cauſam aliquam primam, cuius quidem rei principia ipſa vſus rationis in experientia nullam nobis copiam poteſtatemque faciunt, multo minus vltra eam (vsque quo illa catena neutiquam poteſt produci) hocce decretum poſſumus dilatare. 3) Falſa rationis quies, reſpectu huiusce ſeriei perficiendae, eo, vt omnes tandem conditiones remoueantur, ſine quibus tamen nullus cuiusquam neceſſitatis conceptus locum inuenire poteſt, cumque tum nihil amplius queat comprehendi, hoc pro abſolutione conceptus ſumitur. 4) Permutatio poſſibilitatis logicae conceptus cuiusdam omnis perfectionis coniunctae (ſine repugnantia interna) cum transſcendentali, quae principio opus habet eiuscemodi ſyntheſeos efficiendae, quod ipſum vero viciſſim poteſt ſolum campum experientiae, quae poſſit eſſe, ſpectare, et ſic porro.

Artificium argumenti cosmologici id ſolum ſpectat, vt vitetur argumentum pro exſiſtentia naturae cuiusdam neceſſariae ex anticipatione per ſolos conceptus, quod ontologice deberet inſtitui, cuius quidem rei efficiendae noſtram omnino infirmitatem ſentimus. Atque hoc reſpectu ab exſiſtentia vera fundamento poſita (ab experientia quadam in genere), quantum fieri poteſt, concludimus ad quampiam eius conditionem abſolute neceſſariam. Cuius tum poſſibilitate explicanda non opus habemus. Si quidem, illam exſtare, probato, ſuperuacanea eſt quaeſtio de illius poſſibilitate. Quodſi hanc naturam neceſſariam ex qualitate eius accuratius velimus determinare, non id quaerimus, quod ſatis ſit ad neceſſitatem exſiſtentiae ex conceptu illius comprehendendam; quoniam, ſi iſtud poſſemus, nulla ſumtione empirica indigeremus: verum tantummodo conditionem negatiuam (ſine qua non) quaerimus, ſine qua natura quaedam haud eſſet abſolute neceſſaria. Quod ſane quidem in omni alio concluſionum genere, ex conſecutione data ad rationem illius, commode fieri poſſet; ſed male hic accidit, vt conditio, quae ad neceſſitatem abſolutam re-

quiritur, in vna duntaxat natura quadam queat deprehendi, quae proinde in conceptu ſuo vniuerſa deberet, quae ad neceſſitatem abſolutam poſtulantur, complecti, ideoque vt ad illam concluſio fieri ex anticipatione queat, efficit; id eſt, deberet et retro viciſſim concludi: cui rei hic conceptus (ſummae perfectionis) competit, et abſolute neceſſaria eſt, et, ſi ſic non poſſum concludere (quod ſane debebo fateri, ſi argumentum ontologicum euitare cupiam), actum de me in hac via noua erit, ibique rurſum memet conſtitutum video, vnde fueram profectus. Conceptus naturae ſummae quaeſtionibus quidem vniverſis ex anticipatione facit ſatis, quae de determinationibus rei cuiusdam internis poterunt proponi, isque propterea in ideali verſatur quodam haud ſui quiddam ſimile habente, ſi quidem conceptu vniuerſali illud ſimul vt ſingulum aliquod (indiuiduum) in vniuerſis, quae eſſe poſſunt, rebus diſtinguitur. Verum quaeſtioni de exſiſtentia ſui ipſius prorſus non ſatisfacit, quod tamen potiſſimum ſpectabatur, neque ad interrogationem illius, qui exſiſtentiam ſumebat naturae cuiusdam neceſſariae, et tantummodo auebat ſcire, quaenam in vniuerſis rebus pro illa reputanda ſit, poterat reſpondſeri; haec iſtic eſt natura illa neceſſaria.

Poteſt licere, vt exſiſtentia naturae ſumme ſufficientis, vt cauſae omnium, quae eſſe poſſunt, effectorum, ſumatur, quo facilior rationi reddatur vnitas rationum, quas ea quaerit, explicantium. Verum, tantum ſibi ſumere, vt adeo dicatur: *eiusmodi natura vere exſtat*, id non amplius modeſta oratio eſt hypotheſeos licitae, verum impudens firmitatis apodicticae arrogantia; ſi quidem, quod abſolute neceſſario cognoſci perhibetur, eius quoque cognitio neceſſitatem in ſe cohibeat, neceſſe eſt.

Tota idealis transſcendentalis in eo vertitur quaeſtio: vt aut ad neceſſitatem abſolutam inueniatur quidam conceptus, aut ad conceptum rei cuiuſpiam neceſſitas abſoluta illius. Si vnum poteſt effici, et alterum poterit; namque ſimpliciter neceſſarium illud ratio dun-

taxat cognoſcit, quod ex conceptu eius neceſſarium videtur. Verum vtrumque prorſus ſuperat omnes maximos conatus intelligentiae noſtrae ea de re *edocendae*, verum etiam cuncta pericula, eam de hac imbecillitate ipſius conſolandi.

Neceſſitas abſoluta, qua, tamquam vltima omnium rerum ſuſtentatrice, tam neceſſario opus habemus, vera illa rationis humanae vorago eſt. Ipſa aeternitas, quam horribiliter ſublimem altamque *Hallerus* illam depingat, permultum abeſt, vt tanta animum vertigine percellat; quippe quae duntaxat rerum durationem metitur, non vero eas portat ac ſuſtentat. Non quidem arcere poſſumus, neque vero etiam ferre cogitationem: naturam quandam, quam etiam omnium, quae eſſe poſſunt, ſummam cogitamus, quaſi ad ſe ipſam dicere: equidem ex aeterno ſum in aeternum, extra me nihil eſt, praeterquam id, quod per ſolam voluntatem meam eſt aliquid; *ſed vnde ſum ego?* Hic nutant omnia ſubter nos, maximaque, perinde ac minima, perfectio titubat, imbecillis duntaxat coram ratione contemplatiua, cui ludus erit, vnam pariter atque alteram nulla re vel minimum impediente delere.

Multae vires naturae, quae exſiſtentiam ſuam certis effectionibus manifeſtant, nobis manent haud peruestigandae; neque enim eas obſeruando poſſumus ſatis longe indagare. Quae phaenomenis fundamento ſubeſt obiecta res transſcendentalis, cum eaque ratio, cur ſenſus noſter his potius conditionibus ſupremis gaudeat, quam aliis, ſunt manentque nobis haud peruestiganda, quamquam res ipſa caeteroquin data ac propoſita eſt, ſed non perſpecta. Verum ideale rationis purae dici non poteſt haud perueſtigandum, quoniam illud non habet, quo poſſit fidem realitatis ſuae facere, praeter neceſſitatem rationis, omnis vnitatis ſyntheticae ope illius perficiendae. Cum igitur ne quidem vt, quae cogitari queat, res obiecta illud datum ſit, etiam qua talis haud erit non perueſtigandum; potius neceſſe eſt, illud, vt meram ideam, in natura rationis et ſedem inuenire

ſuam, et ſolutionem, proinde poſſe perueſtigari; namque in eo ipſo ratio cernitur, vt omnium noſtrorum conceptuum et opinionum adſertionumque, ſiue e rationibus obiectiuis iſtud fiat, ſiue, cum in mera ſpecie verſantur, ſubiectiuis, reddere rationem queamus.

Patefactio et explanatio

SPECIEI DIALECTICAE

in vniuerſis argumentis transſcendentalibus de exſiſtentia naturae neceſſariae.

Vtrumque argumentum hactenus ductum fuit *transſcendentale*, id eſt, libere ab omni principio empirico tentatum. Nam, etſi argumentum cosmologicum experientiam quandam vniuerſe fundamento ponit, tamen non e quapiam peculiari qualitate illius, ſed e principiis rationis puris, in adfectione ad quandam per conſcientiam empiricam vniuerſe datam experientiam, illud ductum eſt, atque adeo hanc ducem relinquit, vt in ſolis conceptibus puris nitatur. Quaenam igitur cauſa eſt in hiſce argumentis transſcendentalibus illuſionis dialecticae quidem, ſed tamen naturalis, quae conceptus neceſſitatis ſummaeque realitatis coniungit, illudque, quod tamen duntaxat eſſe idea poteſt, verum facit, eique impertit hypoſtaſin? Ecquaenam cauſa eſt, cur euitari nequeat, quin aliquid vt per ſe neceſſarium ſumatur in rebus, quae in veritate apparent, et nihilominus tamen exſiſtentia huiuscemodi neceſſaria, velut quaedam vorago, reformidetur, et quid faciendum eſt, vt ratio ea de re ſe ipſa componat, atque ex fluctuante ſtatu adſenſus cuiusdam formidantis, ſemperque rurſus reuocati, ad intellectum placidum perueniat quietumque?

Eſt aliquid perquam dignum notatu, ſi, aliquid exſtare, ſumſeris, non euitari poſſe conſequens, quidpiam etiam neceſſario exſtare. In hac concluſione prorſus naturali (quamquam haud ideo certa) poſitum erat argumentum cosmologicum. Contra conceptum, quem ve-

lim, rei cuiusdam ſumam, exſiſtentiam eius numquam a me poſſe vt ſimpliciter neceſſariam video repraeſentari, nihilque, quae cumque exſtent, impedire, quominus cogitare queam, eam non exſtare, proinde ad id, quod exſtat, vniuerſe ſumi quiddam neceſſarium oportere, ſed ne vllam quidem rem ipſam per ſe neceſſario poſſe cogitari. Id eſt: regreſſum ad conditiones exſiſtentiae numquam poſſum abſoluere, niſi naturam ſumſerim neceſſariam, verum ab ea numquam poſſum proficiſci.

Si ad res, quae in veritate rerum apparent, vniuerſe debeam quiddam neceſſarium cogitare, nullam vero rem per ſe ipſam vt neceſſariam iure poſſim cogitare, neceſſario inde conſequitur, neceſſitatem rationemque fortuitam non res ipſas et attingere oportere, et in eas cadere; quoniam alioquin repugnantia exſiſteret, proinde neutrum decretorum illorum obiectiuum ſit, ſed fere tantummodo poſſint principia rationis ſubiectiua eſſe, nimirum partim vt ad vniuerſa, quae data ſunt tamquam aliquid, quod exſtet, quiddam anquiratur, quod neceſſarium ſit, id eſt, vt nuſpiam niſi in enodatione finiatur ex anticipatione abſoluta, partim autem, vt haec abſolutio numquam ſperetur, id eſt, vt nihil quidquam ſumatur empirici vt abſolutum, eoque vlteriori deriuatione ſuperſedeatur. Quo quidem ſenſu vtrumque decretum poteſt duntaxat vt *heuriſticum* et *regulatiuum* ſimul conſtare, quod inuitamentum rationis formale curet. Namque vnum praecipit: ita vobis de natura rerum philoſophandum eſt, ac ſi omnium eorum, quae pertinent ad exſiſtentiam, ratio quaedam prima ſit neceſſaria, vt cognitioni veſtrae tantummodo vnitatem ſyſtematicam impertiatis, dum eiuscemodi ideam perſequimini, nempe rationem quandam ſupremam cogitatione informatam: altero cauetur, ne vllam, quae exſiſtentiam rerum attingit, determinationem ſumatis vt eiusmodi rationem ſupremam, id eſt, vt abſolute neceſſariam, ſed vt ſemper apertam vobis viam ſeruetis deriuationis vlterioris, eamque non niſi vt conditioni adſtrictam tractetis. Sin autem, quae in rebus perci-

piuntur, vniuerſa ſunt, vt abſolute neceſſaria ſpectanda; nulla quoque res (quae empirice data fuerit) poterit vt abſolute neceſſaria conſiderari.

Hinc autem ſequitur, vt abſolute neceſſarium *extra* mundum ponatis; ſi quidem illud ſeruire debet principio vnitatis phaenomenorum, quanta eſſe poteſt, maximae, vt rationi illius ſupremae, et numquam in *mundo* eo poteſtis peruenire, quoniam altera vobis regula praecipit, vt omnes vnitatis cauſas empiricas ſemper vt deriuatas ſpectetis.

Antiquiorum temporum philoſophi omnem naturae formam conſiderant vt fortuitam, materiam vero, ex ſententia rationis communis, vt et originariam et neceſſariam. Quodſi autem materiam haud ſpectarent comparate vt ſubſtratum phaenomenorum, ſed in *ſe ipſam* quoad exſiſtentiam illius, idea neceſſitatis abſolutae ſtatim euanuiſſet. Namque non eſt, quo ratio ſimpliciter ad hancce exſiſtentiam obligetur, ſed eam ſemper poteſt et ſine pugna cogitatione delere; ſed in cogitatione ſola quoque inerat neceſſitas abſoluta. Igitur neceſſe erat, vt huic perſuaſioni principium regulatiuum quoddam fundamento ſubeſſet. Ac ſane quidem et extenſio et ratio imperuia (quibus coniunctis conceptus materiae efficitur) in ſummo verſantur principio empirico vnitatis phaenomenorum, quod, quatenus empirice liberum a conditione eſt, quandam habet in ſe proprietatem principii regulatiui. Nihilominus tamen, cum quaeque materiae determinatio, qua illius reale conſtituitur, proinde quoque ratio imperuia, in effectione (actione) cernatur, quae cauſam ſui habeat, neceſſe eſt, ideoque ſemper adhuc deriuata ſit, materia haud eſt idonea ad ideam naturae neceſſariae, vt principii cuiusdam vniuerſae vnitatis deriuatae; ſi quidem quaeque illius proprietates reales, vt deriuatae, duntaxat ſub conditione neceſſariae videntur, et proinde per ſe tolli poſſunt, ſed ea re vniverſa materiae exſiſtentia tolleretur, quod autem ſi haud fieret, ſummam nos vnitatis rationem empirice eſſemus adſecuti, quod altero principio regulatiuo vetitum eſt,

ſequitur: materiam, omninoque quidquid ad mundum pertinet, haud eſſe idoneam ad ideam naturae primae cuiusdam neceſſariae, vt meri principii maximae vnitatis empiricae, ſed eam poni extra mundum oportere, et tum fidenter poſſumus phaenomena mundi eorumque exſiſtentiam ab aliis deriuare, ac ſi nulla eſſet natura neceſſaria, et nihilominus ad perfectionem deriuationis perpetuo poſſumus tendere, ac ſi talis, vt ratio ſuprema, ſumta foret.

His igitur expoſitis intelligitur, ideale naturae ſummae non niſi in quodam principio verſari *regulatiuo*, quo omnis coniunctio in mundo debeat perinde ſpectari, ac ſi e cauſa quadam perfecta exſiſtat neceſſaria, vt regula in ea vnitatis ſyſtematicae atque ex legibus vniuerſalibus neceſſariae in illa explicanda ponatur, nec vero in adſertione quadam cernatur exſiſtentiae cuiusdam per ſe neceſſariae. Neque tamen itidem poterit euitari, ne hocce principium formale, ope ſubreptionis cuiusdam transſcendentalis, vt conſtitutiuum nobis repraeſentemus, eamque vnitatem hypoſtaticam cogitemus. Etenim, quemadmodum ſpatium, quoniam eo efficitur, vt vniuerſae figurae, quae ſolum ſunt diuerſae illius circumſcriptiones, eſſe queant originariae, quamquam illud duntaxat in principio facultatis ſenſitiuae verſatur, tamen ob eam ipſam cauſam quiddam abſolute neceſſarium in ſeſe conſiſtens, obiectaque res per ſe ipſa ex anticipatione data putatur, ita per naturam rei accidit, vt, cum vnitas naturae ſyſtematica nullo pacto poſſit vt principium vſus empirici rationis noſtrae proponi, niſi quatenus ideam naturae perfectiſſimae (entis realiſſimi), vt cauſae ſupremae, fundamento poſuerimus, haec idea eo vt obiecta res vera, atque in hac rurſus, quia ſuprema conditio eſt, vt neceſſaria repraeſentetur, proinde principium regulatiuum in *conſtitutiuum* transmutetur; quae ſubreptio quidem eo manifeſtatur, quod, ſi iam hancce naturam ſummam, quae, habito illius ad mundum reſpectu, abſolute neceſſaria fuit, vt rem per ſe ipſam conſidero, haec neceſſitas nullius capax eſt conceptus, et

proinde ſolum vt conditio cogitandi formalis, non vero velut conditio materialis exſiſtentiae et hypoſtatica, oportuerit in ratione mea infuiſſe.

Capitis tertii

SECTIO SEXTA.

De impoſſibilitate argumenti phyſico-theologici pro exſiſtentia dei.

Quodſi ergo neque conceptus rerum *vniuerſe*, neque experientia cuiuspiam *exſiſtentiae in genere* id queat, quod poſtulatur, efficere, vnum hoc relinquitur, vt tentemus, anne *experientia* quaedam *determinata*, rerum proinde huiusce mundi praeſentis, naturaque illius conſtitutioque rationi probandi inſeruiat, quae certo nobis firmitatem poſſit de exſiſtentia naturae ſummae impertire. Eiuscemodi argumentum diceremus *phyſico-theologicum*. Quod etiam ſi fieri nequeat: tum nuſpiam quodpiam eſſe argumentum perfectum poterit ex mera ratione contemplante pro exſiſtentia naturae cuiusdam, quae ideae transſcendentali noſtrae reſponderet.

Ex iis omnibus, quae ſupra monuimus, facile intelligetur, ad hanc quaeſtionem reſponſionem poſſe perfacilem ac rotundam exſpectari. Qui enim vmquam poterit experientia proponi, quae ideae cuidam conſentanea videatur? Eſt enim id ipſum ideae proprium, vt ne poſſit ei vmquam experientia congruere. Idea transſcendentalis naturae cuiusdam primae neceſſariae perfectae tam enormiter magna eſt, tamque alte ſupra quodque empiricum, quod ſemper aliunde pendet, elatum eſt, vt partim numquam poſſis ſatis materiae in experientia conquirere, quo talis conceptus repleatur, partim ſemper in iis, quae aliunde pendent, circumpalpes, ſemperque fruſtra abſolutum quaeras, cuius nulla lex cuiuspiam ſyntheſeos empiricae exemplum nobis, aut vel minimam inſtitutionem praebere videtur.

Si natura ſumma in hac conditionum catena ineſſet, ipſa foret in articulis feriei illarum, et perinde, atque inferiores articuli, quibus ea praepoſita eſt, vlteriorem de ratione altiori ſua inueſtigationem poſtularet. Contra ſi eam ab hac catena diuellere, atque, vt naturam mere intelligibilem, haud velis in ſerie cauſarum phyſicarum complecti: quem tum ratio facere pontem poterit, vt ad illam perueniatur? cum omnes leges tranſitus ab effectis ad cauſas, atque adeo vniuerſa ſyntheſis atque amplificatio cognitionis noſtrae vniuerſe, non niſi, quae eſſe poteſt, experientiam, proinde ſolas res obiectas mundi ſenſibilis ſpectare poſſint, ac tantummodo ratione illarum vim virtutemque habere.

Praeſens mundus theatrum nobis aperit et varietatis, et ordinis, et conuenientiae, et pulcritudinis tam immenſum, ſiue eas in infinitate ſpatii perſequare, ſiue in diuiſione illius infinita, vt vel ex notitiis, quas tenuis noſtra atque imbecillis intelligentia ſibi potuit comparare, de tot tamque infinite magnis miraculis, deque vi earum omnem orationem, vniuerſosque virtutis illarum dimetiendae numeros, ipſaeque cogitationes noſtrae omnem finitionem deſiderent, ita vt, ſententia de toto noſtra in mirationem mutam quidem, ſed eo facundiorem, neceſſe eſt, diſſoluatur. Vbique catenam videmus effectorum cauſarumque, finium et ſubſidiorum, conuenientiam in ortu atque interitu, et, dum nihil ſuapte ſponte, in quo eſt, ſtatum ingreſſum ſit, quodque ſemper vlterius ad aliam rem, vt cauſam ſuam, amandat, quae ipſa viciſſim vlteriorem quaeſtionem neceſſariam efficit, ita vt hoc modo tota rerum vniuerſitas ruere in voraginem nihili oporteret, niſi ſumeretur aliquid, quod extra infinitum fortuitum hocce, in ſeſe ipſum originarie abſoluteque conſiſtens eam conſeruaret, et tamquam cauſa originis illius ſimul eius durationem tueretur. Atque hanc cauſam ſummam (ratione omnium in mundo rerum) quantam cogitatione debebimus informare? Mundum haud nouimus quoad vniuerſum illius complexum, multo minus quantitatem eius ex comparatione

cum iis, quae eſſe poſſunt, vniuerſis poſſumus aeſtimare. Quid vero nos impedit, quominus, cum ſemel ratione effectionis cauſarum extrema ſummaque nobis natura opus ſit, eam ſimul quoad gradum perfectionis *ſupra* vniuerſa, quae eſſe poſſunt, alia collocemus? id quod facili negotio, quamquam ſane quidem ſubtiliori conceptus cogitando ſeparati (abſtracti) adumbratione, poſſumus efficere, ſi nobis in ea, vt vna ſubſtantia ſingulari, omnes, quae eſſe poſſunt, perfectiones coniunctas repraeſentemus; qui quidem conceptus deſiderio rationis noſtrae in parcendis principiis videtur fauere, in ſe ipſe nullis ſubiectus repugnantiis, ipſique vſus rationis amplificationi in media experientia, tali idea nobis ad ordinem conuenientiamque duce, vtilis eſt, nuſpiam vero cuipiam experientiae manifeſto aduerſatur.

Atque hoc argumentum ſane dignum, quod cum aeſtimatione nominetur. Eſt illud quidem vetuſtiſſimum et clariſſimum, et rationi humanae accommodatiſſimum. Illo naturae ſtudium animatur, ſicut ipſum ab hoc exſiſtentiam habet, eoque in dies nouam vim accipit. Fines atque conſilio ibi conſtituit, vbi noſtra obſeruatio haud ſponte illos aperuiſſet, noſtrasque notitias phyſicas duce vnitate ſingulari amplificat, cuius principium extra naturam poſitum eſt. Quae vero notitiae rurſus vim ſuam in cauſa ſua exſerunt, retro, nempe in idea, quae anſam praebet, augentque fidem in auctorem ſummum quendam vsque ad firmitatem quandam adſenſus, cui non poteſt reſiſti.

Cuius argumenti auctoritati, ſi quidquam velimus detrahere, non ſolum ſolatio priuaremur, verum etiam prorſus fruſtra atque in caſſum laboraremus. Ratio, argumentis tam validis et ſub manibus ſuis perpetuo creſcentibus, quamquam duntaxat empiricis, eleuata, nullis dubiis contemplationis ſubtilis et cogitatione ſeparatae (abſtractae) ita poteſt deprimi, vt ne ex quaque ambiguitate animi, velut e ſomnio, adſpectu mirabilium naturae maieſtatisque in fabricatione mundi elucentis, eripiatur, vt a magnitudine ad magnitudinem vsque ad

omnium ſupremum, ab eo, quod pendet, ad id, vnde illud pendet, vsque ad ſummum abſolutumque auctorem adſcendat.

Verum quamquam contra hunc procedendi modum et conſentaneum rationi, et vtilem, non eſt, quod moneamus, tamen propterea non poſſumus probare, hoc argumenti genus firmitatem apodicticam ſibi arrogare, adſenſumque nulla prorſus gratia alienaque ope indigentem, neque vllo modo poterit bonae cauſae nocere, ſi orationem dogmaticam glorioſi argutatoris ad orationem temperantiae reuocemus modeſtiaeque, fidei ad animos ſedandos tranquillandosque ſatis idoneae, quamuis haud fere abſolutam ſubmiſſionem imperantis. Itaque cenſeo, argumentum phyſico-theologicum numquam poſſe ſolum exſiſtentiam entis ſummi euincere, ſed ſemper ontologico (cui duntaxat pro introductione eſt) relinquere debere, vt hicce defectus expleatur, proinde hoc ſemper, quod *eſſe ſolum poteſt argumentum* (ſi omnino argumentationi contemplatiuae eſſe locus poterit) continere, quod nulla poteſt humana ratio praeterire.

Praecipua huiusce argumenti phyſico-theologici haec capita ſunt: 1) vbicumque in mundo veſtigia perſpicua deprehenduntur ordinis cuiusdam ex certis determinatisque finibus ſapientiſſime inſtituti, atque in toto quodam varietatis mirae cum ratione materiae, tum vero etiam magnitudinis infinitae et ambitus atque compagis. 2) Hic ad certos fines mire conſpirans rerum ordo in mundo alienus eſt, iisque adhaeret duntaxat fortuito, id eſt, natura variarum rerum ſua ſponte non poterat, tam multis variisque adiumentis concinentibus, ad certos fines conſentire, niſi a principio quodam ratione praedito ad ideas ita conſtituta forent, ad eamque rem proprie et lecta et inſtituta. 3) Ergo ſumma exſtat cauſa et ſapiens (pluresue), quae non ſolum, vt natura omnipotens in efficiendo caeca, per fecunditatem, verum, vt intelligentia, ex *libertate* cauſa mundi ſit, neceſſe eſt. 4) Vnitas illius ex vnitate adfectionis mutuae partium mundi, tamquam articulorum fabricationis artificioſae, in iis, ad quae noſtra pertinet obſeruatio, cum

firmitate animi poteſt, vlterius autem ex vniuerſis analogiae decretis, probabili ratione concludi.

Nec vero rationem naturalem de argumentatione eius ludamus, quae ex analogia quorundam naturae effectorum cum iis, quae arte humana efficiuntur, ſi vim ea naturae infert, eamque cogit, non ad fines ſuos agere, ſed ad noſtros ſe fines componere (veluti in aedibus, nauibus, horologiis), concludit, eandem fere effectionis rationem, nimirum intelligentiam voluntatemque, ipſi fundamento fore, cum poſſibilitatem naturae libere efficientis internam (qua fit, vt omnis ars, et haud ſcio, an vel ipſa ratio eſſe poſſit), ab alia arte, quamuis ſuprahumana, deriuat, quae quidem argumentandi ratio ſeueritatem critices transſcendentalis fortaſſe haud ſuſtineat. Interim fatendum eſt, nos, ſi ſemel cauſa quaedam indicanda ſit, hoc loco non poſſe tutius verſari, quam ex analogia effectionum eiusmodi ad finem concinentium, quae ſolae ſunt, quarum cauſas nos modumque efficiendi prorſus cognitas habemus. In ſuam ipſius reprehenſionem ratio incurreret, ſi ab effectione cauſarum nota ſibi atque perſpecta ad obſcuras numquamque probandas, quas haud nouit, explicandi rationes vellet pergere.

Ex hac argumentatione ordinem finium, conſpirantemque atque continuatam cognationem tam multorum inſtitutorum naturae ſolius formae ratio fortuita, non vero materiae, id eſt, ſubſtantiae in mundo euinci deberet: namque ad materiam praeterea requireretur, vt probari poſſet, res in mundo per ſe ipſas ad talem ordinem concentumque, ex legibus vniuerſalibus, haud eſſe idoneas, niſi, vel quoad ipſam ſubſtantiam, poſitae in effectis forent ſummae ſapientiae; quo vero prorſus aliis opus argumentis foret, quam quae a ſimilitudine artis humanae ducuntur. Igitur hoc argumento vel maxime *fabricator mundi* atque aedificator, qui per naturam materiae, quam tractet, vehementer circumſcriptus coërceretur, non vero *creator mundi*, cuius ideae vniverſa ſubiecta ſint, poſſet euinci, quod magno illi conſi-

lio, quod ob oculos poſitum eſt, nempe cauſae primae cuiusdam vniuerſe ſufficientis probandae, haud quaquam idoneum videtur. Si fortuitam materiae rationem ipſam vellemus probare, ad aliquod nobis argumentum transſcendentale confugiendum foret, quod ipſum vero hic debebat vitari.

Quamobrem ab ordine finiumque contextu perpetuo in mundo obſeruando, vt conſtitutione prorſus fortuita ad exſiſtentiam pergit cauſae cuiusdam illi accommodatae. Sed conceptus huius cauſae nobis quiddam *certum* ac *determinatum* ad cognoſcendum oſtendat, neceſſe eſt, isque proinde non poteſt alius eſſe, quam conceptus naturae, quae omnem potentiam, ſapientiam et id genus alia, verbo omnem perfectionem poſſidet, vt natura, quae omnibus ſufficiat. Namque attributis potentiae *permagnae*, potentiae admirabilis atque immenſae et excellentiae praeſtantiaeque nullus prorſus conceptus efficitur certus ac determinatus, proprieque illa haud enunciant, quid res per ſe ipſa ſit, ſed tantummodo repraeſentationes ſunt relatiuae magnitudinis obiectae rei, quam obſeruator (mundi) et ſecum et cum facultate ſua comprehendendi comparat, quaeque laudem aeque altam ſonant, ſiue rem obiectam augeas, ſiue ſubiectum obſeruans cum illa comparatam minuas. Vbi de magnitudine (perfectionis) cuiusdam rei vniuerſe agitur, ibi non eſt conceptus certus determinatusque, niſi quo vniuerſa, quae eſſe poteſt, perfectio continetur, ſolaque vniuerſitas (omnitudo) realitatis in conceptu eſt perpetuo determinata.

Atqui haud ſperauerim, quemquam fore, qui tantum ſibi tribuat, rationem magnitudinis mundi ab ſe obſeruatae (et quoad ambitum, et quoad materiam) cum omnipotentia, ordinis rerum naturalium cum ſumma ſapientia, concentus conuenientiaeque partium mundi cum natura abſolute ſingula conditoris ſummi comparatam, habeat perſpectam. Ergo phyſico-theologia non poteſt determinatum certumque ſupremae mundi cauſae conceptum ſuppeditare, et proinde ad principium theo-

logiae, quae rurſus eſſe fundamento debeat religioni, idonea videri.

Gradus ad vniuerſitatem abſolutam fieri per viam empiricam nullo modo poteſt. Qui quidem ſit nihilominus in argumento phyſico-theologico. Quo igitur adminiculo vtamur, vt tantum hiatum ſuperemus?

Poſteaquam vsque ad admirationem magnitudinis ſapientiae, potentiae, et quae ſunt generis eiusdem in auctore mundi peruenimus, neque longius poſſumus progredi, hoc argumentum ex rationibus ductum empiricis ſubito relinquimus, ad rationemque illius fortuitam procedimus, ſtatim initio ex ordine mundi finiumque contextu et conſpiratione concluſam. Atque ab hac ſola ratione fortuita nunc pergimus per ſolos conceptus transſcendentales, ad exſiſtentiam abſolute neceſſarii, a conceptuque neceſſitatis abſolutae cauſae primae ad conceptum eius perpetuo determinatum determinantemque, nempe realitatis vniuerſa complectentis. Ergo haeſit in inſtituto ſuo conceptus phyſico-theologicus, atque in hoc diſcrimine ſubito transſiliit ad cosmologicum, cumque hoc non niſi ontologico verſetur tecto atque abſcondito, propoſitum ſuum reapſe proſecutum eſt ex ſola ratione pura, quamquam initio ſtatim omnem cum hac adfinitatem denegauerat, omniaque in argumentis per experientiam euidentibus poſuerat.

Non eſt ergo, quod phyſico-theologi tam delicati transſcendentale hoc argumenti genus aſpernentur, illudque cum arrogantia quadam phyſicorum acute videntium, velut aranearum telam obſcurorum inueſtigatorum, deſpiciant. Etenim, ſi ſe ipſos vellent excutere atque explorare, inuenirent, ſe, vbi longum iter in territorio naturae experientiaeque confecerint, et nihilominus tantumdem ſe ab re obiecta remotos ſentiant, rationi ſuae obfulgente, ſubito hoc territorium relinquere, atque in regnum merarum poſſibilitatum tranſire, vbi idearum alis illi ſe ſperant appropinquare, quod vniuerſae ipſorum inueſtigationi empiricae ſeſe ſubduxerat. Poſt-

eaquam tandem tam ingenti ſaltu firmum ſe poſuiſſe pedem arbitrantur, conceptum nunc determinatum (quo, quomodo? ipſi neſciunt, potiti ſint), ſupra vniverſum rerum creatarum campum dilatant, atque ideale exponunt, quod tantummodo in effectis erat rationis purae, vt ſatis miſere, longeque infra dignitatem rei ipſi ſubiectae, per experientiam, neque tamen fateri volunt, ad hanc cognitionem ſumtionemue, alio ſeſe, quam experientiae, tramite perueniſſe.

Quamobrem argumento phyſico-theologico fundamento eſt cosmologicum, vti huic ontologicum, de exiſtentia vnius cauſae primae, vt entis ſummi, cumque praeter tres vias illas nulla amplius rationi contemplativae pateat, efficitur, vt argumentum ontologicum e meris ductum conceptibus puris rationis, vnum ſit, quod eſſe queat, ſi omnino eſſe argumentum poterit enunciati, tam late patentis, vt vniuerſum vſum intelligentiae empiricum prorſus videatur ſuperare.

Capitis tertii

SECTIO SEPTIMA.

Critica vniuerſae theologiae e principiis rationis contemplatiuis.

Si theologiae verbo cognitionem intelligo cauſae primae, ea aut ex ſola ratione erit haurienda *(theologia rationalis)*, aut ex reuelatione *(reuelata)*. Illa rem ſibi ſubiectam vel per ſolam rationem cogitat, ope merorum conceptuum transſcendentalium (ens originarium, realiſſimum, ens entium) diciturque theologia *transſcendentalis;* vel per conceptum, e natura (animi noſtri) depromtum, vt intelligentiam ſummam, eaque oporteret vocari theologia *naturalis*. Is, qui ſolam concedit theologiam transſcendentalem, appellatur *deiſta*, ſed qui praeterea theologiam naturalem largitur, *theiſta* ſalutatur. Ille dat, nos fere exſiſtentiam cauſae cuiusdam

primae poſſe ex ſola ratione cognoſcere, cuius autem conceptum in nobis duntaxat eſſe transſcendentalem, nimirum vt naturae tantummodo, omnem realitatem habentis, quam vero non poſſis propius determinare. Alter contendit, rationem poſſe rem obiectam ex ſimilitudine naturae propius determinare, nempe vt naturam, per intelligentiam et libertatem cauſam in ſe primam aliarum rerum omnium continere. Ille igitur eam tantummodo *cauſam mundi* (vtrum neceſſitate naturae ſuae, an ex libertate, in medio relinquitur) cogitat, hic *mundi auctorem*.

Iam theologia transſcendentalis aut exſiſtentiam cauſae primae putat ab experientia quadam vniuerſe (ita vt de mundo, ad quem ea pertinet, nil quidquam propius decernat) deriuari, eaque *cosmotheologia* vocatur; aut ex ſolis conceptibus arbitratur, nullo prorſus cuiuspiam experientiae adiumento, eius exſiſtentiam cognoſci, diciturque *ontotheologia*.

Theologia naturalis ad proprietates exſiſtentiamque concludit cuiusdam auctoris mundi, ex natura, ordine atque vnitate, in hoc mundo deprehendenda, in quo duplex effectionis cauſarum genus eiusque regula debet agnoſci, nempe natura et libertas. Quocirca illa ab hoc mundo adſcendit ad intelligentiam ſummam, vt aut principium cuiusque ordinis perfectionisque naturalis, aut vniuerſi ordinis perfectionisque moralis. Prior ratio *phyſico-theologia* vocatur, poſterior *theologia moralis*. *)

Cum in conceptu de deo haud fere tantummodo naturam aeternam in efficiendo caecam, tamquam rerum radicem, ſoleamus intelligere, ſed naturam ſummam, quae per intelligentiam libertatemque eſſe debeat

*) Non doctrina moralis theologica; quippe qua leges morales continentur, quae exſiſtentiam *ſumunt* moderatoris mundi cuiusdam ſummi, cum contra theologia moralis in perſuaſione verſetur de exſiſtentia entis ſummi, legibus moralibus nitente.

rerum auctor, praetereaque hoc ſolo conceptu adficiamur, proprie poſſit *deiſtae* omnis in deum fides abnegari, eique duntaxat adſertio cuiusdam naturae primae, cauſaeue ſummae relinqui. Interim tamen, cum nemo homo propterea, quod non audet aliquid adſeuerare, inculpari debeat, eum velle illud negare, clementius erit atque aequius, ſi dicamus: *deiſtam* credere deum, ſed deum viuum (ſummam intelligentiam) *theiſtam*. Iam, qui eſſe poſſunt, fontes omnium iſtorum rationis tentaminum inueſtigabimus.

Hoc loco mihi ſatis eſt, cognitionem theoreticam per eam definire, qua, quae *adſunt*, cognoſcam, ſed practicam illam, qua, quid *debeat adeſſe*, cogitem. Quocirca vſus rationis theoreticus cernitur in eo, quo ex anticipatione (vt neceſſarium) cognoſco, aliquid eſſe; ſed practicus continetur eo, quo ex anticipatione cognoſcitur, quae fieri debeant. Quodſi igitur, aut eſſe aliquid, aut fieri debere, indubitato certum ſit, ſed tamen duntaxat cum adiunctione: tamen aut certa quaedam conditio illius eſſe neceſſaria poterit, aut pro lubitu fortuitoque ſumi. In illo caſu conditio poſtulatur (per theſin), in hoc ſupponitur (per hypotheſin). Cum leges practicae ſint ſimpliciter neceſſariae (morales), neceſſe erit, ſi his quaepiam exſiſtentia, vt conditio poſſibilitatis virtutis illarum obligantis, neceſſario ſumatur, hanc exſiſtentiam *poſtulari*, propterea quod id, quod adſtrictum ad conditionem tenetur, a quo fit concluſio ad hanc conditionem determinatam, ipſum ex anticipatione vt ſimpliciter abſoluteque neceſſarium cognoſcitur. Infra legibus moralibus exſiſtentiam naturae ſummae non ſolum poni oſtendemus, verum etiam, quum alio reſpectu abſolute neceſſariae ſint, iure quidem, ſed ſane duntaxat practice, poſtulari; in praeſens hoc argumentationis genus in medio relinquimus.

Cum, ſi duntaxat de eo, quod adeſt (non vero, quod eſſe debet), ſermo eſt, id quod ad conditionem adſtrictum eſt, nobis per experientiam vſumque propoſitum, ſemper quoque vt fortuitum cogitetur, conditio

illi propria inde non poterit vt abſolute neceſſaria cognoſci, ſed modo ſeruit vt comparate neceſſaria, vel ea potius, qua *opus* habemus, per ſe ipſam autem atque ex anticipatione arbitraria ſumtio ad cognitionem a ratione profectam eius, quod pendet e conditione. Si ergo neceſſitas cuiusdam rei abſoluta in notitia debeat theoretica cognoſci, id fieri duntaxat poterit e conceptibus ex anticipatione, numquam vero vt cauſae cuiusdam in relatione ad exſiſtentiam quandam, per experientiam datam atque propoſitam.

Cognitio theoretica dicitur contemplatiua (ſpeculatiua), ſi ad obiectam rem aliquam, talesue conceptus rei oblatae cuiusdam refertur, ad quam in noua poteſt experientia perueniri. Ea opponitur cognitioni phyſicae, quae nullas res obiectas alias earumue attributa ſpectat, quam quae per experientiam quandam, quae eſſe poteſt, poterunt proponi.

Decretum, ab eo, quod fit (empirice fortuito), vt effecto, ad cauſſam concludendi, in principio verſatur cognitionis phyſicae, nec tamen contemplatiuae. Namque ſi ab illo, vtpote decreto, nosmet continemus, quo conditio continetur vniuerſe, quae eſſe poteſt, experientiae, illudque, miſſis empiricis vniuerſis, de fortuitis vniuerſe velimus enuntiare, ne minima quidem ratio eiusmodi pronunciati ſynthetici relinquetur, vnde intelligas, quo modo a quodam, quod adeſt, ad aliquid tranſire poſſim prorſus diuerſum (quod cauſa dicitur); quid? quod conceptus cauſae perinde, ac fortuiti, in tali vſu mere contemplatiuo, vi omni virtuteque priuatur, cuius realitas obiectiua poſſit in ſingulo (concreto) ad comprehendendum aptari.

Cum ergo ab exſiſtentia rerum in mundo ad earum cauſam concluditur, fit illud non ex naturali quidem rationis vſu, ſed contemplatiuo; ſi quidem illo haud res ipſae (ſubſtantiae), ſed id ſolum, quod fit, proinde ſtatus illarum, vt empirice fortuiti, ad quampiam cauſam referuntur; ſubſtantiam ipſam (materiam) quoad exſi-

ſtentiam, fortuitam eſſe, ſola eſſe cognitio ex ratione contemplatiua deberet. Si vero etiam tantummodo de forma mundi, de modo nexus illius et viciſſitudine ſermo eſſet, ſed inde vellem ad cauſam concludere, a mundo prorſus diuerſam; hoc rurſus iudicium foret ſolius rationis contemplatiuae, quoniam ſic oblata res non eſt experientiae, quae poteſt eſſe, ſubiecta. Verum tum decretum cauſalitatis, quod tantummodo intra campum experientiae valet, extraque illum vſu eſt, et vel ipſa ſignificatione deſtitutum, a fine ſuo ſcopoque penitus abduceretur.

Iam equidem contendo, omnia pericula vſus rationis mere contemplatiui reſpectu theologiae prorſus inutilia eſſe, atque ſecundum naturam ſuam internam irrita; principiis autem vſus illius naturalis nullo nos pacto ad vllam theologiam duci, proinde, niſi leges morales pro fundamento ponantur, iisque ducibus vtamur, nuſpiam eſſe poſſe theologiam rationalem. Namque omnium decretorum intelligentiae ſyntheticorum vſus eſt immanens; ſed ad cognitionem naturae cuiusdam ſummae vſus illius requiritur transſcendens, quo noſtra intelligentia neutiquam eſt exornata. Quodſi lex de effectione cauſarum empirice locum habens ducere debeat ad cauſam primam, haec ad catenam, neceſſe eſſet, rerum experientiae ſubiectarum pertineret; tum vero, quemadmodum cuncta phaenomena, ipſa quoque rurſus aliunde penderet. Verum etiamſi ſaltum vltra terminos experientiae, per legem dynamicam adfectionis effectorum ad ſuas cauſas conceſſeris; quem nobis conceptum poteſt ea ratio comparare? Nullum prorſus naturae cuiusdam ſummae, ſi quidem experientia nobis numquam omnium, quae eſſe poſſunt, effectorum maximum (quippe quod de cauſa ſua debet teſtari) ſuppeditat. Si nobis eſſe licitum debeat, vt tantummodo, quo in ratione noſtra nil quidquam relinquatur inane, hunc defectum determinationis perpetuae mera idea perfectionis ſummae neceſſitatisque originariae reſarciamus: hoc quidem per gratiam concedi poterit, verum non ex iure ar-

gumenti cuiusdam poſtulari, cui nequeat reſiſti. Igitur argumentum phyſico-theologicum aliis fortaſſe argumentis (quorum ſi copia fuerit) vim poſſet tribuere, ſi quidem illo contemplatio cum viſione coniungitur: per ſe ipſum autem illud praeparat intelligentiam potius ad cognitionem theologicam, eique directionem praebet rectam et naturalem, quam vt illud ſolum poſſit negotium ſuum abſoluere.

Ex quo quidem perſpicitur, quaeſtionibus transſcendentalibus reſponſiones tantummodo transſcendentales concedi, id eſt, e ſolis conceptibus ex anticipatione ſine vlla admixtione empirica. Verum quaeſtio hoc loco aperte ſynthetica eſt, cognitionisque noſtrae poſtulat dilatationem vltra omnes experientiae terminos, nempe ad exſiſtentiam naturae cuiusdam, quae ſoli debeat ideae noſtrae reſpondere, cui numquam quaepiam experientia poteſt aequari. Atqui, ex argumentis noſtris ſuperioribus, vniuerſa cognitio ſynthetica ex anticipatione eo tantummodo eſſe ſolo poteſt, vt ea conditiones exprimat formales cuiusdam, quae eſſe poteſt, experientiae, ideoque vniuerſa decreta valorem habent duntaxat immanentem, id eſt, tantummodo res ſpectant cognitioni empiricae ſubiectas, ſiue phaenomena. Ergo etiam per viam transſcendentalem ratione theologiae rationis mere contemplatiuae nihil efficitur.

Si autem malueris cuncta illa ſuperiora argumenta potius in dubium vocare, quam perſuaſionem de pondere argumentorum tamdiu vſurpatorum ſibi eripi; tamen haud poteris recuſare, quod abs te poſtulo, vt de eo ſaltem rationem reddas, quomodo et cuiusnam colluſtrationis ope audeas, omnem, quae eſſe poteſt, experientiam vi virtuteque ſolarum idearum transuolare. Argumentis nouis aut opere vetuſtorum argumentorum refarcito mihi, precarer, parcendum. Quamquam enim in iis quidem haud ita locus optioni eſt, propterea quod tandem vniuerſa argumenta mere contemplatiua ad vnum quoddam, ſcilicet ontologicum, referantur, nec proinde fere mihi metuendum ſit, ne fecunditate dog-

maticorum propugnatorum huiusce rationis a ſenſibus liberae ita grauarer; quamquam praeterea quoque, ne tamen propterea ita me pugnacem putauerim, certamen haud recuſabo, in quouis huiusce generis periculo paralogismum aperiendi, eoque eius arrogantiam comprimendi: tamen inde ſpes melioris ſucceſſus in iis, qui ſemel ſunt ad perſuaſiones dogmaticas adſueti, numquam prorſus tollitur, ideoque vni illi aequae petitioni inſiſto, vt vniuerſe atque ex natura intelligentiae humanae, aliisque cunctis cognitionis fontibus, ratio reddatur, qui velis inſtituere, vt cognitio prorſus ex anticipatione amplificetur, atque eo vsque dilatetur, quo nulla, quae eſſe poteſt, experientia, et proinde nullum adiumentum pertinet, vt illi cuipiam a nobis ipſis excogitato conceptui realitas obiectiua ſua tueatur. Quomodocumque intelligentia hoc conceptu fuerit potita, tamen exſiſtentia rei obiectae illius non poteſt analytice in eo deprehendi, quoniam cognitio *exſiſtentiae* rei obiectae in eo ipſo cernitur, quod haec *extra cogitationem* per ſe ipſa poſita videtur. Sed fieri nullo modo poteſt, vt ſponte conceptum egrediare, nec coniunctionem empiricam proſequens (qua vero ſemper tantummodo proponuntur phaenomena) ad aperiendas nouas res obiectas naturasque transſcendentales peruenias.

Quamquam autem ratio in vſu ſuo mere ſpeculatiuo ad hocce tantum propoſitum haud plane idonea videtur, vt ſcilicet ad exſiſtentiam pertineat naturae cuiusdam ſummae; tamen illa in eo permultum vtilitatis adferet, vt cognitio illius, ſi aliunde forte queat hauriri, corrigatur, cum ſe ipſa et cum vnoquoque fine intelligibili reddatur conſentiens, ab omnique, quod conceptui cauſae primae aduerſari poſſet, atque ab omni admixtione carcerum empiricorum purgetur.

Quamobrem theologia transſcendentalis, quantumvis imperfecta maxime, tamen grauiſſimum habet vſum negatiuum, eaque in perpetua rationis noſtrae cenſura verſatur, in ſolis ideis puris occupatae, quae ob eam ipſam cauſam nullam aliam normam admittunt, atque

tranſcendentalem. Namque, ſi ſemel, ex alia, fortaſſe practica ratione, *ſumtio* ſummae cuiusdam naturae atque vniuerſis ſufficientis, vt intelligentiae ſupremae, valorem ſuum nemine repugnante tueretur: permultum intereſſet, vt conceptus naturae neceſſariae et perfectiſſimae (entis realiſſimi) accurate determinaretur, et, quod ſummae perfectioni contrarium eſt, quae ad ſolum phaenomenon pertinent (anthropomorphismus ſenſu latiori) tollerentur, ſimulque omnes adſertiones contrariae atque oppoſitae, ſiue *atheiſtarum*, ſiue *theiſtarum*, ſiue *anthropomorphitarum*, remouerentur; quod in tractatione eiusmodi critica facillimum eſt, propterea quod eadem argumenta, quibus imbecillitas rationis humanae, reſpectu adſertionis exſiſtentiae eiuscemodi naturae, ob oculos ponitur, neceſſario quoque ſuppetunt, ad prauitatem cuiusque adſertionis contrariae euincendam. Etenim, vnde quispiam e contemplatione rationis pura intelliget, naturam ſummam, vtpote cauſam primam omnium, nullam eſſe, illiue nullam proprietatum earum competere, quas, quoad conſequentiam illarum, vt ſimiles perfectionum (realitatum) dynamicarum naturae cogitantis mente agitamus, aut, ſi hoc ſit, quoad omnes circumſcriptiones eſſe ſubiectas oportere, quas ſenſus intelligentiis, quas per experientiam nouimus, neceſſario imponit.

Quamobrem natura ſumma vſui mere contemplatiuo rationis ſolum manet, ſed *ab omni vitio vacuum ideale*, conceptusque vniuerſam cognitionem humanam finiens atque coronans, cuiusque realitas obiectiua in hac via non probari quidem poteſt, verum etiam haud conuelli, et ſi theologia moralis ſit, quae huncce defectum expleat, tum theologia transſcendentalis illa, ante duntaxat problematica, neceſſitatem ſuam euincit, determinando conceptu cenſuraque perpetua rationis per ſenſum ſaepenumero illuſae cumque ſuis propriis ideis haud ſemper conuenientis. Neceſſitas, infinitas, vnitas, exſiſtentia extramundana (non vt anima mundi), aeternitas, ſine legibus temporis, omnipraeſentia, ſine conditionibus ſpatii, omnipotentia, et quae ſunt caetera generis

eiusdem, in meris verſantur attributis transſcendentalibus, et proinde conceptus eorum depuratus, quo quaeque tantopere theologia opus habet, duci poteſt tantummodo e transſcendentali.

APPENDIX

ad dialecticam transſcendentalem de vſu idearum rationis purae regulatiuo.

Euentus periculorum omnium dialecticorum rationis purae non ſolum id confirmat, quod iam in analytica transſcendentali probauimus, ſcilicet omnes concluſiones noſtras vltra campum experientiae, quae poſſit eſſe, tendentes, fallaces eſſe ac vanas; verum etiam is praecipue nos edocet, rationem humanam naturali quodam *impetu* ferri ad iſtos terminos migrandos, ideas transſcendentales ei perinde eſſe naturales, atque intelligentiae ſunt categoriae, quamquam hoc quidem discrimine, vt, quemadmodum categoriis ducimur ad veritatem, id eſt, ad conuenientiam noſtrorum conceptuum cum re obiecta, ita ideis ſola illuſio, ſed cui reſiſti non poſſit, efficiatur, quae vix poteſt per criticam ſeueriſſimam arceri.

Vniuerſa, quae in natura virium noſtrarum fundata ſunt, cum conſilio vſuque illarum recto eſſe conſentanea debent, ſi modo errorem vitare poſſimus, propriamque earum directionem inuenire. Quocirca ideae transſcendentales ſine dubio vſum habebunt ſuum bonum, et proinde immanentem, quamquam, ſi ſignificatio illarum praue intelligatur, eaeque pro conceptibus accipiantur rerum in veritate apparentium, transſcendentes in applicatione eſſe poſſunt, ob eamque ipſam cauſam fallaces. Neque enim idea per ſe ipſa, ſed ſolus illius vſus aut ratione vniuerſae, quae eſſe poteſt, experientiae *transſcendens* eſſe poteſt, aut *immanens*, prout ea vel recta ad rem obiectam, quae illi putatur reſpondere, vel duntaxat ad vſum intelligen-

tiae vniuerſe, ratione obiectarum rerum, in quibus ea occupatur, dirigitur, omniaque ſubreptionis vitia ſemper defectui cuidam facultatis iudicandi attribuenda ſunt, numquam vero intelligentiae rationiue.

Ratio numquam directo ad rem quandam obiectam refertur, ſed tantummodo ad intelligentiam, eiusque ope ad vſum ſuum proprium empiricum, proinde nullos ea conceptus creat (rerum obiectarum), verum eos digerit et ordinat, iisque eam vnitatem impertit, quam habere poſſunt in extenſione ſua, quae poteſt eſſe, maxima, id eſt, in adfectione ad vniuerſitatem ſerierum, quippe quam intelligentia neutiquam reſpicit, ſed illam tantummodo coniunctionem, *qua* vbique conditionum *ſeries* e conceptibus conſtituuntur. Igitur rationi, tamquam materia, quam tractet, ſubiecta eſt intelligentia, eiusque inſtitutio conueniens, atque vti intelligentia varia in obiecta re coniungit conceptibus, ſic ratio ex ſua parte varietatem coniungit conceptuum ideis, cum certam quandam vnitatem collectiuam actionibus intelligentiae proponit, quae alioquin in vnitate diſtributiua occupantur.

Quamobrem adfirmo, ideas transſcendentales numquam gaudere vſu conſtitutiuo, ita, vt iis conceptus certarum rerum obiectarum proponantur, quae, ſi ſic intelligantur, in meris conceptibus verſantur argutantibus (dialecticis). Contra vſum habent egregium et ſumme neceſſarium, nempe, vt intelligentia ad certum quendam ſcopum iis dirigatur, cuius reſpectu lineae directionis omnium regularum illius in vno puncto concurrunt, quod, quamuis tantummodo in idea (foco imaginario) verſetur, id in puncto quodam, vnde conceptus intelligentiae reapſe haud proficiſcuntur, propterea quod illud prorſus extra terminos ſitum eſt experientiae, quae poteſt eſſe, id tamen agit, vt iis praeter maximam dilatationem maxima vnitas impertiatur. Iam nobis quidem inde illuſio oritur, quaſi hae directionis lineae ab ipſa quadam re obiecta, extra campum ſita experientiae, quae poteſt eſſe empirice, forent excluſae (velut res ob-

ieƈtae pone ſpeculum conſpiciuntur), verum haec illuſio (quae, quominus ea fallamur, non poteſt impediri), nihilominus ſumme neceſſaria eſt, ſi praeter res obieƈtas, nobis ob oculos verſantes, et eas quoque ſimul conſpicere volumus, quae procul inde nobis poſt tergum iacent, id eſt, ſi, in noſtra cauſa, intelligentiam vltra quamque datam experientiam (partem vniuerſae, quae poteſt eſſe, experientiae), proinde quoque ad dilatationem, quae eſſe poteſt, maximam, ſummamque velimus inſtituere.

Quodſi cognitiones intelligentiae noſtras in tota compage perluſtremus, inueniemus, illud, quod ratio prorſus peculiariter de eo conſtituit ac perficere conatur, in *ſyſtematica* cognitionis ratione verſari, id eſt, in eius contextu e quodam principio. Hac vnitate rationis ſemper idea quaedam ponitur, nempe idea formae cuiusdam totius cognitionis, determinatam cognitionem partium antegreſſi conditionesque in ſe cohibentis, cuique parti locum ad caeterasque adfeƈtionem ſuam ex anticipatione adſignandi. Quocirca haec idea plenam vnitatem poſtulat cognitionis intelligentiae, qua haec non ſola congregatio fortuita, verum ſyſtema efficitur e legibus neceſſariis contextum. Ac proprie quidem dici non poteſt, hanc ideam in conceptu cerni obieƈtae rei, ſed vnitatis horum conceptuum perpetuae, quatenus illa intelligentiae pro regula videatur. Eiusmodi conceptus rationis non hauriuntur ex natura, potiusque naturam de iſtis ideis percontamur, noſtramque cognitionem mancam putamus, quamdiu illa haud iis conſentanea videatur. Conceditur: haud facile puram terram, puram aquam, purum aërem, et ſic porro, inueniri. Nihilominus conceptibus earum rerum opus habemus (qui proinde, quod plenam puritatem attinet, tantummodo originem in ratione habent), vt partem, quam quaeque illarum cauſarum phyſicarum habet in phaenomeno, rite determinemus, atque ita omnes materiae reducuntur ad terras (quaſi ſolum onus), ſalia resque inflammabiles (tamquam vim), tandem ad aquam atque aëra, vt vehi-

cula (veluti machinas, quarum ope illae agunt), vt ex idea cuiusdam mechaniſmi effecta materiarum inuicem chemica explicentur. Etenim, quamquam re ipſa haud ſic loquimur, tamen eiusmodi vis contagioque naturae in partitionibus phyſicorum facile poteſt aperiri.

Si ratio facultate continetur, ſingulare ex vniuerſali deriuandi, vniuerſale aut iam per ſe certum eſt datumque, ac tum duntaxat opus eſt *facultate iudicandi* ad adſumtionem, eoque ſingulare neceſſario determinatur. Atque hoc vſum rationis apodicticum vocabo. Aut vniverſale tantummodo ſumitur problematice, in ideaque ſola verſatur, ſingulare quidem certum eſt, ſed vniuerſalitas regulae ad hanc conſequentiam adhuc in problemate cernitur; ſic plures caſus ſingulares, vniuerſe certi, ad regulam examinantur, an inde fluant, ac tum, cum omnes, qui recenſeri poſſunt, caſus ſingulares inde promanant, ad vniuerſalitatem regulae, ex hac autem deinde ad vniuerſos caſus, qui etiam per ſe dati haud ſunt, concluditur. Hunc vſum appellabo rationis hypotheticum.

Vſus rationis hypotheticus ex ideis fundamento poſitis, vt conceptibus problematicis, proprie haud eſt *conſtitutiuus*, nimirum non ita comparatus, vt eo, ſi ſeuere iudices, veritas regulae vniuerſalis, pro hypotheſi accepta, conſequatur; qui enim vniuerſa, quae eſſe poſſunt, conſequentia ſcire poteris, quae, propterea quod ex eodem decreto ſumto efficiuntur, vniuerſalitatem eius arguant? Verum tantummodo regulatiuus eſt, vt, quoad eius fieri poſſit, vnitas ſingularibus notitiis impertiatur, eoque regula vniuerſalitati propius accedat.

Itaque vſus rationis hypotheticus vnitatem ſpectat ſyſtematicam cognitionum intelligentiae, haec vero eſt *lapis Lydius veritatis* regularum. Rurſus retro vnitas ſyſtematica (vt mera idea) tantummodo vnitas eſt cogitatione efficta, quae per ſe non vti data, ſed duntaxat vt problema debet conſiderari; quae vero hanc vtilitatem habet, vt principium inueniatur varii ſingularisque vſus

intelligentiae, eaque eo ratione caſuum haud datorum ducatur, contextusque ac nexus ei impertiatur.

Ex quo tantummodo intelligitur, vnitatem ſyſtematicam ſiue rationalem variae cognitionis intelligentiae in principio *logico* verſari, vt intelligentia, vbi ſola ad regulas non ſufficit, ibi ex ideis adiuuetur, ſimulque diverſitati regularum illius ex principio quodam concentus (ſyſtematicus, eoque contextus, quantum fieri poſſit) impertiatur. Vtrum autem rerum obiectarum natura, an intelligentiae, eas vt tales cognoſcentis, per ſe ſit ad vnitatem ſyſtematicam deſtinata, atque an haec ex anticipatione, nullo reſpectu habito inuitamenti eiusmodi rationis quodammodo poſtulari poſſit, ideoque dici: vniverſae, quae eſſe poſſunt, notitiae intelligentiae (in quibus empiricae) vnitatem rationis habere, principiisque ſubeſſe communibus, ex quibus, quamuis maxime diuerſae, poſſint deriuari; illud decretum rationis foret transſcendentale, quo vnitas ſyſtematica non ſolum ſubiectiue ac logice, vt via ratioque, verum etiam obiectiue neceſſaria efficeretur.

Id quod exemplo illuſtrabimus vſus rationis. In variis vnitatis generibus e conceptibus intelligentiae et vnitas eſt cauſalitatis ſubſtantiae, quae vis appellatur. Varia eiusdem ſubſtantiae phaenomena primo quaſi adſpectu tantam diſſimilitudinem oſtendunt, vt inde primo oporteat fere tam varias vires illius ſumi, quam effecta ſe oſtendunt, veluti in mente humana ſenſus, conſcientia, phantaſia, recordatio, ingenium, vis diſcernendi, ſtudium, cupiditas, et quae ſunt de genere eodem. Primo ratio quaedam logica hanc diuerſitatem putatitiam, quantum fieri poſſit, praecipit imminuendam, vt comparatione identitatem abſconditam aperiamus, videamusque, anne phantaſia, coniuncta cum conſcientia, recordatio, ingenium, vis diſcernendi, fortaſſe ipſa intelligentia atque ratio videatur. Idea vis virtutisque primae ſiue conſtitutiuae, quam vero logica neutiquam, an vere ſit, oſtendit, certe verſatur in problemate repraeſentationis ſyſtematicae varietatis virium. Principium

rationis logicum eam vnitatem poſtulat, quoad eius fieri poſſit, conſtituendam, et quo magis phaenomena vnius alteriusue virtutis in ſe inuicem eadem deprehenduntur, eo erit probabilius, ea nil eſſe, niſi effectionem vnius eiusdemque virtutis, quae (comparate) poteſt *vis* eorum *prima* nominari. Sic etiam agitur cum reliquis.

Vires primae comparatiuae viciſſim ſunt inter ſe comparandae, vt eo, quod concentus earum aperitur, vni cuidam radicali, id eſt, abſolutae vi conſtitutiuae, appropinquentur. Verum haec vnitas rationis duntaxat hypothetica eſt. Non dicimus, talem reapſe inueniri oportere, ſed, in gratiam rationis, nempe ad certa quaedam conſtituenda principia, variis, quae experientia forte ſuppeditet, regulis, quaeri debere, et, vbi fieri poſſit, hoc modo cognitioni vnitatem ſyſtematicam impertiri.

Cum autem ad vſum intelligentiae transſcendentalem animum aduertimus, videmus, hanc ideam virtutis primae vniuerſe, non vt ſolum problema ad vſum eſſe hypotheticum deſtinatam, ſed realitatem obiectiuam praetendere, qua vnitas ſyſtematica variarum ſubſtantiae virium poſtuletur, principiumque rationis apodicticum conſtituatur. Nam, ne tentato quidem variarum virium concentu, atque adeo periculis eius inueniendi male ſuccedentibus, tamen ſumimus: talem inuentum iri idque non ſolum in cauſa modo allata, propter vnitatem ſubſtantiae, verum, vbi adeo multae, quamquam certo quodam gradu ſimiles, deprehenduntur, vti omnino in materia, ratio vnitatem ponit ſyſtematicam virium variarum, cum leges phyſicae ſpeciales ſubſint generalioribus, neque ſolum decretum rationis oeconomicum, vt parcatur principiis, verum etiam lex naturae interna videatur.

Ac ſane vero non poteſt intelligi, quomodo principium aliquod vnitatis rationis in regulis queat locum habere, niſi ſumatur transſcendentale quoddam, quo talis vnitas ſyſtematica, tamquam ipſis obiectis rebus ad-

haerens, ex anticipatione vt neceſſaria ponatur. Quo enim iure ratio poteſt in vſu logico poſtulare, vt virium varietas, quas natura nobis proponit cognoſcendas, tamquam vnitas duntaxat abſcondita tractetur, eaque e quapiam vi prima, quantum quidem in ea ſit, deriuetur, ſi illi liberum foret concedere, pariter fieri poſſe, vt vniverſae vires ſint diſſimiles, neque vnitas ſyſtematica deriuationis illarum, naturae conſentanea videatur? Tum enim contra ipſam naturam ſuam ageret, propterea quod ideam ſibi ſcopum proponeret, conſtitutioni naturae rerum prorſus contrariam. Nec vero dici poterit, eam antea a ratione naturae fortuita hanc vnitatem ex principiis rationis depromſiſſe. Nam lex rationis eius quaerendae neceſſaria eſt, quoniam ſine illa nullam omnino rationem, ſine hac autem nullum vſum intelligentiae continuum, et hoc deficiente nullam notam veri empirici idoneam haberemus, proinde ratione huius vnitas naturae ſyſtematica prorſus vt obiectiue valens ac neceſſaria ſumi oporteret.

Quam quidem ſumtionem transſcendentalem mire quoque in philoſophorum decretis abſconditam videmus, quamquam eam in illis non ſemper agnouerunt, aut ſibi ipſi faſſi videntur. Omnes ſingularum rerum varietates identitatem generis haud excludere; varias ſpecies tantummodo vt varias paucorum generum determinationes, haec autem altiorum generum oportere tractari; proinde certam quandam vnitatem ſyſtematicam omnium, qui poſſunt eſſe, conceptuum empiricorum, quatenus ab altioribus poſſunt et generalioribus deriuari, quaeri debere; regula ſcholarum eſt, ſiue principium logicum, ſine quo nullus rationis vſus locum haberet, ſi quidem a generali ad ſpeciale tantummodo concludi poteſt, quatenus generales rerum proprietates fundamento ponuntur, quibus ſubſint ſpeciales.

Verum in natura quoque talem concentum inueniri ponunt philoſophi notiſſima illa ſcholarum regula: principia (entia) non eſſe praeter neceſſitatem multiplicanda. Quo quidem enunciatur: naturam rerum ip-

ſam vnitati rationis materiam praebere, neque nos putatitia illa diuerſitate infinita debere prohiberi, quo minus vnitatem in ea ſuſpicemur proprietatum primarum ſiue conſtitutiuarum, a quibus varietas poteſt duntaxat per maiorem determinationem deriuari. Hanc vnitatem, quamuis in mera idea verſetur, omni tempore tam ſtudioſe ſectati ſunt, vt potius cauſam nacti fuerint, quare cupiditatem illius temperarent, quam excitarent. Iam permultum fuit, vt chemici vniuerſa ſalia poſſent ad duo genera primaria, et acida, et alcalia, reducere, atque adeo tentarunt, etiam hocce diſcrimen vt ſolam varietatem, vel diuerſam affectionem vnius eiusdemque materiae conſtitutiuae conſiderare. Varias terrae ſpecies (materiam lapidum, atque etiam metallorum) paullatim ad tres, tandem ad duas conati ſunt reducere; verum his haud contenti, ſibi non poſſunt temperare, quin ſub hiſce varietatibus nihilominus vnum genus, quid? quod harum ſaliumque aliquod principium commune ſuſpicentur. Fortaſſe credideris, hoc eſſe ſolum rationis compendium oeconomicum, vt, quantum fieri poſſit, ſibi laborem minuat, periculumque hypotheticum, quod, ſi ſuccedat, ſumtae explicationis rationi hac ipſa vnitate probabilitatem conciliet. Verum eiusmodi conſilium ad propriam vtilitatem accommodatum facile poteſt ab idea diſcerni, qua quisque ponit, hanc vnitatem rationis ipſi naturae eſſe conſentaneam, rationemque hic non mendicari, ſed imperare, quamquam ita, vt terminos nequeat huius vnitatis determinare.

Si phaenomenorum, quae nobis ſeſe offerunt, tanta eſſet diuerſitas, ne dicam quoad formam (quippe in qua ſui inuicem eſſe ſimiles videntur), ſed quoad materiam, id eſt, varietatem naturarum exſtantium, vt vel acutiſſima humana intelligentia vna cum altera comparata ne minimam quidem ſimilitudinem in iis poſſit deprehendere (quod euenire, ſane poteſt cogitari), lex generum logica nullum prorſus locum inueniret, et vel nullus conceptus generis, aut vſpiam concept[illegible] vniuerſalis aliquis, quid? quod nulla intelligentia loc[illegible] haberet,

quippe quae tantummodo in iis occupatur. Ergo principium generum logicum ponit transſcendentale, ſi ad naturam (quae hoc loco in rebus obiectis verſatur, quae nobis proponuntur) adhiberi debeat. Ex eo in variis, quae eſſe poteſt, experientiae neceſſario ſimilitudo ſumitur (quamquam gradum eius non poſſumus ex anticipatione determinare), quoniam ſine illa nulli eſſe poſſent conceptus empirici, proinde experientia nulla.

Principio logico generum, identitatem poſtulanti, contrarium eſt aliud, nempe ſpecierum, quod varietate et diuerſitate rerum, quantumuis ſub eodem genere concinentium, opus habet, intelligentiaeque praecipit, vt ad vtramque rationem aeque attendat. Hoc principio (aciei, ſiue facultatis diſcernendi), leuitas prioris (ingenii) admodum coërcetur, ratioque duplex inuicem repugnans inuitamentum oſtendit, partim inuitamentum *compagis* (vniuerſalitatis) ratione generum, partim etiam *materiae* (rationis determinatae), reſpectu varietatis formarum, ſi quidem intelligentia in priori caſu multa quidem ſub conceptibus ſuis cogitat, in poſteriori autem eo plura in iisdem. Iam vero hoc deprehenditur in diuerſo cogitandi modo phyſicorum, quorum nonnulli (praeſertim contemplatiui), diſſimilitudinis inimici, ſemper ſpectant generis vnitatem, alii (in primis ingenia empirica) naturam perpetuo in tantam diſpeſcunt varietatem, vt fere deſperandum ſit de phaenomenis illius ex principiis vniuerſalibus diiudicandis.

Atque huic poſteriori cogitandi modo, manifeſtum eſt, fundamento ſubeſſe principium logicum, cui perfectio notitiarum omnium propoſita eſt, ſi, a genere inſtituens, ad varia illo contenta, deſcendo, atque hoc modo ſyſtemati amplificationem, quemadmodum priori caſu, ad genus adſcendens, ſimplicitatem impertire conor. Namque e ſphaera conceptus, genus quoddam deſignantis, aeque minus, atque e ſpatio, quod poteſt materia occupare, intelligi poterit, quousque fieri queat illius diuiſio. Idcirco quodque *genus* diuerſas *ſpecies*, haec autem varias *ſpecies ſubalternas* requirit, et, cum

harum poſteriorum nulla locum habeat, quin ea viciſſim ſphaeram (compagem vt conceptus communis) habeat, ratio in vniuerſa amplificatione ſua poſtulat, vt nulla ſpecies vt infima per ſe ipſa conſideretur, ſi quidem, cum ea in conceptu verſetur, ea tantummodo in ſe continente, quae rebus ſunt diuerſis communia, hic non perpetuo determinatus, proinde quoque haud proxime ad ſingulum quoddam (indiuiduum) eſſe relatus poſſit, ergo ſemper alios in ſe conceptus, id eſt, ſpecies ſubalternas, debeat cohibere. Atque haec lex, quam dicamus, ſpecificationis ita poterit exprimi: entium varietates non temere eſſe minuendas.

Sed facile intelligitur, etiam hanc legem logicam ſenſu omni vſuque carituram fore, niſi lex quaedam transſcendentalis *ſpecificationis* fundamento eſſet, quae ſane quidem haud rerum, quae nobis eſſe obiectae poſſunt, *infinitatem* veram poſtulat ratione diuerſitatum; ei enim rei nullam anſam praebet principium logicum, quippe quod *tantummodo rationem indeterminatam* ſphaerae logicae tuetur reſpectu, quae poteſt eſſe, diuiſionis; nihilominus tamen intelligentiae praecipit, vt in quaque ſpecie, nobis obuia, ſubſpecies, atque in quaque diuerſitate diuerſitates minores quaerantur. Quodſi enim nulli eſſent conceptus inferiores, nulli quoque altiores forent. Atqui intelligentia cognoſcit vniuerſa tantummodo ex conceptibus: ergo, quousque ea pertinet in diuidendo, numquam ex ſola viſione, ſed fere rurſus e conceptibus inferioribus. Cognitio phaenomenorum in determinatione illorum perpetua (quae fieri duntaxat per intelligentiam poteſt) ſpecificationem ſuorum conceptuum poſtulat perpetuo continuandam, progreſſumque ad diuerſitates ſemper adhuc manentes, a quibus in conceptu formae, et magis quoque generis, nos continuimus.

Iam haec lex ſpecificationis non poteſt ab experientia depromta eſſe; quippe quae non poteſt, quae tam late pateant, inſtitutiones largiri. Specificatio empirica in diſcernenda varietate mox ſubſiſtit, niſi lege ſpe-

cificationis iam antegreſſa, vt principio rationis, ducta fuerit ad eam quaerendam, eamque ſemper ſuſpicandam, etiamſi illa ſe ſenſibus haud aperiat. Terras abſorbentes diuerſae formae (calcem terramque muriaticam) eſſe, vt aperiretur, opus erat regula rationis quadam praeueniente, quae intelligentiae, vt diuerſitatem quaereret, proponebat, propterea quod natura tam large ſumeret, eam ſuſpicandam. Namque pariter intelligentia gaudemus ſumtis duntaxat diuerſitatibus in natura rerum, atque ſub conditione, res ipſi ſubiectas ſimilitudinem in ſe habere, ſi quidem ipſa varietate eorum, quae poſſunt conceptu quodam comprehendi, vſus huiusce conceptus, occupatioque intelligentiae efficitur.

Quamobrem ratio intelligentiae campum parat, 1) principio ſimilitudinis variorum ſub generibus altioribus, 2) decreto *varietatis* ſimilium ſub formis inferioribus; atque, vt vnitas ſyſtematica abſoluatur, addit ea 3) praeterea legem *adfinitatis* omnium conceptuum, quae tranſitum continuum a quaque ſpecie ad quamque aliam praecipit per creſcendi acceſſionem diuerſitatis certis quaſi gradibus. Ea dici poterunt principia *homogeneitatis* ſiue ſimilitudinis, *ſpecificationis* et *continuitatis* formarum. Hoc vltimum coniunctis duobus primis oritur, abſoluto in idea contextu ſyſtematico, cum in adſcenſu ad genera altiora, tum in deſcenſu ad ſpecies inferiores; tum enim vniuerſae varietates inuicem adfinitate tenentur, ſi quidem cunctae per omnes determinationis dilatatae gradus ab vno quodam genere ſummo oriuntur.

Vnitas ſyſtematica in tribus principiis logicis hoc modo vocari ſub ſenſum poteſt. Quippe quisque conceptus poteſt tamquam quoddam punctum conſiderari, cui, vtpote ſpectatoris loco, ſuus eſt orbis finiens, id eſt, copia rerum, quae ex eo poſſunt repraeſentari quaſique perluſtrari. Intra hunc orbem finientem copiam punctorum, neceſſe eſt, poſſe in infinitum indicari, quocum ſuum quodque rurſum anguſtiorem orbem finientem habeat; hoc eſt, quaque ſpecie continentur ſubſpecies, ex principio ſpecificationis, et orbis finiens logicus cer-

nitur duntaxat in orbibus finientibus minoribus (ſubſpeciebus), non vero in punctis, quae nullam compagem habent (in indiuiduis). Sed diuerſorum orbium finientium, h. e. generum, qui ex totidem conceptibus determinantur, communis quidam orbis finiens, vnde, tamquam e puncto quodam medio, cuncti perſpiciuntur, ductus poteſt cogitari, qui in genere altiori verſatur, donec tandem genus ſummum vniuerſalis ille ac verus orbis finiens videatur, qui e ſtatione determinatur conceptus ſummi, vniuerſamque varietatem, tamquam genera, ſpecies et ſubſpecies complectitur.

Ad ſummam ſtationem illam lege ducor ſimilitudinis (homogeneitatis), ad vniuerſa inferiora eorumque varietatem ſummam lege ſpecificationis. Cum autem hoc modo in tota omnium, qui poſſunt eſſe, conceptuum compage, nihil inane ſit, extraque illam nihil poſſit deprehendi, e ſumtione illius vniuerſalis orbis finientis, perpetuaque eius diuiſione decretum emergit hocce: non eſt vacuum formarum, id eſt, nulla ſunt diverſa genera originaria et prima, quae quaſi ſolitaria et ab ſe inuicem (interuallo vacuo) diſiuncta ſint, verum vniuerſa genera varia tantummodo in diuiſionibus verſantur vnius cuiusdam generis ſummi atque vniuerſalis; atque ex hoc decreto, cuius conſequentia proxima: eſt continuum formarum, hoc eſt, omnes diuerſitates formarum ſibi inuicem finitimae ſunt, neque tranſitum per ſaltum permittunt, verum duntaxat per omnes diſcriminis gradus minores, quibus ab vna poſſit ad alteram perveniri; verbo, nullae ſunt ſpecies aut ſubſpecies, quae ſibi inuicem (in conceptu rationis) ſint proximae, ſed ſemper eſſe poſſunt ſpecies intermediae, quarum diſcrimen a prima ad alteram minus ſit, quam harum diſcrimen a ſe inuicem.

Prima igitur lege ab euagatione cauetur in varietatem diuerſorum generum originariorum, ſimilitudoque (homogeneitas) commendatur; altera e contrario haec ad concentum propenſio rurſus circumſcribitur, diſtinctioque praecipitur formarum ſubiectarum (ſubſpecie-

rum), antequam cum conceptu noſtro vniuerſali nosmet conuertamus ad ſingula (indiuidua). Tertia illae ambae coniunguntur, ſi quidem in ſumma varietate tamen ſimilitudinem ex tranſitu quaſi per gradus ab vna ſpecie ad alteram praecipit, id quod ſpeciem quandam adfinitatis indicat frondium diuerſ. rum, atenus vniuerſae ſunt ex ſtirpe enatae.

Verum hac lege logica continui ſpecierum (formarum logicarum) ponitur transſcendentalis (lex continui in natura), ſine qua vſus intelligentiae praecepto illo ad errorem duceretur, ſi quidem ea fortaſſe viam inſtitueret recta naturae contrariam. Itaque neceſſe eſt, hanc legem rationibus niti puris transſcendentalibus, non empiricis. Namque in poſteriore cauſa ferius, quam ſyſtemata, veniret; verum ea rationem ſyſtematicam cognitionis naturae primum generauit. Neque ſub hiſce fere legibus fines latent examinis illarum, vtpote merorum tentaminum, inſtituendi, quamquam ſane in hocce contextu, vbi accidit, ratio permagna ineſt, . nitatem hypothetice excogitatam veram putandi, atque ita hoc quoque reſpectu vtiles ſunt, verum eas, perſpicuum eſt, cauſarum primarum parſimoniam, varietatem effectorum, indeque profectam adfinitatem articulorum naturae per ipſius rationi conſentaneam, naturaeque convenientem iudicare, eaque proinde decreta directe, neque ſolum vt compendium viae, commendationem ſui in ſe habere.

Sed facile intelligitur, hanc continuitatem formarum in mera idea verſari, cui quae congruat res obiecta nullo modo poſſit per experientiam oſtendi, non ſolum propterea, quod ſpecies vere ſunt in natura rerum diuiſae, proinde eas, neceſſe eſt, quantum diſcretum conſtituere, et ſi, qui quaſi per gradus fit, progreſſus in adfinitate illarum continua foret, ea etiam veram articulorum intermediorum infinitatem continere oportere, intra duas datas ſpecies interiectorum, id quod non poteſt eſſe; verum etiam, quoniam eius legis nullus nobis vſus eſſe determinatus poteſt empiricus, ſi quidem illa ne mi-

nima quidem adfinitatis nota indicatur, ex qua et quousque ſucceſſionem graduum diuerſitatis earum quaerere debeamus, ſed nil quidquam amplius, niſi generale quoddam indicium, nobis eam eſſe anquirendam.

Si principia modo laudata ſecundum ordinem transloceraus, vt ea *vſui empirico* conuenienter ponamus, principia *vnitatis* ſyſtematicae ita fere ſtatuta forent: *varietas*, *adfinitas* atque *vnitas*, ſed quaque illarum, vt idea in ſummo gradu perfectionis ſumta. Ratio cognitiones intelligentiae ſumit, quae proxime ad experientiam adhibentur, earumque vnitatem quaerit ex ideis, quae multo latius patet, quam quo experientia poſſit pertinere. Adfinitas varietatis, ſalua diuerſitate ſua, ſub principio vnitatis quodam, non ſolum res ſpectat, ſed multo magis praeterea ſolas rerum proprietates et vires. Quamobrem, ſi nobis exempli gratia per experientiam (nondum plene certam) iter planetarum datum ſit vt orbiculare, et nos inueniamus diuerſitates, eas ſuſpicamur in eo, quod orbem poteſt ex lege quadam perpetua per omnes infinitos gradus intermedios, ad vnum illorum circuituum deuergentium immutare, id eſt, motus planetarum, quae non in orbibus verſantur, eius proprietatibus fere plus minusue appropinquabunt, caduntque in ellipſin. Maiorem quoque viarum diuerſitatem indicant, cum (quantum obſeruatum ſit) ne quidem in orbe reuertantur; verum iter diuinamus parabolicum, quod tamen adfine eſt ellipſi, et, cum axis longa huiusce poſterioris longiſſime protenditur, in omnibus illius obſeruationibus noſtris non poteſt diſcerni. Atque ita, ducibus principiis illis ad vnitatem peruenimus generum harum viarum in figura earum, eo autem vlterius ad vnitatem cauſae omnium legum motus illarum (grauitationem), vnde poſtea occupationes noſtras extendimus, atque etiam omnes varietates aberrationesque ab illis regulis putatitias ex eodem principio explanare conamur, tandem adeo plus addimus, quam vmquam poteſt experientia confirmare, nempe ex ipſis adfinitatis regulis vias cometarum hyperbolicas mente con-

cipimus, in quibus haec corpora noſtrum prorſus ſolarem mundum relinquant, atque, a ſole ad ſolem pergentia, remotiores partes nobis infiniti ſyſtematis mundi, vna eademque vi motrice cohaerentis, in curſu ſuo coniungant.

Quod in hiſce principiis notatu dignum eſt, quoque ſolo occupamur, hoc eſt: ea ſpeciem habere transſcendentalium, quae, quamquam merae ideae illis continentur, ad vſum rationis empiricum exercendum, qui eas duntaxat ἀσυμπτωτικῶς poteſt, id eſt, tantummodo appropinquando ſequi, ita vt numquam ad eas pertineat, tamen, vt enunciationes ſyntheticas ex anticipatione, obiectiuum quidem, ſed indeterminatum valorem habere, et eſſe pro regula, quae poſſit eſſe, experientiae, etiam reapſe in ea tractanda, vt decreta heuriſtica, bono ſucceſſu vſurpari, ita tamen, vt deductio illorum nequeat transſcendentalis effici, quod, vt ſupra docuimus, ratione idearum ſemper fieri non poteſt.

In analytica transſcendentali in decretis intelligentiae *dynamica*, vt principia *viſionis* mere regulatiua, diſtinximus a *mathematicis*, ratione poſteriorum *conſtitutivis*. Nihilominus leges illae dynamicae ſane ſunt conſtitutiuae ratione *experientiae*, propterea quod iis efficitur, vt *conceptus*, ſine quibus nulla experientia locum habet, ex anticipatione eſſe poſſint. Contra principia rationis purae ne ratione quidem empiricorum conceptuum poſſunt conſtitutiua eſſe, ſi quidem, iis quod reſpondeat, dari nullum poteſt ſchema facultatis ſenſitivae, iisque proinde nulla res eſſe obiecta poteſt in ſingulo (concreto). Si igitur a tali vſu illorum empirico, vt decretorum conſtitutiuorum, recedam, quomodo vllum, illi valorem obiectiuum potero tribuere, et, quam vim poteſtatemque ille poterit habere?

Intelligentia rationi proinde ſubiecta eſt, atque intelligentiae facultas ſenſitiua. Vt vnitati omnium, quae eſſe poſſunt, actionum intelligentiae empiricarum ratio ſyſtematica impertiatur, illud quidem munus rationis

eſt, quemadmodum intelligentia varietatem phaenomenorum coniungit conceptibus, legibusque empiricis ſubiicit. Sed actiones intelligentiae, ſine ſchematibus facultatis ſenſitiuae, ſunt *indeterminatae;* pariter rationis vnitas quoque rationes conditionum, ſub quibus, gradusque, quo vsque, intelligentia ſuos conceptus debeat ſyſtematice coniungere, per ſe ipſa *indeterminata* videtur. Verum, quamuis perpetuae vnitati ſyſtematicae nullum in *viſione* queat ſchema inueniri, tamen aliquod eiusmodi ſchematis *analogon* et poteſt dari et debet, quod in idea cernitur *maximi* diuidendae coniungendaeque cognitionis intellectualis in quodam principio. Namque maximum et abſolute perfectum determinate cogitari poteſt, quoniam vniuerſae, vnde varietas indeterminata proficiſcitur, conditiones adſtringentes praetermittuntur. Ergo idea rationis poſita eſt in analogo quodam ſchematis facultatis ſenſitiuae, hoc tamen discrimine, vt vſus conceptuum intelligentiae ad ſchema rationis non perinde in cognitione ipſius oblatae rei verſetur (atque in categoriis ad earum ſchemata ſenſitiua adhibendis), ſed duntaxat in regula quadam principioue vnitatis ſyſtematicae vſus rationis vniuerſi. Itaque cum quodque decretum, quod perpetuam vnitatem vſus ex anticipatione conſtituit intelligentiae, itidem, quamquam duntaxat indirecte, valeat de re experientiae propoſita: decreta rationis purae etiam reſpectu huiusce poſterioris realitatem obiectiuam habebunt, verum non vt in iis aliquid determinetur, ſed tantummodo vt modus aperiatur, quo vſus intelligentiae empiricus et determinatus in experientia ſecum ipſe poſſit perpetuo conſentaneus reddi, eo quidem, vt cum principio vnitatis perpetuae, quantum fieri poſſit, illius contextus fiat, isque inde deriuetur.

Vniuerſa decreta ſubiectiua, non ab natura rei obiectae, ſed ab inuitamento rationis, reſpectu cuiusquam, quae eſſe poteſt, perfectionis cognitionis huius obiectae rei, deprompta, normas rationis dico. Sic ſunt deſideria rationis contemplatiuae, quae tantummodo inuitamento

illius contemplatiuo nituntur, quamuis ea videri poſſit in principiis obiectiuis verſari.

Decreta regulatiua pro conſtitutiuis ſumta, poſſunt vt principia obiectiua pugnare; cum vero vt merae normae ſpectantur, tum nulla vera pugna eſt, ſed diuerſum tantummodo rationis inuitamentum, quod cauſa diſſenſionis eſt. Reapſe vnum duntaxat inuitamentum rationi eſt, pugnaque normarum illius tantummodo in diverſitate et circumſcriptione viarum mutua verſatur, invitamento huic ſatisfaciendi.

Tali modo apud hunc argutatorem plus valet inuitamentum *varietatis* (ex principio ſpecificationis), ſed apud illum inuitamentum vnitatis praeſtat (ex principio *congregationis*). Quisque eorum ferre iudicium putat ex intellectu rei obiectae, quod tamen tantummodo poſitum eſt in maiori minorue adſtipulatione alterutrius decreti huius, quod neutrum rationibus nititur obiectiuis, verum in ſolo rationis inuitamento, quodque potius norma poteſt, quam principium vocari. Quando homines perſpicaces video de characteriſtice hominum, beſtiarum plantarumue, atque adeo corporum regni mineralis, cum alii exempli gratia ſingulares atque in ſtirpibus fundatas familiarum, formarum et id genus aliorum diuerſitates ſumunt, alii contra perhibent, naturam in ea re prorſus eadem initia habere, vniuerſumque diſcrimen poſitum eſſe duntaxat in rebus fortuitis externis, tum ſola rei obiectae natura conſideranda erit, vt comprehendam, illud vtrisque profundius abſconditum videri, quam vt ex perſpecta obiectae rei natura queant decernere. Neque enim eſt, niſi duplex illud rationis inuitamentum, pars vnum amplexatur, pars alterum, vel etiam adfectat, proinde in cauſa eſt diuerſitas normarum, aut varietatis phyſicae, aut vnitatis naturalis, quae commode poſſunt coniungi, ſed dum intellectus obiectiui putantur, non ſolum pugnis anſam praebent, verum etiam impedimentis, quae diu veritati officiunt, donec apertum fuerit remedium, quo inuitamentum illud pugnans concilietur, ratioque ea de re ſedetur tranquilleturque.

Pariter comparatum eſt cum adſertione aut oppugnatione notae illius, ab *Leibnitio* vſurpatae atque a Bonneto egregie exornatae legis ſcalae rerum creatarum continuae, quae non, niſi in ſeruando adfinitatis decreto cernitur, in inuitamento illo rationis conſtituto; neque enim obſeruatio illam intellectusque ac perſpicientia conſtitutionis naturae poterat miniſtrare. Gradus eiuscemodi ſcalae, quemadmodum poſſunt ab experientia doceri, rariores ſunt longiusque diſtantes ab ſe inuicem conſtituti, noſtraque parua illa diſcrimina putatitia plerumque tam latis in ipſa natura rerum hiatibus efficiuntur, quam vt talium obſeruationum (praeſertim in magna rerum varietate, vbi ſemper facile poterunt certae ſimilitudines quaedam atque appropinquationes reperiri), vtpote finium ſcopoſumque naturae haberi poſſe ratio videatur. Contra via, ex eiusmodi principio ordinem in natura rerum anquirendi, normaque, talem, quamquam indefinite, vbi aut quo vsque, in natura quadam vniuerſe vt fundatum conſiderandi, ſane quidem legitimum eſt egregiumque rationis principium regulatiuum; quod quidem, vt tale, latius patet, quam vt experientia aut obſeruatio eam poſſit adſequi, ita tamen vt ne quidquam determinetur, ſed vt tantummodo illi via ad vnitatem ſyſtematicam praeſcribatur.

De fine vltimo dialecticae naturalis rationis humanae.

Ideae rationis purae numquam poſſunt per ſe ipſae dialecticae eſſe, ſed ſolo illarum vſu effici, neceſſe eſt, vt nobis ex iis fallax quaedam ſpecies naſcatur; illae enim nobis per naturam rationis noſtrae propoſitae ſunt, atque hocce ſupremo foro omnium et iurium et petitionum contemplationis noſtrae, fieri non poteſt, vt illuſiones originariae praeſtigiaeque contineantur. Proinde illae bene atque e conſilio in initiis rationis noſtrae naturalibus erunt deſtinatae. Verum plebs hominum argutantium, vt fieri ſolet, abſurditatem crepat et repugnantias, vituperatque regimen, cuius intima non poteſt conſilia penetrare, cuiusque contagioni benignae, ſuam

ipſius conſeruationem acceptum ferre, atque adeo culturam, deberet, qua fit, vt illud vituperare queat et condemnare.

Nullus eſſe certus vſus poteſt conceptus cuiusdam ex anticipatione, niſi confecta prius abſolutaque deductione illius transſcendentali. Ideae rationis purae nullam quidem eiusmodi deductionem concedunt, vti categoriae; verum ſi illis eſſe vel minimus, etiamſi indeterminatus, obiectiuus valor debet, iisque haud ſolum inanes ſola cogitatione efformatae res (entia rationis ratiocinantis) repraeſentari, neceſſario, oportebit, vt earum eſſe poſſit deductio, vt maxime quoque ab ea aberraret, quae poteſt inſtitui in categoriis. Atque in eo cernitur abſolutio negotii critici rationis purae, quod nunc adgrediemur.

Permultum intereſt, vtrum rationi meae quiddam ſit vt res obiecta *ſimpliciter* propoſitum, an duntaxat qua res obiecta quaedam in idea. In illo caſu id agunt conceptus mei, vt iis obiecta res determinetur; ſed in poſteriori re ipſa tantum ſchema eſt, cui directe nulla res obiecta, ne hypothetice quidem, conceditur, verum quod tantum propterea adeſt, vt res obiectae aliae ope relationis ad hanc ideam, ex vnitate eius ſyſtematica, proinde indirecte, cogitentur. Sic dico, conceptus intelligentiae cuiusdam ſummae in mera idea verſatur, id eſt, realitas obiectiua illius non debet eo contineri, vt directe ad rem quampiam obiectam referatur (ſi quidem in tali ſignificatione eius valor obiectiuus non poſſet defendi), ſed tantummodo poſitus eſt in ſchemate quodam ad conditiones maximae vnitatis rationis ordinato, de conceptu cuiusdam rei vniuerſe, quod hunc tantum vſum praeſtat, vt maximam vnitatem ſyſtematicam in vſu rationis noſtrae empirico conſeruemus, dum rem experientiae obnoxiam quaſi a putatitiis rebus huic ideae ſubiectis, tamquam ratione eius, cauſaue, deriuamus. Tunc exempli cauſa dicimus, res mundanae debent conſiderari, ac ſi exſiſtentiam habeant a quadam intelligentia ſumma. Tali modo idea proprie duntaxat cernitur in

conceptu heuriſtico, non vero oſtenſiuo, atque indicat, non quomodo res obiecta quaedam comparata ſit, ſed quomodo nos duce illo naturam coniunctionemque rerum experientiae propoſitarum vniuerſe quaerere debeamus. Quodſi igitur doceri poteſt, quamuis tres illae ideae transſcendentales (pſychologica, coſmologica, et theologica) directe haud queant ad vllam, quae iis reſpondeat, obiectam rem eiusque determinationem referri, tamen vniuerſas regulas vſus rationis empirici ſumta eiusmodi re obiecta in idea ad vnitatem ſyſtematicam ducere, cognitionemque empiricam ſemper dilatare, numquam autem ei aduerſari poſſe: neceſſaria rationis norma erit, vt ſecundum ideas eiusmodi agamus. In quo quidem deductio cernitur transſcendentalis omnium idearum rationis contemplatiuae, non vt principiorum *conſtitutiuorum* cognitionis noſtrae ad plures res dilatandae, quam poſſunt per experientiam proponi, verum vt principiorum regulatiuorum vnitatis ſyſtematicae variorum cognitionis empiricae in vniuerſum, quae eo intra ſuos fines proprios magis accolitur et corrigitur, quam ſine ideis eiusmodi per ſolum vſum decretorum intelligentiae fieri poſſet.

Id quod vberius explicabo. Ac *primo* quidem ex hiſce ideis tamquam principiis (in pſychologia) vniuerſa viſa, actiones, vimque animi noſtri recipientem ad filum ducem experientiae internae ita coniungemus, ac ſi animus in ſimplici ſubſtantia verſetur, quae, cum identitate perſonali, conſtanter perpetuoque (certe in vita) exſtet, interim dum ſtatus eius, ad quem ſtatus corporis duntaxat vt conditiones externae pertinent, continenter mutantur. *Deinde* (in coſmologia) conditiones phaenomenorum naturalium et internorum et externorum, oportebit, in eiusmodi nuſpiam abſoluenda inueſtigatione perſequamur, velut illa per ſe infinita foret, primoque ac ſummo articulo careret, quamquam propterea, *extra* vniuerſa phaenomena, rationes eorum primas mere intelligibiles haud infitiamur, ſed tamen eas numquam in contextum explicationum phyſicarum inferre

licitum erit, ſi quidem eas prorſus haud nouimus. *Tertio* denique (ratione theologiae), quaecumque ad contextum, quae poteſt eſſe, experientiae pertinuerint, ea debemus vniuerſa perinde conſiderare, ac ſi his abſoluta quaedam, ſed perpetuo pendens, ſemperque adhuc intra mundum ſenſibilem ad conditiones adſtricta vnitas efficiatur, ſed ſimul tamen quaſi complexus omnium phaenomenorum (mundus ipſe ſenſibilis) vnam ſupremam omnibusque idoneam cauſam habeat extra compagem ſuam, nempe rationem quandam quaſi in ſeſe conſiſtentem, originariam, praeditamque vi creandi, cuius quidem reſpectu omnem vſum empiricum rationis noſtrae in ſumma eius amplificatione ita regamus, ac ſi res obiectae ipſae ex illo prototypo rationis vniuerſae forent exortae, hoc eſt: non a ſimplici quadam ſubſtantia cogitante phaenomena animi interna, ſed illa a ſe inuicem deriuare ex idea cuiusdam ſimplicis naturae; non ab intelligentia ſumma quadam ordinem cosmicum eiusque vnitatem ſyſtematicam deducere, ſed ab idea cuiusdam cauſae ſapientiſſimae regulam depromere, ad quam in colligatione cauſarum et effectorum in mundo, ad ſe ipſam ſatiandam optime poſſit ratio adhiberi.

Iam minime eſt, quod nos impediat, quominus has ideas itidem vt obiectiuas et hypoſtaticas ſumamus, modo ſi ab cosmologica diſceſſeris, in qua perficienda ratio in antinomiam impingit (cuiusmodi neque pſychologica, nec theologica vllo modo continetur). Vacant enim repugnantia, qui igitur quispiam realitatem illarum obiectiuam poſſit oppugnare, cum de poſſibilitate illius tam parum ſciat, vt eam neget, quam nos, vt illam adfirmemus? Nihilominus, ad aliquid ſumendum, nondum ſatis eſt, nulla contra ſtare impedimenta poſitiua, neque nobis eſſe licitum poterit, entia, quae vocant, rationis ratiocinantis, vniuerſos conceptus noſtros ſuperantia, quamuis nulli repugnantia, in ſolam fidem rationis contemplatiuae opus ſuum lubenter abſoluentis, tamquam veras res atque in ſeſe conſiſtentes introducere. Igitur

illae per ſe ipſae haud ſumi debent, verum tantummodo realitas illarum, vtpote ſchematis cuiusdam principii regulatiui vnitatis ſyſtematicae vniuerſae cognitionis naturalis, debet valere, proinde duntaxat tamquam analoga rerum in veritate apparentium, nec vero vt res per ſe ipſae fundamento poni. Rei ideae ſubiectae tollimus conditiones, quibus conceptus noſter intelligentiae circumſcribitur, quibus vero etiam ſolis ſit, vt nobis cuiuspiam rei conceptus poſſit eſſe determinatus. Iamque quiddam cogitatione efformamus, cuius, quid per ſe ipſum ſit, ne minimam cogitationem habemus, cuius vero nihilominus ad complexum phaenomenorum certam quamdam adfectionem cogitamus, ei analogicam, quae phaenomenis inter ſe inuicem intercedit.

Quamobrem ſi huiuscemodi naturas ideales ſumimus, cognitionem noſtram rerum experientiae, quae eſſe poteſt, ſubiectarum proprie haud amplificamus atque augemus, ſed tantummodo vnitatem earum empiricam, ex vnitate ſyſtematica, cuius nobis idea ſchema miniſtrat, quae proinde non vt principium conſtitutiuum valet, ſed tantummodo vt regulatiuum. Cum enim, quae ideae reſpondeat, rem, ſiue ens reale ponimus, id non ita dicimus, vt cognitionem rerum noſtram velimus e conceptibus transſcendentibus amplificare atque augere; ſi quidem hoc ens duntaxat in idea, nec per ſe ipſum, conſtituitur, proinde ſolum, vt vnitatem ſyſtematicam exprimamus, quae nobis eſſe normae debeat vſus rationis empirici, ita quidem, vt de fundamento huiusce vnitatis, aut de proprietate interna eiusmodi entis, in qua illa, tamquam cauſa, poſita ſit, nil quidquam decernamus.

Sic conceptus transſcendentalis vnusque determinatus, quem ratio mere contemplatiua de deo nobis largitur, ſenſu ſtrictiſſimo *deiſticus* eſt, id eſt, ratio ne obiectiuum quidem eiusmodi conceptus valorem, ſed tantum ideam rei cuiuspiam miniſtrat, in qua omnis realitas empirica vnitatem ſummam ſuam neceſſariamue con-

ſtituit, quamque non poſſumus, niſi ad analogiam verae cuiusdam ſubſtantiae, quae ex legibus rationis rerum omnium cauſa ſit, cogitare, ſi modo conemur, eam vbique vt ſingularem rem obiectam cogitare, nec potius, ſola idea principii rationis regulatiui contenti, abſolutionem omnium cogitandi conditionum, vt humanam intelligentiam transſcendentem ſeponere malimus, quod vero cum fine perfectae vnitatis ſyſtematicae in cognitione noſtra, cui certe ratio nullos carceres ponit, haud poteſt conſtare.

Itaque hinc fit, vt, ſi naturam quandam diuinam pono, equidem nec de poſſibilitate interna ſummae illius perfectionis, neque de neceſſitate exſiſtentiae eius ne minimam quidem cogitationem habeam, ſed tamen tum aliis omnibus quaeſtionibus, quae rationem fortuitam ſpectant, ſatis facere queam, rationemque reſpectu vnitatis ſummae in vſu eius empirico inueſtigandae, nec vero rationis huiusce ſumtionis ipſius poſſim explere; quod argumento eſt, ex inuitamento illius contemplativo, non vero eius perſpicientia ipſi poteſtatem fieri, a puncto tam longe vltra illius ſphaeram ſito proficiſcendi, vt inde res ſibi obnoxias poſſit in toto quodam perfecto abſolutoque contemplari.

Verum hic ſeſe manifeſtat diſcrimen modi cogitandi in vna eademque ſumtione, haud parum illud ſubtile quidem, ſed tamen magni momenti in philoſophia transſcendentali. Satis poſſum cauſae habere, cur aliquid comparate ponam (ſuppoſitione relatiua), neque tamen iure potero illud ſimpliciter ſumere (ſuppoſitione abſoluta). Haec diſtinctio quadrat, ſi tantummodo de principio agitur regulatiuo, cuius quidem neceſſitatem per ſe ipſam cognoſcimus, non autem illius fontem, cuiusque cauſam ſupremam ponimus, eo duntaxat conſilio, quo vniuerſalitatem principii eo magis determinatam cogitemus, velut ſi naturam vt in veritate rerum apparentem cogitatione depingam, quae ſoli ideae reſpondeat, eique transſcendentali. Tum enim exſiſten-

tiam huiuſce rei numquam poſſum per ſe ipſam ponere, propterea quod nulli, quibus vllam quampiam rem obiectam determinate cogitare poſſim, conceptus eo pertinent, conditionesque valoris obiectiui conceptuum meorum per ideam ipſam excluſae videntur. Conceptus realitatis, ſubſtantiae, cauſalitatis, vel ipſi conceptus neceſſitatis in exſiſtentia, nullam prorſus ſignificationem habent, quae vllam quampiam rem obiectam determinet, ſi ab vſu diſceſſeris, quo fit, vt cognitio cuiusdam oblatae rei empirica iis eſſe poſſit. Quare ad explicationem poſſibilitatis quidem rerum in mundo ſenſibili, non vero poſſibilitatis totius rerum vniuerſi ipſius poſſunt adhiberi, ſi quidem haec explicandi ratio extra mundum, ideoque nulla res experientiae, quae poteſt eſſe, ſubiecta deberet videri. Atqui nihilominus eiuscemodi naturam incomprehenſibilem, rem ſoli ideae obnoxiam, comparate cum mundo ſenſibili, quamuis haud per ſe ipſam, poſſum ſumere. Etenim ſi idea conſtituta eſt vſus rationis meae empirici, quantum fieri poteſt, maximi (vnitatis ſyſtematice perfectae, de qua mox planius dicam), quae per ſe ipſa non poteſt in experientia exacte proponi, etiamſi, vt vnitas empirica gradui, qui eſſe poteſt, ſummo admoueatur, abſolute neceſſaria ſit, non ſolum iure potero, verum etiam neceſſitate coactus, hanc ideam ad veritatem transferre, id eſt, veram rem oblatam illi ſtatuere, verum tantummodo vt quidpiam (ens) vniuerſe, quod per ſe ipſum neutiquam noſco, cuique, vt cauſae cuiusque vnitatis ſyſtematicae, ratione huiuſce poſterioris, eas proprietates tribuo, quae conceptibus intelligentiae in vſu empirico ſint analogicae. Quocirca ad analogiam realitatum in mundo, ſubſtantiarum, cauſalitatis neceſſitatisque, naturam cogitatione efformabo, vniuerſa haec in ſumma perfectione poſſidentem, quoniamque haec idea ſolum poſita eſt in ratione mea, hanc naturam cogitare potero, vt rationem in ſeſe conſiſtentem, quae per ideas ſummae conſpirationis vnitatisque, cauſa ſit totius rerum vniuerſi, ita vt conditiones omnes, ideam circumſcribentes, omittam,

tantummodo quo, eiusmodi cauſa prima patrocinante, fieri poſſit vnitas ſyſtematica variorum in vniuerſitate rerum, eiusque ope rationis vſus empiricus, qui eſſe poteſt, maximus, dum vniuerſas ita coniunctiones conſidero, quaſi inſtitutiones forent rationis cuiusdam ſummae, cuius noſtra tenue ſimulacrum videtur. Hanc tum naturam ſummam ſolis, quorum vſus duntaxat in mundo ſenſibili eſt, conceptibus cogitatione depingo; cum vero etiam illa ſumtio transſcendentalis ad nullum mihi alium vſum niſi relatiuum conceſſa ſit, nimirum vt pro ſubſtrato ſint vnitatis empiricae, quae poſſit eſſe, maximae, licebit, vt naturam, quam a mundo diſtinguo, commode ex proprietatibus cogitem, quae tantummodo pertinent ad mundum ſenſibilem. . Namque nullo modo poſtulo, neque etiam iure poſſum poſtulare, vt hanc rem ideae meae ſubiectam, pro eo, quod per ſe ipſa ſit, cognoſcam; ad id enim conceptus deſunt, ipſique conceptus realitatis, ſubſtantiae, cauſalitatis, atque adeo neceſſitatis in exſiſtentia, ſignificationem amittunt omnem, atque in titulis conceptuum verſantur inanibus, omnique ſunt deſtituti materia, ſimul atque extra campum ſenſuum cupiam oberrare. Solam cogito adſectionem cuiusdam naturae mihi ignotae ad vnitatem ſyſtematicam vniuerſitatis rerum, eo duntaxat conſilio, vt illam efficiam ſchema principii regulatiui vſus rationis meae empirici, qui eſſe poſſit, maximi.

Quodſi iam oculos conuertamus ad rem transſcendentalem ideae noſtrae ſubiectam, videbimus, nos non poſſe exſiſtentiam eius in ſe ipſam ſumere ex conceptibus realitatis, ſubſtantiae, cauſalitatis et id genus aliorum; ſi quidem horum conceptuum ad aliquid a mundo ſenſibili prorſus diuerſum ne minimus quidem vſus videtur. Ergo ſuppoſitio rationis de natura ſumma, vt cauſa prima, tantummodo relatiua eſt, in gratiam vnitatis ſyſtematicae mundi ſenſibilis cogitatione informata, ſolumque quiddam in idea, de quo, quid in ſe ipſum ſit, nullam omnino cogitationem habemus. Ex quo etiam

intelligitur, vnde opus quidem idea habeamus naturae primae per ſe neceſſariae, in adfectione ad ea, quae in veritate rerum apparentia ſenſibus propoſita ſunt, numquam autem illius, eiusque neceſſitatis abſolutae ne minimum quidem habere conceptum poſſimus.

Nunc totius dialectices transſcendentalis conſequens perſpicue poſſumus ob oculos ponere, finemque vltimum idearum rationis purae, quae tantummodo ex errore temeritatis fieri dialecticae poſſunt, accurate conſtituere. Ratio pura reapſe nulla in re alia occupatur, quam in ſe ipſa, neque etiam aliud habere negotium poteſt, ſi quidem ei non res obiectae ad vnitatem conceptus empirici proponuntur, ſed cognitiones intelligentiae ad vnitatem conceptus rationis, id eſt, contextus in quodam principio offeruntur. Vnitas rationalis cernitur in vnitate ſyſtematis, et haec vnitas ſyſtematica rationi haud obiectiue pro decreto eſt, vt ea ſuper res obiectas dilatetur, ſed ſubiectiue, tamquam *norma*, vt illa ſuper vniuerſam, quae eſſe poteſt, cognitionem empiricam rerum obiectarum expandatur. Nihilominus contextu ſyſtematico, quem ratio poteſt vſui intelligentiae empirico impertire, non ſolum eius amplificatio promouetur, ſed ſimul quoque eius veritas confirmatur, principiumque eiusmodi vnitatis ſyſtematicae etiam obiectiuum eſt, ſed modo indeterminato (principium vagum), non vt principium conſtitutiuum, vt aliquid ratione rei directe illi ſubiectae conſtituatur, verum vt, tamquam principium modo regulatiuum normaque, vſus rationis empiricus nouis aperiendis viis, intelligentiae ignotis, in infinitum (indefinitum) et promoueatur et confirmetur, ita vt in ea re legibus vſus empirici ne tantillum quidem derogetur.

Nec vero vnitatem illam ſyſtematicam non poteſt ratio cogitare, niſi, vt ideae ſuae ſimul rem ſubiiciat, quae vero per nullam poteſt experientiam proponi; namque experientia numquam ſuppeditare exemplum

poteſt vnitatis ſyſtematicae perfectae. Hoc ens rationis ratiocinatae in ſola quidem idea verſatur, nec proinde ſimpliciter et per ſe ipſum vt aliquid, quod vere exſtet, ſumitur, ſed tantummodo problematice conſtituitur (quoniam illud non poſſumus vllis intelligentiae conceptibus adſequi), vt vniuerſam rerum mundi ſenſibilis coniunctionem conſideremus, ac ſi in hoc ente rationis cauſam ſuam habeant, verum duntaxat, vt in eo vnitatem ſyſtematicam conſtituamus, quae rationi neceſſaria eſſe poteſt, et cognitioni empiricae intelligentiae profecto vtilis, nec vero vmquam illi officere.

Vim virtutemque huiusce ideae praue intellexeris, ſimul atque eam pro adſertione vel modo ſumtione rei accipias vere exſtantis, cui cauſam tribuere conſtitutionis mundi ſyſtematice cogites; potius prorſus in medio relinquitur, quaenam cauſae illius noſtros conceptus fugiens natura videatur, tantumque idea quaſi locus ponitur, ex quo ſolummodo vnitas illa, rationi tam neceſſaria, tamque ſalubris intelligentiae, poſſit proferri; verbo: haec res transſcendentalis duntaxat verſatur in ſchemate principii illius regulatiui, quo ratio, quantum in ſe eſt, vnitatem ſyſtematicam ad vniuerſam experientiam extendat.

Quod primum eſt eiusmodi ideae ſubiectum, ipſe ego ſum, tamquam modo natura cogitans (anima) ſpectatus. Si proprietates, quibus natura cogitans per ſe exſtat, conquirere velim, percontari experientiam debebo, omniumque ipſarum categoriarum nullam potero ad hanc rem obiectam adhibere, niſi quatenus illius ſchema in viſione ſenſitiua datum videatur. Quo vero numquam ad vnitatem ſyſtematicam peruenio omnium ſenſus interni phaenomenorum. Quamobrem loco conceptus empirici (eius, quod anima vere eſt), quod haud longe duci poſſumus, ratio conceptum vnitatis empiricae vniuerſae cogitationis prehendit, eoque, quod eam vnitatem abſolute cogitat et originarie, illum efficit conceptum rationis (ideam) ſubſtantiae ſimplicis, per ſe ipſam immutabi-

lem (perſonaliter identicam), quae cum aliis, quae vere exſtant, rebus extra ſe in commercio verſetur; ad ſummam: intelligentiae ſimplicis in ſeſe conſiſtentis. In quo quidem illi nihil quidquam aliud propoſitum eſt, quam principia vnitatis ſyſtematicae in explicandis animae phaenomenis, nimirum vt omnes determinationes, tamquam in vno ſubiecto quodam, vniuerſas vires, quantum fieri poteſt, vt ab vna vi prima et conſtitutiua deriuatas, omnem viciſſitudinem, tamquam ad ſtatus vnius eiusdemque naturae conſtantis conſideret, vniuerſaque in ſpatio *phaenomena*, vt ab actionibus *cogitandi* prorſus diuerſa, cogitet. Illa ſubſtantiae ſimplicitas, caeteraque generis eiusdem, tantum eſſe ſchema debebat huiusce principii regulatiui, neque ea ſumitur vera cauſa eſſe proprietatum animae. Etenim haec poſſunt etiam longe alias cauſas habere, ſed nobis ignotas, quemadmodum animam etiam ex hiſce attributis ſumtis per ſe ipſam proprie haud poſſemus cognoſcere, etiamſi illa de ea valere ſimpliciter poſſe conceſſerimus, ſi quidem ſolam conſtituunt ideam, quae non poteſt in ſingulo (concreto) vllo modo repraeſentari. Ex eiuscemodi idea igitur pſychologica nihil poteſt aliud, niſi commodum, redundare, modo ſi videamus, ne illi maiorem vim tribuamus, quam ſolius ideae, id eſt, duntaxat comparate cum vſu rationis ſyſtematico ratione phaenomenorum animae noſtrae. Namque tum nullae leges empiricae phaenomenorum corporeorum, quae longe ſunt alius generis, in enodationes ſeſe immiſcent eorum, quae ad ſolum ſenſum internum pertinent; tum nullae hypotheſes ventoſae de generatione, interitu, palingeneſia animarum, et id genus aliis conceduntur; ergo contemplatio huiusce rei ſub ſenſum intimum ſubiectae prorſus pura, nec diſſimilibus commixta proprietatibus inſtituitur, praeterea inueſtigatio rationis in id intenditur, vt explicandi rationes in hocce ſubiecto, quoad eius fieri poterit, ad vnum principium aliquod reuocentur; quae quidem omnia eiuscemodi ſchemate, quaſi illud natura vera ſit, optime, quid? quod vnice efficiuntur. Neque etiam idea pſychologica aliam vim, quam ſche-

matis, habere poteſt conceptus regulatiui. Etenim, ſi vel modo quaerere velim, anne anima per ſe ipſa naturam ſpiritualem habeat, ea quaeſtio inani voce ſonaret. Namque eiusmodi conceptu non ſolum naturam corpoream tollo, verum omnem omnino naturam, id eſt, attributa omnia vllius cuiuspiam, quae eſſe poteſt, experientiae, proinde conditiones vniuerſas ad eiusmodi conceptum rem quandam oblatam cogitandi, quo tamen ſolo efficitur, vt illi dicamus ſenſum ineſſe.

Altera deinde idea regulatiua rationis ſolius contemplatiuae in conceptu mundi in vniuerſum verſatur. Nam natura proprie vna eſt res obiecta, quae data eſt, cuius ratione opus habet ratio principiis regulatiuis. Haec natura duplicis generis eſt, aut cogitans, aut natura corporea. Ad naturam corpoream in interna illius poſſibilitate cogitandam, id eſt, ad conſtituendum categoriarum vſum ad illam, nulla opus habemus idea, hoc eſt, cogitatione experientiam ſuperante, nullaque poteſt eſſe ratione illius; ſi quidem in ea ſola ducimur viſione ſenſitiua, neque vti in primo conceptu pſychologico (ego), quo certa quaedam cogitandi forma, nempe vnitas illius ex anticipatione continetur. Itaque rationi purae nihil reliquum habemus, praeter naturam in vniverſum, abſolutionemque conditionum in ea ſecundum vllum quodpiam principium. Vniuerſitas abſoluta ſerierum harum conditionum, in deriuandis eius articulis, idea eſt, quae in vſu quidem empirico rationis numquam prorſus poteſt perfici, ſed tamen inſeruit regulae, quomodo ratione illius nobis agendum ſit, nempe in explicandis phaenomenis datis (in regreſſu progreſſuue) ita quidem, tamquam ſeries per ſe infinita foret, id eſt, in indefinitum, verum vbi ratio ipſa vt cauſa determinans conſideratur (in libertate), proinde in principiis practicis, quaſi haud rem ſenſibus obnoxiam, ſed intelligentiae purae ob oculos haberemus, vbi conditiones non amplius poſſint in ſerie phaenomenorum poni, ſed extra illam, ſeriesque ſtatuum ſpectari queat, ac ſi ſimpliciter (per cauſam intelligibilem) inſtitueretur; quae om-

nia euincunt, ideas cosmologicas non niſi in principiis regulatiuis verſari, longeque ab eo abhorrere, vt, quaſi conſtitutiue, vniuerſitatem veram ponant eiuscemodi ſerierum. Reliqua ſuo quaeque loco poſſunt quaeri in antinomia rationis purae.

Tertia denique rationis purae idea, ſuppoſitionem mere relatiuam in ſe continens naturae, tamquam cauſae vnius vniuerſisque ſufficientis omnium ſerierum cosmologicarum, cernitur in conceptu rationis de deo. Quae huic ideae ſubiecta eſt, rem, non eſt, quod per ſe ſupponamus; ecquid enim nos poterit adducere, aut nobis poteſtatem facere, vt naturam ſummae perfectionis, vtque per naturam eius abſolute neceſſariam, ex ſolo ipſius conceptu per ſe ipſo credamus, aut adſeueremus, niſi mundus foret, cuius reſpectu ſolo ſuppoſitio eſſe neceſſaria poteſt? tum manifeſto apparet, ideam illius, quemadmodum omnes ideae contemplatiuae, nullam vim aliam habere, quam rationem praecipere, vt vniuerſam mundi coniunctionem ex principiis vnitatis ſyſtematicae conſideremus, proinde quaſi cuncta ſint ex vna quadam natura omnia complectente, tamquam cauſa ſumma vniuerſisque idonea, exorta. Ex quo perſpicuum eſt, rationi in ea re nil, niſi propriam regulam formalem, in amplificando vſu empirico poſſe propoſitum eſſe, ſed numquam amplificationem *terminos* ſuperantem *vſus empirici*, proinde ſub hac idea nullum principium conſtitutiuum vſus illius latere, ad experientiam, quae poteſt eſſe, tendentis.

Summa vnitas formalis, quae ſola in conceptibus rationis poſita eſt, cernitur in vnitate finali rerum, et inuitamento rationis *contemplatiuo* cogimur, vt omnem in mundo inſtitutionem ita ſpectemus, quaſi e conſilio enata ſit rationis cuiusdam ſummae. Eiusmodi principium nempe rationi noſtrae ad campum experientiae adhibitae nouos aperit proſpectus, ex legibus teleologicis res in mundo coniungendi, eoque ad maxi-

mam vnitatem ſyſtematicam perueniendi. Igitur ſumtio intelligentiae ſummae, tamquam ſolius cauſae vniverſitatis rerum, ſed ſane duntaxat in idea, rationi ſemper poteſt conducere, neque vmquam nocere. Quandoquidem, ſi ratione figurae terrae (rotundae aliquantum tamen deplanatae), *) mortium, marium, et id genus aliorum nil niſi ſapientes auctoris fines in anteceſſum ponimus, hac via vim rerum poterimus aperire. Si ergo in hac ſumtione, tamquam principio ſolo *regulatiuo*, ſubſiſtamus, tum ipſe error nobis nil quidquam poterit nocere. Nihil enim fere poteſt inde amplius conſequi, quam vt, vbi nexum finalem exſpectaremus, nexus tantummodo effectiuus inueniatur, quo quidem, in cauſa tali, duntaxat *vnitatem* inſuper deſideramus, verum vnitatem rationis in vſu eius empirico haud laedimus. Verum et hocce malum legem ipſam non poteſt reſpectu vniuerſali et teleologico in vniuerſum attingere. Nam, quamquam anatomus, ſi vllum quodpiam membrum corporis animalis ad finem referat, quem perſpicue doceri poteſt inde non ſequi, de errore conuinci poterit; tamen fieri nullo modo poteſt, vt vllo tempore probetur, conſtitutionem naturae, quae illa cumque ſit, omni prorſus fine carere. Quamobrem phyſiologia (medicorum) cognitionem eorum empiricam admodum circumſcriptam atque anguſtam de finibus ſtructurae membrorum corporis organici ex decreto admodum auget atque amplificat, ex ſola ratione pura inſtillato, adeo, vt audacter, cumque omnium, cui cor ſapit, concentu ſumatur, vniuerſa in animante ſuam vtilitatem habere,

*) Satis notum commodum eſt, quod figura terrae globoſa parit; ſed paucis notum eſt, illius, vt ſphaeroidis, applanationem ſolam impedire, quo minus terrae continentis eminentiae, vel etiam minorum montium, terrae motu forsaſſe proiectorum, axim terrae continuo, neque ita longo temporis ſpatio multum dimoueant, niſi tumor terrae ſub linea tam ingens mons ſit, quem cuiusque alius montis vibratio numquam ratione axis ita loco ſuo mouere poſſit. Nihilominus tamen ſapiens inſtitutum iſtud ſine haeſitatione videmus ex aequilibrio maſſae terreae quondam fluidae explicari.

ſuumque ſinem bonum; quae quidem ſumtio, ſi *conſtitutiua* eſſe debeat, longius ſerpit, quam quo ex huc vsque obſeruatis iure poſſit pertinere. Ex quo intelligitur, ſumtionem illam non niſi in principio rationis regulatiuo verſari, quo ad ſummam vnitatem ſyſtematicam, ope ideae cauſalitatis finibus conſentaneae cauſae mundi ſummae, et, quaſi haec, vt ſumma intelligentia, e conſilio ſapientiſſimo, cauſa vniuerſi ſit, perueniamus.

Quodſi autem ab hac idea ad ſolum vſum adſtricta empiricum recedamus, tum ratio variis modis in errorem inducitur, propterea quod illa tum territorium experientiae, quod tamen notas viae illius in ſe continere debet, relinquit, vltraque illud ad incomprehenſa atque haud peruestiganda audet tranſire, cuius de ſublimitate, neceſſe eſt, vt vertigine corripiatur, quoniam e ſtatione iſtius ab omni cum experientia conſentiente vſu prorſus ſeſe videt excluſam.

Inde, quod ideam naturae ſummae non ſolum regulatiue, ſed (quod naturae ideae aduerſatur) conſtitutiue vſurpamus, errores promanant, quorum primus cernitur in ratione ignaua (ἀεργῷ λόγῳ). *) Ita quodque decretum dici poteſt, quo efficitur, vt noſtram naturae inueſtigationem, vbicumque ſit, quaſi ſimpliciter abſolutam conſideremus, ratioque proinde quietem petat, quaſi negotium ſuum penitus abſoluerit. Quocirca ipſa idea pſychologica, ſi vt principium conſtitutiuum explicandorum animae noſtrae phaenomenorum, deinceps adeo ad cognitionem noſtram huiusce ſubiecti amplifi-

*) Sic veteres dialectici appellarunt paralogiſmum quemdam, qui ſic ſe habebat: ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo conualeſcere; ſiue medicum adhibueris, ſiue non, conualeſces. Cicero (de fato cap. 11. extr.) hanc concludendi formulam inde, ait, eſſe denominatam, quoniam, ſi ei pareamus, nihil omnino agamus in vita. Id quod in cauſa fuit, cur argumentum rationis purae ſophiſticum hoc nomine inſigniretur.

candam, vltra omnem experientiam (ſtatum poſt mortem) adhibetur, rationi quidem permagnam leuationem adfert, ſed omnem quoque vſum illius phyſicum ad ductum experientiae funditus perdit atque euertit. Sic ſpiritualiſta dogmaticus vnitatem perſonae per omnem ſtatuum viciſſitudinem immutatam conſiſtentem ex vnitate explicat ſubſtantiae cogitantis, quam in illo ego proxime putat percipere, inuitamentum porro, quod ex rebus capimus, quae poſt mortem demum euenire debent, ex conſcientia e natura incorporea noſtri ſubiecti cogitantis, et ſic porro, ab omnique inueſtigatione phyſica cauſae horum phaenomenorum internorum e rationibus explicandi phyſicis ſeſe liberat, dum quaſi voluntate rationis transſcendentis fontes experientiae immanentes, in gratiam commoditatis ſuae, ſed cum iactura perſpicientiae, praetermittit. Multo dilucidius in oculos incurrit noxia haec conſequentia in dogmatiſmo ideae noſtrae, quam de ſumma intelligentia habemus atque falſo in ea conſtituto naturae ſyſtemate (phyſico-theologia). Tum enim omnes in natura rerum ſeſe manifeſtantes, ſaepenumero duntaxat a nobis effecti fines hoc habent, vt nobis cauſarum inueſtigationem reddant perfacilem, nempe, cum in vniuerſalibus mechanismi materiae legibus quaerere debeamus, conſilium teſtemur inexploratum ſummae ſapientiae, putemusque negotium rationis confectum tum abſolutumque, cum ab vſu illius nos continemus, qui tamen nuſpiam ducem habet, niſi vbi illum et ordo naturae, et ſeries mutationum, ex legibus internis et generalioribus, nobis ſubminiſtrat. Quod vitium poterit vitari, ſi non modo quasdam naturae partes, velut diſtributionem continentis terrae, ſtructuram illius, naturamque ac ſitum montium, aut vel organiſationem ſolam in regno et vegetabili et animali ex ſtatione finium contemplemus, ſed hanc vnitatem naturae ſyſtematicam, ratione ideae ſummae intelligentiae, prorſus faciamus vniuerſalem. Tum enim formam finalem ſecundum leges naturae vniuerſales conſtituimus, a quibus nulla peculiaris inſtitutio excepta eſt, ſed tan-

tummodo plus minusue cognitioni noſtrae facilis reddita, principiumque habemus regulatiuum vnitatis ſyſtematicae coniunctionis cuiusdam teleologicae, quam vero non in antecesſium debemus conſtituere, ſed tantum ſpe illius freti coniunctionem phyſico-mechanicam ex legibus vniuerſalibus perſequi. Hoc enim ſolo modo principium vnitatis finalis vſum rationis poteſt reſpectu experientiae ſemper amplificare, neque illi tamen vlla in cauſa quapiam derogare.

Alterum deinde vicium, quod ex praua interpretatione principii vnitatis ſyſtematicae oritur, cernitur in ratione peruerſa (ὑςέρῳ πρoτέρῳ rationis). Idea vnitatis ſyſtematicae hocce tantummodo munus habere debebat, vt tamquam principium regulatiuum eam in coniunctione rerum ex legibus vniuerſalibus anquireremus, et quoad ea poſſit in via empirica deprehendi, etiam crederemus, nos pleno illius vſui propiores acceſſiſſe, quamuis ſane numquam eam poſſimus attingere. Quod cum fieri debeat, res peruertitur, atque inde inſtituitur, vt veritas principii vnitatis finalis tamquam hypoſtatica conſtituatur, conceptusque eiusmodi intelligentiae ſummae, quia per ſe totus perueſtigationi inacceſſus, ad anthropomorphiſmi rationem conſtituatur, tumque fines naturae, per vim et dictatorium morem, ogguntur, cum tamen aequum ſit, eos in via inueſtigationis phyſicae inquirere, ita vt non ſolum teleologia, quae tantummodo vnitatem deberet naturae ex legibus vniuerſalibus ſupplere, nunc id ſolummodo agat, vt ea tollatur, verum ratio ipſa ſe fine ſuo praeterea ſpoliet, nimirum exſiſtentiam eiusmodi cauſae intelligentis ſupremae, ad finem illum, e natura probandi. Etenim, niſi ſumma poſſit forma finalis ex anticipatione, id eſt, vtpote ad eius eſſentiam neceſſariam, ſumi, quotandem modo poteris teneri, vt eam anquiras atque in ſcala illius ſummae perfectioni cuiusdam auctoris, vt abſolute neceſſariae, proinde perfectioni ex anticipatione cognoſcendae appropinques? Principium regulatiuum praeci-

pit, vt vnitatem ſyſtematicam tamquam *vnitatem phyſicam*, quae non modo empirice cognoſcitur, verum ex anticipatione, quamquam nondum determinate, ſumitur, ſimpliciter, proinde tamquam ex eſſentia rerum promanantem, ponamus. Quodſi autem ante naturam ſummam ordinantem conſtituero, vnitas phyſica ſane tollitur, ſi quidem ea ab natura rerum prorſus aliena eſt ac fortuita, neque ex legibus vniuerſalibus eius poteſt cognoſci. Ex quo vitioſus orbis oritur in argumentando, cum ſumitur, quod proprie debebat probari.

Principium regulatiuum vnitatis ſyſtematicae naturae pro conſtitutiuo accipere, quodque in idea ad vſum rationis communem conſtituitur, tamquam cauſam hypoſtatice ponere, nihil eſt, niſi rationem confundere. Inueſtigatio phyſica iter ſuum ſola proſequitur ad catenam cauſarum naturalium ex legibus vniuerſalibus illius; ex idea quidem cuiusdam auctoris, ſed non vt ordinem ex finibus, quem vbique perſequitur, ab eo deriuet, ſed vt exſiſtentiam illius ex hoc ordine ad fines conſtituto, qui in eſſentia quaeritur rerum naturalium, quantum fieri poſſit, etiam in eſſentia omnium omnino rerum, proinde vt abſolute neceſſariam cognoſcat. Quod ſiue ſucceſſerit, ſiue non, tamen idea ſemper vera manet, itidemque vſus illius, ſi ad conditiones fuerit ſolius cuiusdam principii regulatiui adſtrictus.

Vnitas plena finalis eſt perfectio (ſimpliciter ſpectata). Quam niſi in eſſentia rerum, quae omnem rem experientiae ſubiectam, id eſt, vniuerſae noſtrae cognitioni obiectiue verae, conſtituunt, proinde in legibus phyſicis inueniamus vniuerſalibus et neceſſariis; qui tandem inde ad ideam ſummae cuiusdam abſoluteque neceſſariae perfectionis cauſae primae poterimus concludere, quae origo ſit cuiusque cauſalitatis? Maxima ſyſtematica, proinde quoque vnitas finalis ſchola eſt ipſumque fundamentum poſſibilitatis vſus maximi rationis humanae. Quocirca idea illius cum eſſentia rationis noſtrae arctiſ-

ſimo vinculo coniuncta tenetur. Igitur eadem idea nobis leges fert, atque ita ſit, vt rationem legislatoriam, quae illi reſpondeat (intellectum archetypum), ſumamus, a qua vniuerſa debeat vnitas naturae ſyſtematica, tamquam re rationi noſtrae ſubiecta, deriuari.

Data occaſione antinomiae rationis purae diximus: omnes quaeſtiones, a ratione pura propoſitas, ſimpliciter poſſe nulla reſponſione explicari, praetextumque carcerum cognitionis noſtrae, qui in permultis quaeſtionibus phyſicis pariter ineuitabilis eſt, atque aequus, hoc loco non poſſe concedi, quoniam nobis hic non de natura rerum, ſed tantummodo per naturam rationis ac de ſola eius conſtitutione interna, quaeſtiones proponuntur. Iam hanc prima ſpecie audacem adſertionem ratione duarum quaeſtionum illarum, in quibus maximum rationis inuitamentum eſt, poſſumus confirmare, eoque noſtram de dialectica illius contemplationem prorſum abſoluere.

Quodſi ergo (ratione theologiae transſcendentalis *) quaeratur *primo:* an aliquid ſit a mundo diuerſum, quod cauſam ordinis mundi eiusque contextus ex legibus vniverſalibus in ſe contineat; reſpondemus: ſine *dubio.* Namque mundus cernitur in congregatione phaenomenorum, proinde neceſſe eſt, vllam quampiam illius cauſam eſſe transſcendentalem, id eſt, ſoli intelligentiae purae cogitabilem. Si *porro* quaeratur: an haec natura ſit ſubſtantia, maximaque realitate gaudeat, et neceſſaria, et ſic porro, videatur; reſpondeo: *hanc quaeſtionem omni ſignificatione deſtitutam eſſe.* Si quidem categoriae

*) Iis, quae iam ſupra de idea pſychologica eiusque fine proprio, tamquam principii ad vſum mere regulatiuum rationis deſtinati, diximus, ſit, vt ſuperſedere queamus ambagibus illuſionis transſcendentalis, per quam illa vnitas variorum omnium ſenſus interni hypoſtatice repraeſentatur, ſingulatim exponendae. Via in ea re perquam ſimilis eſt illius, quam ratione idealis theologici critica inſtituit.

vniuerſae, quibus mihi cogitationem de eiusmodi re obiecta efformare conor, nullius vſus ſunt, niſi empirici, nullumque omnino ſenſum habent, niſi ad res experientiae, quae poſſit eſſe, ſubiectas, hoc eſt, ad mundum ſenſibilem, adhibeantur. Extra hunc campum in meris titulis verſantur conceptuum, qui quidem poſſunt concedi, quibus vero etiam nil quidquam poteſt intelligi. Si *tertio* denique quaeſtio erit: anne hanc naturam a mundo diuerſam ſaltem ex *ſimilitudine* quadam (analogia) rerum experientiae obuiarum nobis licitum ſit cogitare? reſponſio eſt: ſane quidem, ſed tantummodo vt rem obiectam in idea, non vero in veritate (realitate), nempe duntaxat, quatenus ea nobis eſt pro ſubſtrato ignoto, et vnitatis ſyſtematicae, et ordinis, et finibus conuenientis rationis in conſtitutione mundi, quam ratio ſibi pro principio regulatiuo conſtituere debet inueſtigationis phyſicae. Quid? quod iſti ideae certos anthropomorphiſmos, qui, de quo diximus, principio regulatiuo fauent, audacter et irreprehenſe concedere poſſumus. Ea enim ſemper duntaxat idea eſt, quae neutiquam directe ad naturam a mundo diuerſam, verum ad principium regulatiuum vnitatis mundi ſyſtematicae, ſed ſolum ope cuiusdam ſchematis illius, nempe intelligentiae ſupremae, quae ex finibus ſapientibus eius auctor ſit, refertur. Quid haec prima cauſa vnitatis cosmicae per ſe ipſa ſit, eo non debuit cogitari, ſed quomodo eam, vel potius illius ideam, relatiue ad vſum rationis ſyſtematicum reſpectu rerum in mundo, debeamus vſurpare.

At vero hoc modo (perges quaerere) tamen poſſumus auctorem mundi vnum ponere atque omnipotentem? Sine omni dubio; neque hoc ſolum, verum etiam talem ponere debemus. At tum tamen cognitionem noſtram vltra campum experientiae, quae poteſt eſſe, dilatamus? Nullo modo. Si quidem poſuimus duntaxat aliquid, de quo, quid in ſe ipſum ſit (res obiecta mere transſcendentalis), nullam prorſus cogitationem habemus, verum ratione ordinis ſyſtematici et ad fines

conuenienter conſtituti fabricationis mundi, quam, ſi naturam inueſtigamus, ponere debemus, illam nobis naturam ignotam ad ſolam intelligentiae *analogiam* (quae in conceptu empirico cernitur) cogitauimus, hoc eſt, eam, ratione finium perfectionisque, qui in ea nituntur, iis ipſis proprietatibus exornauimus, quae ex conditionibus rationis noſtrae cauſam poſſunt eiuscemodi vnitatis ſyſtematicae continere. Haec igitur idea reſpectu vſus cosmici rationis noſtrae prorſus vera eſt. Cui vero ſi ſimpliciter valorem obiectiuum tribuere velimus, obliuiſceremur, eam ſolummodo naturam eſſe in idea, quam cogitamus, tumque a cauſa inciperemus per contemplationem mundi haud determinabili, ea impediremur, quo minus hocce principium vſui rationis empirico conuenienter adhiberemus.

At (porro interrogaueris) tali modo conceptu tamen poſſum ac ſumtione naturae ſummae vti in contemplatione mundi ab ratione inſtituta? Ita; et propterea quoque haec idea ab ratione fuit proprie conſtituta. At licebit, vt inſtituta ad finium ſimilitudinem pro finibus accipiam, propterea quod ea a voluntate diuina deriuo, quamquam ope peculiarium in mundo ad id factarum conſtitutionum? Etiam; illud quoque vobis licebit, ita tamen, vt veſtra nihil interſit, vtrum diuinam ſapientiam quis dicat ſic omnia ad fines ſummos ſuos ordinaſſe, an ideam ſummae ſapientiae, in principio verſari regulatiuo indagandae naturae, principioque vnitatis ſyſtematicae atque ad fines conſtitutae illius ex vniuerſalibus legibus phyſicis, vel tum quoque, cum illam haud quaquam animaduertimus, id eſt, ibi, vbi eam percipitis, veſtra nihil, oportebit, interſit, ſi dicatis: ita deus ſapienter decreuit, aut: ſic natura ſapienter ordinauit. Namque maxima vnitas ſyſtematica finalis, quam ratio veſtra omnis indagationis phyſicae tamquam quoddam principium regulatiuum conſtitui voluit, idem ipſum erat, quod vobis poteſtatem fecit, ideam conſtituendi intelligentiae ſummae vt

pote ſchematis principii regulatiui, quantumque igitur, ex eo, conuenientiae in mundo deprehenditis, tantumdem confirmationis habetis ideae veſtrae legitimae; cum autem principio illi nihil propoſitum eſſet, niſi, vt neceſſaria, quantaque fieri poſſet, maxima vnitas phyſica quaereretur, hanc quidem, quoad eam adſequemur, ideae naturae ſummae acceptam feremus, neque tamen vniuerſales naturae leges, quarum reſpectu idea duntaxat conſtituebatur, niſi nobismet ipſis repugnabimus, poterimus praetermittere, vt hanc naturae conuenientiam tamquam fortuitam et hyperphyſicam ratione illius originis ſpectemus, quoniam nobis non copia fuit, ens ſupra naturam proprietatibus illis inſtructum ſumendi, ſed tantummodo ideam illius conſtituendi, quo ex analogia determinationis cauſalis phaenomenorum tamquam ſyſtematice in ſe inuicem coniunctas conſideremus.

Ob hanc ipſam rem cauſam mundi in idea non ſolum ex ſubtiliori quodam anthropomorphismo (ſine quo neutiquam quidquam poſſet de ea cogitari), nimirum tamquam naturam, et intelligentia, et complacentia, et diſplicentia, itemque appetitu illi conueniente, et voluntate, et id genus aliis praeditam iure poſſumus cogitare, verum etiam perfectionem ei infinitam tribuere, quae proinde longe illam ſuperat, cuius poteſtatem poſſumus ex cognitione ordinis mundi empirica habere. Quandoquidem lex regulatina vnitatis ſyſtematicae praecipit, vt naturam ita ſcrutemur, ac ſi vbicumque locorum, in varietate, quanta poſſit eſſe, maxima, vnitas ſyſtematica finibusque conueniens in infinitum deprehendatur. Quamquam enim paruam duntaxat huius perfectionis cosmicae particulam exquiremus, aut adſequemur, tamen ad legislationem rationis noſtrae pertinet, vt eam vbiuis et anquiramus, et ſuſpicemur, nobis ſemper eſſe e re debebit, numquam autem fieri inutile poteſt, ſi ad principium illud contemplationem naturae inſtituemus. Ex hac autem deſcriptione conſtitutae

ideae auctoris ſummi porro etiam perſpicuum eſt: me non exſiſtentiam cognitionemque eiusmodi naturae, ſed ſolam ideam illius conſtituere, et proinde proprie nihil ab hacce natura, ſed tantum ab eius idea, id eſt, a natura rerum mundanarum, ſecundum eiuscemodi ideam deriuare. Iam certa quaedam, etſi haud explicata conſcientia vſus veri ac genuini huiusce conceptus rationalis noſtri in cauſa eſſe videtur, quare omnium temporum philoſophi oratione modeſta vterentur et aequa, cum de ſapientia prouidentiaque naturae ac diuina ſapientia, velut de verbis idem ſonantibus loquerentur, quin prius verbum, quamdiu tantummodo de ratione agitur contemplatiua, praeferrent, quoniam illud arrogantiam adſertionis maioris, quam cuius poteſtatem habemus, coërcet, rationemque ſimul ad proprium campum eius, naturam, reducit.

Atque ita ratio pura, quae nihil minus nobis, quam amplificationem notitiarum vltra omnes experientiae terminos dilatatam, polliceri videbatur, ſi eam recte intellexerimus, nihil in ſe continet, niſi principia regulatiua, quae vnitatem quidem praecipiunt maiorem, quam vſus intelligentiae empiricus adſequi poſſit, verum eo ipſo, quod metam appropinquationis eius tam longe proferunt, conuenientiam illius cum ſe ipſo per vnitatem ſyſtematicam ad ſummum gradum perducunt, quibus autem perperam intellectis, ſumtisque pro principiis conſtitutiuis notitiarum transſcendentium, per ſpeciem ſplendidam illam quidem, ſed fallacem, opinio ſcientiaque putatitia, iis autem repugnantiae et concertationes ſempiternae gignuntur.

* * *

Ex iis, quae hactenus diſputauimus, planum eſt, omnem cognitionem humanam primordia capere a viſionibus, inde ad conceptus proficiſci, tandemque in ideis

finiri. Quamuis ea reſpectu omnium trium elementorum fontes habeat cognoſcendi ex anticipatione, qui primo quaſi adſpectu vniuerſos experientiae terminos videantur aſpernari, tamen critica abſoluta perſuademur, vniuerſam rationem vſu contemplatiuo cum hiſce elementis numquam poſſe vltra campum experientiae, quae eſſe poſſit, venire, propriumque hanc ſupremam cognoſcendi facultatem hunc ſibi finem propoſitum habere, vt ea viis omnibus vtatur earumque decretis, quo naturam ex omnibus, quae eſſe poſſunt, vnitatis principiis vsque ad interiora perſequatur, numquam autem terminos illius transuolet, extra quos nihil quidquam nobis apparet, niſi ſpatium inane. Atque inueſtigatio critica enunciationum omnium, quibus reapſe poteſt cognitio noſtra vltra veram experientiam dilatari, in analytica transſcendentali, nobis quidem perſuaſit, eas non poſſe ad aliquid, niſi ad experientiam poſſibilem, ducere, et niſi ipſis clariſſimis perceptis (theorematibus) abſtractis et vniuerſalibus diffideremus, niſi iucunditate ſpecieque proſpectuum illiceremur, vt vim coactionemque illorum (perceptorum) reiiceremus, ſane quidem interrogatione omnium teſtium dialecticorum moleſta, qui ab ratione transſcendentali in gratiam appellantur petitionum illius, potuiſſemus ſuperſedere; etenim iam ante nouimus certiſſime, omnem eius ſententiam fortaſſe a bono quidem conſilio profectam, verum prorſus irritam eſſe debere, ſi quidem notitiam attingebat, quae nemini vmquam homini poteſt concedi. Sed, quoniam nullus ſermonum finis erit, niſi veram ſpeciei cauſam aperuerimus, qua vel acutiſſimus quisque facile poteſt decipi, omnisque cognitionis noſtrae transſcendentis reſolutio in elementa (tamquam ſtudium quoddam naturae noſtrae internae) per ſe ipſa haud parui aeſtimanda videtur, non ſolum neceſſarium fuit, vt haec tota, quamuis vana, rationis contemplatiuae tractatio vsque ad primos fontes fuſe inquireretur, ſed, cum ſpecies dialectica tum quoad iudicium fallax, tum ratione inuitamenti, quod hic in iudicio capimus, et illecebroſa ſit, ſemper-

que naturae noſtrae conſentanea, et in poſterum quoque manſura videatur, vtile erat, quaſi acta huiusce litis plenius componere, eaque in tabulario rationis humanae, ad errores futuros ſimilis generis cauendos, deponere.

II.

METHODOLOGIA TRANSSCENDENTALIS.

Si complexum vniuerſae cognitionis rationis purae et contemplatiuae tamquam aedificium conſidero, cuius ſaltem in nobis ideam habemus, dicere poſſum: in doctrina elementari transſcendentali materiam computauimus et conſtituimus, cuinam aedificio, qualique altitudini eius et firmitate ſuppetat. Sane quidem, quamuis turrim, quae vsque ad coelum pertineret, in animo haberemus, vidimus, copiam materiarum duntaxat ſufficere ad habitationem, quae in plano experientiae ſolo ſpatioſa ſatis et ampla eſſet altaque, ad negotia noſtra perluſtranda; verum audax inceptum illud per materiae penuriam male oportuiſſe ſuccedere, ne habita quidem ratione confuſionis linguae, qua operae de forma ac deſcriptione aedificii neceſſario deberent diſſentire, et per totum orbem diſſipari, vt pro ſuo quisque propoſito ſeparatim accolerent. Iam nobis non tam de materiis agitur, quam potius de forma, et, moniti, ne ad arbitrariam delineationem caecam, quae omnem fortaſſe facultatem noſtram poſſet ſuperare, periclitemur, nihilominus tamen conſtitutionem domicilii fixi haud fere poſſumus mittere, vtque conſilium capiamus de aedificio ratione copiae nobis datae, noſtraeque neceſſitati ſimul conſentanea.

Quamobrem doctrinam methodicam transſcendentalem conſtitutionem dico conditionum formalium plenioris ſyſtematis rationis purae, Quo quidem conſilio de *diſciplina* agemus, de *canone*, de *architectonica*, tandemque de *hiſtoria* rationis purae, eaque reſpectu transſcendentali praeſtabimus, quae nomine *logices practicae*, ratione vſus intelligentiae vniuerſe in ſcholis quaeruntur, ſed male efficiuntur; quoniam, cum logica vniuerſalis ad nullam peculiarem intelligentiae cognitionem (veluti non ad puram), neque ad certas obiectas res adſtricta ſit, illa, niſi ex aliis doctrinae partibus notitias hauriat, nihil magis poteſt efficere, quam vt titulos viarum poſſibilium, vocabulaque technica, quibus reſpectu rationis ſyſtematicae in variis

ſcientiis vtimur, proponat, quae tironem cognitione imbuant nominum, quorum ſignificationem vſumque aliquando demum debeat noſcere.

METHODOLOGIAE TRANSSCENDENTALIS

CAPUT PRIMUM.

Diſciplina rationis purae.

Iudicia non ſolum quoad formam logicam, verum etiam materiam, negantia haud ita bene apud homines audiunt diſcendi ardore inflammatos; quid? quod ea, tamquam inimici inuidioſi appetitus cognoſcendi noſtri ad amplificationem indefeſſe tendentis habentur, ac propemodum apologia quadam opus eſt, vt ea tantummodo tolerentur, nedum gratia atque aeſtimatione ornentur.

Ac *logice* quidem omnia, quae volueris, enunciata poſſunt negatiue efferri, ratione materiae autem cognitionis noſtrae in vniuerſum, vtrum ea amplificetur iudicio quodam, an circumſcribatur, proprium negotium negantium eſt, vt *error* iis *arceatur*. Quamobrem enunciationes negatiuae, quibus falſa debet cognitio arceri, vbi tamen numquam error eſſe poteſt, admodum verae illae quidem ſunt, ſed tamen inanes, id eſt, fini ſuo haud conuenientes, atque ob eam ipſam cauſam ſaepenumero ridiculae. Velut ſententia iſtius declamatoris: Alexandrum nullas potuiſſe ſine exercitu prouincias occupare.

Vbi vero carceres cognitionis noſtrae poſſibilis nimis arcti atque anguſti, ſtimulus iudicandi magnus, ſpecies, quae oſtenditur, admodum fallax, noxaque erroris grauiſſima eſt, ibi *negatiua* inſtitutionis ratio, apta tantummodo ad nos contra errores muniendos, maius pondus habet, quam multae inſtitutiones poſitiuae, quibus cognitio noſtra poſſet augeri. Et *coactionem* quidem, qua perpetua a certis regulis deflectendi propenſio coërcetur, tandemque deletur, *diſciplinam* vocamus. Haec

quidem diuerſa eſt a *cultura*, quae ſolum *habitum* quendam comparare debet, neque tamen, qui iam adeſt, alium contra tollere. Quocirca ad formandam naturae dotem quandam, quae iam per ſe ipſa eſt inſtructa appetitu ſeſe exſerendi, diſciplina quidem *negatiue* aliquid conferet, cultura vero atque doctrina *poſitiue*.

Temperamentum, itemque iudolem, quae libenter libere mouentur (veluti phantaſia, ingeniumque), vario reſpectu diſciplina quadam opus habere, quisque facile concedet. Verum rationem, cui proprie competit, vt vniuerſis aliis conatibus diſciplinam praeſcribat, ipſam ea indigere, ſane quidem mirum videbitur, eaque profecto quidem eiusmodi caſtigationi adhuc ſe ſubterduxit, quoniam in pompa illa, doctoque decore, quo ea ſe oſtendit, nemini poterat facile ſuſpicio oboriri luſus leuis cuiusdam, in fictionibus pro conceptibus, verbisque pro rebus tractandis.

Nulla opus eſt critica rationis in vſu empirico, ſi quidem eius decreta in lapide Lydio experientiae perpetuo examini ſubiiciuntur; neque item in matheſi, vbi conceptus illius in viſione pura continuo debent in ſingulo (concreto) proponi, eoque quodque falſum atque arbitrarium ſtatim aperitur. Vbi autem nec viſione empirica, nec pura ratio in orbita quadam conſpicua tenetur, nimirum in vſu ſuo transſcendentali, ex ſolis conceptibus, ibi illi adeo opus eſt diſciplina quadam, propenſionem ipſius ad amplificationem vltra anguſtos experientiae poſſibilis carceres domante, eamque ab extrauagatione atque errore arcente, vt vel vniuerſa philoſophia rationis purae in hac ſola vtilitate negatiua verſetur. Erroribus ſingularibus per *cenſuram* poteſt, cauſisque illorum per criticam mederi. Vbi autem, vti in ratione pura, totum ſyſtema quoddam illuſionum praeſtigiarumque deprehenditur, bene inter ſe inuicem copulatarum, communibusque ſub principiis coniunctarum, ibi peculiaris quaedam eaque negatiua requiri legislatio videtur, quae nomine inſignita *diſciplinae* ex natura rationis rerumque vſui illius puro ſubiectarum

quoddam quaſi ſyſtema cautionis ſuique ipſius explorationis conſtituat, per quod nulla ſpecies falſa poteſt atque argutans conſtare, ſed continuo, vtcumque ea rationibus excuſetur, prodere ſeſe, neceſſe eſt.

Sed probe notandum eſt: in altera hac parte critices transſcendentalis, criticam rationis purae haud ad materiam memet, ſed duntaxat ad viam cognitionis ex ratione pura dirigere. Prius iamiam factum eſt in doctrina elementari. Verum vſus rationis, ad quam ille cumque rem obiectam adhibeatur, tantam ſimilitudinem habet, et nihilominus, quatenus eſſe transſcendentalis debet, ſimul ab omni alio tam ſimpliciter ex natura ſua diuerſus eſt, vt, ſine doctrina negatiue monente cuiusdam diſciplinae praecipue ad id conſtitutae, nequeant errores vitari, qui neceſſario debent oriri ex inepta obſeruatione eiusmodi viarum, quae alibi quidem, verum non hoc loco, rationi conuenirent.

CAPITIS PRIMI

SECTIO PRIMA.

Diſciplina rationis purae in vſu dogmatico.

Matheſis exemplo eſt egregio rationis, ſine ope experientiae, ſponte ſeſe cum felici ſucceſſu amplificantis. Sed exempla vim habent corrumpendi, eam praeſertim facultatem, quae per naturam ſperat, eumdem ſeſe in aliis rebus ſucceſſum habituram, quem in vna cauſa experta eſt. Inde ratio pura ſperat in vſu transſcendentali eodem euentu eademque perfectione amplificari poſſe, quo ei ſucceſſit in mathematico, ſi eam praeſertim viam ibi inſtituat, quam hic cum tanta tamque maniſeſta vtilitate ingreſſa eſt. Quamobrem permultum intereſt, vt ſcias: an via ad firmitatem animi apodicticam perueniendi, quam in poſteriori ſcientia *mathematicam* vocamus, eadem dum ea ſit, qua eandem animi firmitatem quaerimus in philoſophia, quaeque ibi dici *dogmatica* deberet.

Cognitio *philoſophica* cernitur in notitia rationali ex conceptibus hauſta, ſed cognitio *mathematica* continetur notitia e *conſtructione* conceptuum exorta. Sed conceptum conſtruere dicimus, cum, quae ei reſpondeat, viſionem puram proponimus ex anticipatione. Igitur ad conſtructionem conceptus viſio requiritur haud *empirica*, quae proinde, qua viſio, in re ſingulari verſetur, ſed quae nihilominus, vtpote conſtructio conceptus (repraeſentationis vniuerſalis) valorem omnibus, quae eſſe poſſunt, viſionibus, eodem conceptu comprehenſis, communem enunciet in repraeſentatione. Sic conſtruo triangulum, dum rem, quae huic conceptui reſpondet, aut per ſolam phantaſiam in viſione pura, aut ad illam quoque in charta in viſione empirica propono, ſed vtrumque prorſus ex anticipatione, ita quidem, vt exemplar illius ex nulla quapiam experientia habeam depromtum. Figura ſingularis deſcripta eſt empirica, et nihilominus facit ad conceptum, ſalua vniuerſalitate eius, exprimendum, ſi quidem in hac viſione empirica ſemper duntaxat actio conſtruendi conceptum ſpectatur, ad quem multae determinationes, exempli gratia quantitatis, laterum, angulorum, nihil prorſus interſunt, et proinde ab hiſce diuerſitatibus, quibus trianguli conceptus nihil mutatur, nosmet continemus.

Quamobrem cognitio philoſophica particulare duntaxat conſiderat in vniuerſali, ſed mathematica vniuerſale in particulari, atque adeo in ſingulo, ſed tamen ex anticipatione atque interuentu rationis, ita quidem, vt, quemadmodum hoc ſingulum certis quibusdam conditionibus vniuerſalibus determinatum eſt conſtructionis, ſic itidem res conceptui ſubiecta, cui hoc ſingulum tantummodo reſpondet qua ſchema illius, oporteat vniuerſe determinata cogitari.

Itaque in hac forma poſitum eſt diſcrimen internum harum ambarum partium cognitionis rationalis, neque in diuerſitate materiae reiue obiectae conſiſtit. Fuerunt, qui philoſophiam a matheſi eo ſecerni putarent, vt philoſophiae *qualitatem* dicerent, quaſi materiam, quam

tractet, ſubiectam eſſe, ſed *quantitatem* matheſi. Verum iſti effectum pro cauſa ſumſerunt. Forma cognitionis mathematicae in cauſa eſt, cur ea tantummodo poſſit ad quanta referri. Namque ſolus quantitatum conceptus poteſt conſtrui, id eſt, ex anticipatione in viſione proponi; ſed qualitates non poſſunt niſi in viſione empirica proponi. Inde fit, vt cognitio illarum rationalis eſſe duntaxat per conceptus queat. Sic nemo, quae conceptui realitatis reſpondeat, viſionem aliunde poteſt, quam ab experientia, depromere, numquam autem ex anticipatione ex ſe ipſo atque ante conſcientiam empiricam illius fieri particeps poterit. Figura conica ſine vllo adiumento empirico, ex ſolo conceptu, effici poterit, vt queat videri (intuitiua), ſed color huiusce coni ante ſit, neceſſe eſt, per vnam alteramue experientiam data. Conceptum cauſae in vniuerſum nullo pacto poſſum in viſione oſtendere, niſi in exemplo quodam per experientiam mihi ſubminiſtrato, et ſic porro. Caeterum philoſophia perinde ac matheſis tractat de quantitatibus, velut de vniuerſitate, de infinitate, et quae ſunt generis eiusdem. Iam vero matheſis in diſcrimine verſatur linearum et ſuperficierum, vtpote ſpatiorum, qualitatis diuerſae, in continuitate extenſionis, tamquam illius qualitate. Verum, quamquam in eiusmodi caſibus vtrique res ſubiecta eſt communis, tamen modus eam per rationem tractandi prorſus alius eſt philoſophice ſpectatus, ac mathematice. Philoſophia tota pendet e conceptibus vniuerſalibus, matheſis nil quidquam poteſt ſolis conceptibus efficere, ſed ſtatim properat ad viſionem, in qua conceptum ſpectat in ſingulo, ſed tamen haud empirice, ſed duntaxat in ea, quam proponit ex anticipatione, id eſt, quam conſtruxit, atque in qua id, quod e conditionibus conſtructionis vniuerſalibus ſequitur, etiam vniuerſe valeat de re conceptui conſtructo ſubiecta.

Philoſopho conceptum proponas trianguli, vt ad viam ſuam rationemque anquirat, quomodo ſumma ſe habeat angulorum illius ad rectum. Nihil is habet

praeter conceptum figurae, tribus rectis lineis incluſae, in eaque conceptum totidem angulorum. Iam, quamdiu voluerit, conceptum inueſtiget, nihil inde quidquam noui eliciet. Conceptum lineae rectae poteſt, anguliue, aut numeri ternarii, diſſoluere et dilucidum reddere, minime autem ad alias proprietates peruenire, in hiſce conceptibus haud complexas. Verum geometra hanc ſibi quaeſtionem proponat. Continuo is incipit inde, vt triangulum conſtruat. Quoniam nouit, duos angulos rectos coniunctim eſſe tantum, quantum omnes anguli tangentes coniuncte, qui e puncto quodam duci poſſunt in linea recta, vnum latus trianguli producit, vnde duos accipit angulos tangentes, duobus rectis coniunctim aequales. Nunc externum horum angulorum diuidit, ducta linea lateri trianguli e contrario oppoſito parallela, videtque, hic angulum tangentem oriri externum, interno aequalem, et ſic porro. Tali modo per concluſionum catenam, ſemper a viſione, quaſi manu, ductus, ad quaeſtionis ſolutionem prorſus perſpicuam, eamdemque peruenit vniuerſalem.

Sed matheſis non ſolum quanta conſtruit, vti geometrae, verum etiam quantitatem ſolam, quemadmodum in computatione literarum, in quo quidem a qualitate obiectae rei, quae ex eiusmodi conceptu debet quantitatiuo cogitari, prorſus ſeſe continet. Tum certum eligit ſignum omnium conſtructionum quantitatum in vniuerſum (numeros, vt additionis, ſubtractionis, idque genus aliorum) extractionum radicum, conceptuque quantitatum vniuerſali ex diuerſis illius proportionibus itidem deſignato, vniuerſam tractationem, quae quantitate gignitur et mutatur, ex certis regulis vniuerſalibus proponit in viſione; vbi vna quantitas debet per alteram diuidi, vtriusque characteres ex forma diuiſionis inſigniente componit, et ſic porro, atque ita ope conſtructionis ſymbolicae perinde, ac geometria e conſtructione oſtenſiua ſiue geometrica (ipſarum rerum obiectarum) eodem illa peruenit, quo cognitio diſcurſiua non poteſt ex ſolis conceptibus vnquam pertinere.

Ecquae cauſa fuerit huiusce conditionis tam diuerſae, in qua duo artifices rationales verſantur, quorum alter viam ex conceptibus inſtituit, alter ex viſionibus, quas conceptibus conuenienter ex anticipatione proponit? Ex principiis transſcendentalibus ſupra tractatis cauſa in aprico eſt. Hoc loco non agitur de enunciatis analyticis, quae ſola poſſunt conceptuum diſſolutione gigni (in quo quidem philoſophus ſine dubio de riuali ſuo triumpharet), ſed de ſyntheticis, et iis quidem, quae ex anticipatione debent cognoſci. Neque enim id ſpectandum eſt, quid in conceptu trianguli cogitem (quod quidem nihil eſt, niſi definitio), ſed meum eſt potius, vt vltra illum ad proprietates progrediar, in hoc conceptu non complexas, ſed ad illum tamen pertinentes. Atqui hoc aliter fieri non poteſt, quam vt obiectam rem ex conditionibus aut viſionis empiricae determinem, aut purae. Priori ratione tantummodo enunciatio empirica (ex angulis eius dimetiendis) efficeretur, cui nulla ineſſet vniuerſalitas, nedum neceſſitas, de cuiusmodi enunciationibus non ſermo eſt. Altera ratio cernitur in conſtructione mathematica, et hoc quidem loco geometrica, cuius ope in viſione pura, perinde atque in empirica, varia, quae ad ſchema trianguli generatim pertinent, ideoque ad eius conceptum, adiungo, quo ſane debent conſtrui enunciationes ſyntheticae vniuerſales.

Fruſtra igitur de triangulo philoſopharer, id eſt, discurſiue cogitarem, neque digitum longius progrederer, quam ad ſolam definitionem, vnde vero aequum foret proficiſci. Eſt quidem ſyntheſis quaedam transſcendentalis e meris conceptibus, ſoli viciſſim ſuccedens philoſopho, quae autem numquam plus attingit, quam rem vniuerſe, quibus conditionibus poſſit eius perceptio ad poſſibilem experientiam pertinere. Sed in problematibus mathematicis hac de re omninoque de exſiſtentia neutiquam quaeſtio eſt, verum de proprietatibus rerum obiectarum per ſe ipſarum, duntaxat quatenus hae ſunt cum earum conceptu coniunctae.

Exemplo allato tantummodo voluimus docere, quantum vſus rationis diſcurſiuus ex conceptibus diſtet ab intuitiuo per conceptuum conſtructionem. Iam quaeritur, quae cauſa ſit, quae duplicem illum rationis vſum efficiat neceſſarium, in quibusque legibus poſſit cognoſci, vtrum prior tantummodo locum habeat, an etiam poſterior.

Vniuerſa cognitio noſtra poſtremo ſpectat viſiones poſſibiles: quippe quibus ſolis res obiecta datur ac proponitur. Iam conceptus ex anticipatione (conceptus haud empiricus) aut viſionem puram iamiam in ſe continet, ac tum poteſt conſtrui; aut nil niſi ſyntheſin viſionum poſſibilium, ex anticipatione haud quaquam datorum, tum vero per illum quidem ſynthetice poteſt atque ex anticipatione iudicari, verum modo diſcurſiue, ex conceptibus, ſed numquam intuitiue per conceptus conſtructionem.

Iam viſionum omnium nulla eſt ex anticipatione data, praeter ſolam formam phaenomenorum, ſpatium tempusque, conceptusque horum, vtpote quantorum, aut vna cum qualitate illorum (figura), aut ſola eorum quantitas (ſola ſyntheſis variorum ſimilium) per numerum ex anticipatione poteſt in viſione proponi, hoc eſt, conſtrui. Sed materia phaenomenorum, qua *res* in ſpatio nobis ac tempore offeruntur, in ſola perceptione poteſt, proinde ex adſumto (a poſteriori) repraeſentari. Vnus conceptus, quo haec empirica phaenomenorum materia ex anticipatione repraeſentatur, eſt conceptus *entis* in vniuerſum, et cognitio illius ſynthetica ex anticipatione nihil amplius poteſt, quam ſolam regulam ſyntheſeos eorum, quae dare poterit perceptio aduentitia (a poſteriori), numquam autem viſionem obiectae rei realis ex anticipatione ſuppeditare, propterea quod haec neceſſario debet eſſe empirica.

Enunciationes ſyntheticae, ſpectantes *res* vniuerſe, quarum non poteſt ex anticipatione viſio proponi, ſunt transſcendentales. Quocirca enunciationes transſcen-

dentales numquam per conſtructionem conceptuum poſſunt, ſed tantummodo ex conceptibus ex anticipatione dari. Continent illae ſolam regulam, ad quam certa quaedam vnitas ſynthetica eorum, quae non poſſunt ex anticipatione intuitiue repraeſentari (perceptionum), quaeri debeat empirice. Sed ne vllum quidem ſuorum conceptuum in vllo quopiam caſu poſſunt ex anticipatione proponere, ſed tantum ex aduentitio (a poſteriori), interuentu experientiae, quae ex iis demum decretis ſyntheticis, vt eſſe queat, efficitur.

Si de conceptu quodam iudicare ſynthetice debemus, ex hocce conceptu egrediamur, oportet, et quidem ad viſionem, in qua datus ille videtur. Etenim ſi in eo ſubſiſteremus, quod in conceptu contentum eſt, iudicium iſtud tantummodo analyticum foret, explicatioque cogitati, ex iis, quae reapſe illo continentur. Verum a conceptu ad viſionem puram poſſum empiricamue, quae illi reſpondeat, pergere, vt in ea illum in ſingulo conſiderem, quodque rei illi ſubiectae competat, ex anticipatione aut ex adſumto cognoſcam. Superiori modo cognitio continetur rationalis et mathematica per conceptus conſtructionem, altero ſola cognitio empirica (mechanica), quae numquam poteſt enunciationes neceſſarias et apodicticas largiri. Sic conceptum auri poſſem empiricum diſſoluere quaſique diſſecare, neque tamen ea re plus lucrari, quam vt vniuerſa, quae in hoc verbo vere cogito, queam dinumerare, quo quidem cognitio logice emendatur, nec vero augetur, nec capit acceſſionem. Verum materiam ſumo, hoc nomine obuiam, eamque ſubiicio perceptionibus, quae varias mihi enunciationes ſyntheticas, ſed empiricas, ſuppeditabunt. Conceptum trianguli mathematicum conſtruerem, id eſt, ex anticipatione in viſione proponerem, atque hac in via cognitionem ſyntheticam adipiſcerer, ſed rationalem. Verum, ſi conceptus transſcendentalis cuiuspiam realitatis, ſubſtantiae, virium, et id genus aliorum, datus mihi fuerit, is neque viſionem empiricam denotat, neque puram, ſed ſolam ſyntheſin viſionum empiricarum (quae

proinde non poſſunt ex anticipatione proponi), ideoque ex illo haud ex anticipatione poteſt ad viſionem, quae illi reſpondeat, ſyntheſis progredi, etiam nulla determinans enunciatio ſynthetica poteſt enaſci, ſed tantum decretum ſyntheſeos, *) quae eſſe poſſunt, viſionum empiricarum. Ergo pronunciatum transſcendentale cernitur in cognitione rationali ſynthetica ex ſolis conceptibus, et proinde diſcurſiua, propterea quod omnis cognitionis empiricae vnitas ſynthetica, vt eſſe poſſit, eo demum efficitur, nulla vero viſio proponitur eo ex anticipatione.

Quocirca duplex vſus rationis eſt, qui, nullo reſpectu habito vniuerſalitatis cognitionis eiusque ex anticipatione generationis, quas habent communes, tamen in progreſſu eſt longe diuerſus, et idcirco quidem, quoniam in phaenomeno, quippe quo omnes nobis res obiectae proponuntur, duo inſunt: et forma viſionis (ſpatium tempusque), quae prorſus ex anticipatione cognoſci poteſt atque conſtitui, et materia (phyſicum), ſiue contentum, quod quiddam denotat, quod in ſpatio ac tempore deprehenditur, proinde exſiſtentiam in ſe continet, ſenſationique reſpondet. Ratione materiae, quae non poteſt determinate, niſi empirice proponi, nihil quidquam poſſumus ex anticipatione habère, praeter conceptus indeterminatos ſyntheſeos poſſibilium ſenſationum, quatenus eae ad vnitatem pertinent apperceptionis (in quadam, quae eſſe poteſt, experientia). Ratione formae conceptus noſtros in viſione poſſumus ex anticipatione conſtituere, dum nobis ipſi in ſpatio ac tempore res obiectas per ſyntheſin aequalem creamus, eas vt ſola quan-

*) Interueniente conceptu cauſae reapſe ex conceptu euenti (cum aliquid fit) empirico egredior, ſed non ad viſionem, quae conceptum cauſae proponit in ſingulo, verum ad conditiones temporis vniuerſe, quae in experientia poſſint conceptui cauſae conuenientes reperiri. Igitur ſolum in ea re verſor ex conceptibus, nec poſſum ex conſtructione conceptuum verſari, propterea quod conceptus cernitur in regula ſyntheſeos perceptionum, quae nullae ſunt viſiones purae, ideoque non poſſunt ex anticipatione dari atque proponi.

ta ſpectamus. Ille rationis vſus dicitur ex conceptibus, propterea quod non poſſumus niſi phaenomena quoad materiam realem ſubiicere conceptibus, quae non queunt niſi empirice, id eſt, ex aduentitio (ſed conceptibus illis, qua regulis ſyntheſeos empiricae conuenienter), conſtitui; hic cernitur in vſu rationis per conceptuum conſtructionem, propterea quod hi, cum iam viſionem ſpectent ex anticipatione, ob eam ipſam cauſam etiam ex anticipatione et ſine omnibus datis empiricis determinate dari in viſione pura poſſunt. Vniuerſa, quae ſunt (res in ſpatio aut tempore), contemplare, an et quatenus eae quanta ſint nec ne, exſiſtentiam in iis defectumue repraeſentari debere, quatenus illud quiddam (ſpatium tempusque complens) primum aliquod ſubſtratum ſit, aut ſola determinatio, adfectionem exſiſtentiae ad aliud quid habeat, vti cauſa effectumue, tandemque ſolitarium ſit, an pendeat viciſſim ex aliis ratione exſiſtentiae, et poſſibilitatem huiusce exſiſtentiae, et exſiſtentiam, et neceſſitatem, aut eius contraria conſiderare: haec omnia pertinent ad cognitionem rationalem e conceptibus, quam dicimus *philoſophicam*. Verum in ſpatio viſionem conſtituere ex anticipatione (figura), tempus deſcribere (duratio), aut duntaxat vniuerſalitatem ſyntheſeos vnius eiusdemque in tempore ſpatioque, quantitatemque inde enaſcentem viſionis cuiusdam in vniuerſum cognoſcere (numerus), *opus* eſt *rationis* per conſtructionem conceptuum, quod *mathematicum* appellatur.

Ex magno illo ſucceſſu, quem ratio habet ex matheſi, non poteſt non enaſci ſuſpicio, fore, vt, niſi in ea ipſa, certe in via illius, extra campum quantorum itidem ſuccedat, propterea quod omnes illa conceptus ſuos ad viſiones reuocat, quas dare poteſt ex anticipatione, quibusque, vt ita dicam, ſumma rerum potitur naturae: cum e contrario philoſophia pura cum conceptibus diſcurſiuis ex anticipatione in natura rerum circumvagetur, neque tamen realitatem illorum queat ex anticipatione intuitiuam reddere, atque hoc ipſo ei fidem fa-

cere. Iam vero magiſtris huius artis haec fiducia in ſe ipſis; reique publicae exſpectationes magnae de illorum ſolertia, ſi ſemel id negotii ſuſcipiant, haud videntur deeſſe. Cum enim vix vnquam de matheſi ſua philoſophati ſint (arduum ſane negotium!), fit, vt discrimen ſpecificum alterius rationis vſus ab altero haud quaquam iis veniat in mentem. Tum tritae regulae atque empirice vſurpatae, a ratione vulgari depromtae, iis ſunt inſtar axiomatum. Vnde ſpatii temporisque conceptus, in quibus (ſolis quippe quantis originariis) iis naſcantur, illud eorum nil quidquam intereſt, itidemque iis videtur inutile, originem conceptuum purorum intelligentiae, ſimulque etiam compagem illorum anquirere, ſed iis duntaxat volunt vti. Et recte quidem haec omnia, ſi modo limitem iis deſignatum, nempe naturae, haud migrarent. Verum e campo facultatis ſenſitiuae ſenſim paullatimque deflectunt in territorium conceptuum purorum ipſorumque transſcendentalium, vbi inſtabilis tellus, innabilis vnda iis officiunt, ne natent, atque vbi tantummodo leui paſſu poteſt incedi, cuius ne minimum quidem veſtigium remanet, cum contra iter illius in matheſi viam efficiat, quae a remotiſſima poſteritate tuto poteſt inſtitui.

Cum nobis hoc officium iniunxerimus, vt terminos rationis purae in vſu transſcendentali accurate certoque conſtitueremus, hoc vero conatus genus id peculiare ſibi habeat, vt, neglectis monitis grauiſſimis et euidentiſſimis, ſpe ſeſe ysque patiatur lactari, priusquam conſilium mittatur, vltra experientiae limites in regiones amoenas rerum intellectualium perueniendi: neceſſarium videtur, vt vltimam quaſi ancoram ſpei phantaſia abundantis tollamus, atque oſtendamus, viam mathematicam nullum prorſus nobis poſſe in hac cognitionis parte commodum adferre, niſi fortaſſe hoc, vt ſuam ipſius nuditatem eo apertius manifeſtet, geometriamque et philoſophiam duas res eſſe prorſus diuerſas, quamuis in phyſica altera alteri manum praebeat, proinde rationem vnius non poſſe alterius rationem imitari.

Euidentia matheſeos poſita eſt in definitionibus, axiomatibus, demonſtrationibus. Mihi ſatis erit, ſi oſtendero: nullam harum partium, eo ſenſu poſſe, quo mathematicus eas ſumit, a philoſophia praeſtari aut imitando effici. Geometra ex ratione ſua non niſi aedificia conficiet chartacea in philoſophia, philoſophus ad ſuam viam in parte matheſeos tantummodo poterit nugas mouere, quamquam philoſophia in eo ipſo conſiſtit, vt fines norit ſuos ac terminos, ipſeque mathematicus, niſi forte indoles eius iam ab natura circumſcripta fuerit ad ſuamque rationem incluſa, monita philoſophiae non negligere debet, neque poſthabere.

1. De *definitionibus*. Definire, vt ipſum verbum declarat, proprie tantummodo idem debet notare, atque plenum rei conceptum intra eius terminos originarie proponere. *) Quae cum ita ſint, patet, nullum prorſus poſſe conceptum empiricum definiri, ſed tantummodo explicari. Cum enim in eo tantummodo quasdam notas certi cuiusdam generis habeamus rerum ſenſibus ſubiectarum, numquam eſſe certi poterimus, num in vocabulo, quo ea res deſignatur, alio tempore plures, alio pauciores notas illius cogitemus. Sic alius in conceptu *auri* poteſt praeter pondus, colorem, tenacitatem, adhuc proprietatem cogitare, illud rubiginem haud contrahere, alius fortaſſe illud ignorare. Certis quibusdam notis vtimur duntaxat, dum ad diſcernendum idoneae videntur; nouis obſeruationibus aliae notae tolluntur, aliae adiiciuntur, proinde numquam intra certos terminos conceptus includitur. Ecquid etiam attineret, eiusmodi conceptum definire, cum, ſi exempli gratia de aqua eiusque proprietatibus ſermo eſt, in iis haud im-

*) *Plenitudo* deſignat claritatem notarum et ſufficientiam; *termini* denotant diligentiam (praeciſion), nempe vt earum ne plures ſint, quam quae ad plenum conceptum pertineant; *originarie* autem hanc vim habet, vt ne iſta terminorum conſtitutio aliunde deriuata ſit, ideoque adhuc probatione opus habeat, quo definitio putatitia efficeretur, vt ne in fronte poſſit eſſe indiciorum omnium de re quadam obiecta.

moraturi ſimus, quae in vocabulo aquae cogitamus, ſed experimenta adgrediamur, cumque vocabulum, cum paucis notis illis ei adhaerentibus, duntaxat deſcriptionem rei efficere debeat, non conceptum, proinde definitio putatitia non niſi in determinatione verbi verſetur. Deinde, vt, quod res eſt, dicam, nullus poteſt conceptus ex anticipatione datus definiri, veluti ſubſtantia, cauſa, ius, aequitas, et caetera generis eiusdem. Numquam enim certus eſſe poſſum, repraeſentationem diſtinctam dati cuiusdam conceptus (adhuc confuſi) plene eſſe enodatam, niſi illum obiectae rei eſſe adaequatum ſciam. Cum autem eius conceptus, prout datus eſt, multas poſſit repraeſentationes continere obſcuras, quas in analyſi praetermittimus, quamuis illas quidem ſemper in vſu opus habeamus: plenior analyſeos ratio conceptus mei ſemper dubia erit, neque non niſi exemplis multifariam obuiis reddi probabilis poterit, ſed numquam apodictice certus. Pro voce: definitio, vterer potius vocabulo *expoſitionis*, quod eſt modeſtius, atque per quod criticus ad certum quendam gradum poteſt eam concedere, et nihilominus tamen de ratione plena adhuc dubitare. Cum igitur conceptus haud queant, neque empirice dati, neque ex anticipatione, definiri, nulli relinquentur alii, in quibus poſſit hoc artificium tentari, quam qui ſunt ex arbitratu cogitati. Tum ſemper poſſum conceptum meum definire; neceſſe eſt enim, vt, quid cogitare voluerim, ſciam, cum eum ipſe de induſtria formauerim, neque per naturam intelligentiae mihi datus ſit, neque per experientiam, ſed non poſſum dicere, eo me obiectam rem quandam veram definiiſſe. Namque, ſi conceptus in conditionibus poſitus ſit empiricis, veluti horologium nauale, res obiecta eiusque poſſibilitas nondum hocce conceptu arbitrario datur; ex eo enim ne quidem ſcio, an is omnino re obiecta gaudeat, meaque explicatio potius declaratio (conſilii mei) dici poterit, quam definitio cuiusdam rei obiectae. Ergo nulli conceptus relinquentur alii, ad definiendum apti, quam quibus ſyntheſis continetur arbitraria, quae conſtrui poteſt ex anticipatione, proinde definitionibus ſola gau-

det matheſis. Si quidem, quam ea cogitat, obiectam rem etiam ex anticipatione proponit in viſione, eaque profecto nec plus poteſt nec minus continere, quam conceptus, quoniam per definitionem conceptus obiectae rei originarie, id eſt, ita datus erat, vt definitio ab nulla re quapiam deriuaretur. Igitur definitiones, quas dicunt, philoſophicae tantummodo in expoſitionibus conceptuum verſantur datorum, ſed mathematicae in conſtructionibus conceptuum originarie efformatorum, illi duntaxat analytice ex diſſolutione qualique diſſectione (cuius plena ratio non eſt apodictice certa), hi ſynthetice efficiuntur, proinde ipſi conceptum conſtituunt, quem illi contra tantummodo explicant atque exponunt. Ex quo ſequitur: a) in philoſophia nos non poſſe matheſin imitari, ita vt definitiones praemittamus, niſi duntaxat periculi cauſa. Namque, cum in ſolutionibus cernantur datorum conceptuum, ſequitur, vt hi conceptus, licet confuſi adhuc, antecedant, expoſitioque imperfecta minusque plena plenam perfectamque antecedit, ita vt ex nonnullis notis, ex analyſi nondum abſoluta ductis, multa ante poſſimus colligere, quam ad expoſitionem plenam perfectamque, id eſt, ad definitionem, peruenerimus; verbo, in philoſophia definitione, vtpote perſpicuitate dimenſa, opus potius debere finiri, quam inchoari. *) Contra ea vero in matheſi nullum prorſus ante definitionem conceptum habemus, quippe qua demum conceptus datur, proinde et oportet ea inde ſemper inſtituere, et quoque poteſt.

*) Scatet philoſophia definitionibus mendoſis, iis praeſertim, quae vere quidem elementa definitionis continent, verum nondum plene. Si igitur nullus cuiuſpiam conceptus vſus foret, niſi definiti, male de tota philoſophandi ratione ageretur. Cum autem, quam late elementa (analyſeos) patent, vſus eorum bonus ſemper certusque fieri poſſit, poterunt et mancae definitiones, id eſt, enunciationes, quae nondum definitiones ſunt, verum caeteroquin verae ſunt, et proinde ad eas appropinquationes, perutiliter vſurpari. In matheſi definitio pertinet *ad eſſe*, ſed in philoſophia *ad melius eſſe*. Iucundum eſt, ſi illud attingas, ſed ſaepenumero perdifficile. Adhuc iuriſconſulti definitionem anquirunt conceptus iuris.

b) Definitiones mathematicae numquam poſſunt errare. Etenim, quoniam conceptus per definitionem primum datur, fit, vt is illud ipſum modo contineat, quod per illum definitio vult cogitari. Verum, quamquam quoad materiam nil quidquam falſi in eo poteſt obvenire, tamen nonnumquam, licet raro, in forma (in veſtiendo) poterit peccari, nempe ratione praecifionis. Sic vulgaris definitio lineae orbicularis, quae linea curva ſit, cuius puncta ſingula ab vno (centro) aequaliter diſtent, hoc vitii habet, vt determinatio *curui* inutiliter irrepſerit. Etenim peculiare quoddam perceptum (theorema) ſit, neceſſe eſt, quod ex definitione efficiatur, facileque poſſit probari: quamque lineam, cuius puncta ſingula ab vno aequaliter diſtent, curuam (nullam eius partem rectam) eſſe. Contra definitiones analyticae multis poſſunt modis in vitio eſſe, propterea quod aut notas immiſcent, reapſe haud in conceptu contentas, aut ratione carent plena perfectaque, quae eſſentiam definitionis conſtituit, quoniam de perfectione analyſeos haud ita prorſus certi eſſe poſſumus. Quapropter via ratioque matheſeos in definiendo non poteſt itidem in philoſophia adhiberi.

2. De *axiomatibus*. Axiomata decretis ſyntheticis ex anticipatione continentur. Iam conceptus non poteſt cum alio ſynthetice, et tamen proxime, coniungi, ſi quidem, vt poſſimus quendam conceptum transmigrare, tertia quadam cognitione intermedia opus habemus. Cum autem philoſophia in ſola cernatur cognitione ex conceptibus rationali, nullum in ea poterit decretum inveniri, nomine axiomatis dignum. Contra matheſis capax eſt axiomatum, eo quod interuentu conſtructionis conceptuum in viſione obiectae rei poteſt attributa illius ex anticipatione proximeque coniungere, velut tria puncta ſemper eſſe in planitie. Contra decretum ſyntheticum e ſolis conceptibus numquam poteſt proxime certum eſſe; velut enunciatio: quidquid ſit, cauſam habet, vbi tertium quiddam anquirendum erit, nempe conditio determinationis temporis in experientia qua-

dum, neque directe proximeque e ſolis poteram conceptibus eiusmodi decretum cognoſcere. Igitur decreta discurſiua longe quiddam aliud ſunt, quam intuitiua, hoc eſt, axiomata. Illa ſemper adhuc opus habent deductione, qua haec prorſus poſſunt ſuperſedere, cumque haec ob eam ipſam cauſam euidentia ſint, id quod de decretis philoſophicis, vtcumque certis illis atque indubitatis, numquam poteſt dici, permultum abeſt, vt vllum quodpiam decretum ſyntheticum rationis purae et transſcendentalis tam ad oculos perſpicuum ſit, quam pronunciatum: bis binis effici quatuor. In analytica quidem, in tabula decretorum intelligentiae purae, etiam axiomatum quorundam viſionis mentionem feci; ſed decretum ibi allatum haud ipſum axioma fuit, verum hunc duntaxat vſum habebat, vt eo principium poſſibilitatis axiomatum vniuerſe indicaretur, ipſumque in decreto ex conceptibus verſabatur. Vel enim poſſibilitas matheſeos debet in philoſophia transſcendentali oſtendi. Quocirca philoſophia nulla axiomata habet, neque illi vmquam decreta ſua ex anticipatione ſimpliciter licet imperare, ſed ius ſuum de iis plena perfectaque debet ea deductione ſibi vindicare.

3. De *demonſtrationibus*. Solum argumentum apodicticum, quatenus intuitiuum eſt, dici demonſtratio poterit. Experientia quidem nos docet, quid ſit, nec vero ea oſtendit, illud non poſſe aliter eſſe. Proinde ex rationibus empiricis, nullum poteſt argumentum apodicticum enaſci. Sed e conceptibus ex anticipatione (in cognitione discurſiua) numquam certitudo poteſt intuitiua, id eſt, euidentia, exſiſtere, quantumuis alioquin iudicium apodictice certum fuerit. Ergo ſola matheſis demonſtrationes continet, quippe quae non ex conceptibus, ſed ex illorum conſtructione, id eſt, viſione, quae conceptibus conſentanea poteſt ex anticipatione oſtendi, ſuam cognitionem deriuat. Ipſa via ratioque Algebrae cum pariationibus ſuis, vnde per reductionem veritatem vna cum argumento producit, non geometrica quidem conſtructio eſt, ſed tamen characteriſtica, in qua in

ſignis conceptus, praeſertim proportionis quantorum, in viſione proponuntur, et, ne ſpectata quidem ratione heuriſtica, omnibus concluſionibus eo proſpicitur, quod quaeque illarum ob oculos collocatur. Cum e contrario cognitionem philoſophicam hocce, neceſſe ſit, commodo carere, propterea quod illam vniuerſale ſemper in abſtracto, oportebit (e conceptibus), conſiderare, cum matheſis vniuerſale in concreto (in ſingula viſione) et tamen per repraeſentationem puram poſſit, in qua quodque peccatum conſpicitur, contemplare. Proinde illa *argumenta* potius *acroamatica* (diſcurſiua) dixerim, quoniam duci duntaxat poſſunt ſolis verbis (obiecta re in mente), quam *demonſtrationes*, quae, vti verbum ipſum indicat, in viſione obiectae rei progrediuntur.

Ex his omnibus intelligitur, naturae philoſophiae haud quaquam conuenire, vt, praeſertim in campo rationis purae, inceſſu dogmatico ſuperbiat, titulisque ſeſe et ornamentis matheſeos veſtiat, cuius ab ordine aliena eſt, quamuis ſit, cur coniunctionem cum ea fraternam queat ſperare. Illa in vanis petitionibus verſantur, quae numquam ſuccedere poſſunt, potiusque eius conſilium retractare, praeſtigias rationis terminos ſuos ignorantis aperiendi, atque ope idoneae noſtrorum conceptuum enodationis arrogantiam contemplationis ad modeſtam illam, ſed ſolidam ſui cognitionem reuocandi. Quamobrem ratio in periculis ſuis transſcendentalibus non poterit tam confidenter proſpicere, quaſi, quam profligauit, via prorſus directe ad ſcopum ducat, neque praemiſſis ſuis conſtitutis tam audacter confidere, vt haud opus ſit, ſaepius reſpicere atque attendere, num forte in progreſſu ratiocinationum peccata emergant, in principiis neglecta, quae poſtulent, vt illae aut magis determinentur, aut prorſus immutentur.

Vniuerſas enunciationes apodicticas (ſiue probabiles ſint, ſiue etiam proxime certae) in *dogmata* diuido, et *mathemata*. Enunciatione directe ſynthetica e conceptibus continetur *dogma;* contra ea vero eiusmodi enunciatio per conſtructionem conceptuum eſt *mathema*. Iu-

diciis analyticis proprie nil docemur de re obiecta, niſi quod conceptu praeſenti continetur, quoniam cognitio iis haud vltra ſubiecti conceptum amplificatur, ſed conceptus iis tantummodo illuſtratur. Propterea illa non poſſunt commode dogmata dici. Verum in duabus illis partibus enunciationum ſyntheticarum ex anticipatione, ex communi conſuetudine ſermonis, illae duntaxat poſſunt hoc nomine inſigniri, quae ad cognitionem philoſophicam pertinent, neque quisquam facile enunciationes arithmetices aut geometriae dogmata dixerit. Ergo hocce vſu confirmatur ſententia noſtra, ſola ex conceptibus iudicia, non quae conſtructione conceptuum efficiuntur, dici dogmatica poſſe.

Atqui vniuerſa ratio pura in vſu ſuo ſolo contemplatiuo non vnum continet e conceptibus iudicium directe ſyntheticum. Nam illam ex ideis oſtendimus nullorum prorſus iudiciorum ſyntheticorum, quae valorem habeant obiectiuum, eſſe capacem; per conceptus autem intelligentiae conſtituit illa quidem certa decreta, ſed haud quaquam directe ex conceptibus, ſed ſemper tantummodo indirecte hiſce conceptibus ad quiddam transferendis prorſus fortuitum, nempe, experientiam poſſibilem; tum vero, hac (quopiam, vt re experientiae poſſibili ſubiecta) poſita, ſane apodictice certa poſſunt eſſe, per ſe autem (directe) ex anticipatione ne cognoſci quidem. Sic nemo poteſt enunciationem: quidquid fit, cauſam habet, ex dato hoc conceptu ſolo plene perſpicere. Ergo ea in dogmate verſatur, licet alio reſpectu, nempe ratione ſolius campi vſus ſui poſſibilis, id eſt, experientiae, commode queat atque apodictice euinci. Dicitur autem *decretum*, non *perceptum*, quamuis probari debeat, propterea quod hanc peculiarem proprietatem habet, vt eo ratio illius probandi, quippe experientia, ipſa primo poſſibilis reddatur, atque in hac ſemper debeat anteponi.

Quodſi ergo in vſu contemplatiuo rationis purae etiam quoad materiam nulla prorſus dogmata videntur, equitur, vt vniuerſa via ratioque *dogmatica*, ſiue a ma-

thematica depromta ſit mutuaque ſumta, ſiue proprius ac peculiaris fieri modus debeat, per ſe haud idonea videatur. Ea enim duntaxat vitia erroresque occultat, luditque philoſophiam, cui proprie propoſitum eſt, vt omnes rationis paſſus in luce clariſſima oſtendantur. Nihilominus via ratioque eſſe ſemper *ſyſtematica* poterit. Nam ratio noſtra (ſubiectiue) ipſa in ſyſtemate verſatur, verum in vſu ſuo puro, ope ſolorum conceptuum, tantummodo ſyſtemata inueſtigationis ex decretis vnitatis, cuius ſola poteſt materiam experientia ſuppeditare. De via ac methodo philoſophiae transſcendentali propria hoc loco nil poteſt dici, cum duntaxat in critica verſemur facultatum noſtrarum, an vbique aedificare poſſimus, atque ad quam altitudinem aedificium noſtrum, ex materia, quam habemus (conceptibus puris ex anticipatione), exſtruere queamus.

CAPITIS PRIMI

SECTIO SECUNDA.

Diſciplina rationis purae reſpectu vſus ipſius polemici.

Rationem oportet in omnibus coeptis ſuis criticae ſeſe ſubiicere, neque vllo interdicto poteſt quidquam ea libertati derogare, niſi ſibi ipſa noceat, ſe ipſamque in ſuſpicionem vocet pernicioſam. Nihil tam magni momenti eſt, ratione commodi, nihil tam ſanctum, quod hanc inueſtigationem explorantem luſtrantemque debeat ſubterfugere. Atque in hac libertate poſita eſt adeo rationis exſiſtentia, quae nullam habet auctoritatem dictatoriam, cuiusque ſententia vsque quaque non niſi conſenſus eſt ciuium liberorum, quorum quisque dubia ſua, atque adeo interdictum libere poſſit profiteri, neceſſe eſt.

Etſi autem ratio numquam poteſt criticae ſeſe recuſare, tamen non vsquequaque eſt, cur eam reformidet. Verum ratio pura in vſu ſuo dogmatico (non mathematico) haud adeo ſibi conſcia eſt obſeruationis legum

ſuarum ſupremarum diligentis, vt ne pudibunda, quin omni, quam adfectauerat, auctoritate dogmatica prorſus depoſita, coram oculo critico rationis altioris iudicis perſona indutae debeat comparere.

Longe aliter ſe res habet, cum haud illa de cenſura iudicis, verum de iuribus conciuium ſuorum laborat, contraque ſe debeat ſolummodo defendere. Etenim cum hi itidem eſſe dogmatici velint, quamquam in negando, vt illa in aiendo: locum habet defenſio κατ' ἄνθρωπον, quae contra omnes iniurias tuetur, iuſtamque poſſeſſionem largitur, quae nullam debet alienam vim vereri, quamuis ea ipſa poſſit κατ' ἀλήθειαν haud idonee probari.

Vſum rationis purae polemicum defenſionem dico ſententiarum eius contra negationes illius dogmaticas. Hic autem non id agitur, an adſertiones illius fortaſſe haud itidem eſſe falſae poſſint, ſed id modo, vt nemo vmquam contrarium queat cum certitudine apodictica (quin vel maiori quadam ſpecie) adſeuerare. Tum enim tamen ſumus haud precario in poſſeſſione, ſi titulum quendam, vt haud idoneum, habemus, prorſusque certum eſt, neminem vmquam poſſe huiusce poſſeſſionis iniuriam docere.

Triſte quiddam atque indignum videtur, omnino quandam rationis purae antitheticen eſſe, rationemque, quae tamen eſſe ſupremum omnium litium iudicium debeat, ſecum ipſam in pugnam incidere. Ac ſupra quidem in eiusmodi antithetice illius ſpecioſa ſumus verſati; ſed vidimus eam in errore verſari, quippe cum, ex opinione praeiudicata vulgari, phaenomena pro rebus per ſe ipſis ſumerentur, tumque abſoluta vniuerſitas ſyntheſeos, hoc vel illo modo poſtularetur (quae neutro modo eſſe poterat), id quod nullo pacto poteſt de phaenomenis exſpectari. Igitur tum nulla erat vera *pugna* rationis cum ſe ipſius in enunciatis: ſeries phaenomenorum per ſe datorum primum habet initium, et: haec ſeries ſimpliciter eſt atque in *ſe ipſa* absque omni

initio; quippe ambae enunciationes commode poſſunt conſtare, ſi quidem *phaenomena* quoad exſiſtentiam (qua viſa) per *ſe ipſa* nihil ſunt omnino, id eſt, aliquid pugnans, ideoque eorum ſumtio neceſſario debet conſequentias repugnantes habere.

Verum eiusmodi error non poteſt obtendi eoque rationis pugna componi, ſi forte ad theiſtarum ſententiam quis dicet: *eſt ens ſummum*, et contra ex antitheiſtarum ratione adſeratur: *nullum eſt ens ſummum:* aut, in pſychologia: omne, quod cogitat, in vnitate abſoluta cernitur conſtante, et proinde diuerſum eſt ab omni vnitate caduca materiali, cui alius quis opponat: anima non verſatur in vnitate immateriali, neque a caduco poteſt eximi. Id enim, quod quaeſtioni ſubiectum eſt, hoc loco ab omni alieno, quod naturae ſuae repugnat, liberum eſt, atque intelligentia in *rebus* duntaxat *per ſe ipſis* occupatur, non in phaenomenis. Quamobrem hic ſane quidem vera pugna foret, ſi modo ratio pura ex parte negante aliquid dicere poſſet, quod ad cauſam adſertionis prope accederet; quod enim criticam argumentorum ſpectat dogmatice adfirmantis, poſſunt ea quidem illi concedi, neque tamen haec enunciata mitti, quibus ſaltem inuitamentum rationis fauet, ad quod nullo modo poterit aduerſarius prouocare.

Equidem haud ea imbutus ſententia ſum, quam homines praeſtantiſſimi et ſubtiliſſimi (velut Sulzerus) prae ſe ferunt, cum ſenſu infirmitatis premuntur argumentorum, quibus huc vsque ſunt vſi: poſſe ſperari, fore, vt aliquando demonſtrationes euidentes inueniantur duarum illarum enunciationum rationis noſtrae praecipuarum: deus eſt, eſt vita futura; potiusque perſuaſus ſum, iſtud numquam futurum fore. Namque vnde ratio fundamentum eiusmodi adſertionum ſyntheticarum habebit, quae non res ſpectant experientiae obnoxias, earumque poſſibilitatem internam? Verum itidem apodictice certum eſt, numquam vſpiam hominem futurum eſſe, qui *contrarium* poſſit vel cum minima ſpecie, nedum dogmatice, tueri. Cum enim hoc duntaxat ex ratione

pura probari poſſet, deberet euinci: fieri non poſſe, vt ens ſummum ſit, vtque ſubiectum illud in nobis cogitans, qua intelligentia pura, videatur. Vnde autem notitias hauriet, quibus ſibi copia fiat, ita ſynthetice iudicandi de rebus, quae vniuerſam, quae poteſt eſſe, experientiam longe ſuperant? Igitur nos prorſus eſſe freti poſſumus, neminem vmquam aliquando contrarium probaturum fore; ita vt haud opus ſit, exquiſitas rationes conquirere, ſed eas poſſimus enunciationes ſumere, quae cum inuitamento contemplatiuo rationis noſtrae in vſu empirico commode cohaerent, quibusque praeterea illud ſolis poteſt inuitamentum practicum conciliari. Aduerſario (qui hoc loco non debet vt ſolus criticus ſpectari), in promtu eſt quod reſpondeamus, nobis non liquere, quo is quidem ſine dubio confundetur, cum nos tamen retorſionem eius haud recuſemus, propterea quod ſemper nobis in inſidiis eſt ſubiectiua rationis regula, qua neceſſario aduerſarius caret, cuiusque tutela quiete poſſumus atque aequo animo, quibus is aëra pulſat, impetus ſuſtinere.

Atque ita proprie nulla prorſus eſt antithetice rationis purae. Namque vna illius arena in campo quaerenda foret theologiae purae ac pſychologiae; ſed hoc territorium nullum ſuſtinet luctatorem cum tota armatura, cumque telis, quae metuenda videantur. Solo is ludibrio poteſt iactantiaue prodire, quod inſtar ludi puerilis poterit rideri. Quae quidem obſeruatio ſolatur, animumque rationi reddit; quo ea enim alias confideret, ſi, quae ſola debet errores omnes tollere, in ſe ipſa disſideret, neque pacem poſſet quietamque poſſeſſionem ſperare.

Quidquid natura ipſa inſtituit, vlli cuipiam fini prodeſt. Ipſa venena faciunt ad alia, quae in ſuccis noſtris gignuntur, venena euertenda, nec proinde in plena debent officina pharmaceutica deeſſe. Dubia, quibus perſuaſionibus arrogantiaeque occurritur rationis noſtrae ſolius contemplatiuae, per ipſam ſunt huiusce rationis naturam propoſita, et proinde finem ſuum, ne-

ceſſe eſt, ſcopumque habere, haudquaquam contemnendum. Ecquaenam cauſa eſt, cur prouidentia permultas res obiectas, quamuis cum ſummo inuitamento noſtro arctius cohaereant, tam in ſublimi collocauerit, vt fere nobis tantummodo liceret, eas in confuſa quadam a nobisque ipſis addubitata perceptione deprehendi, quo fit, vt oculi ſcrutantes magis incitentur, quam ſaturentur? Conducatne, ratione eiusmodi proſpectuum aliquid audacter conſtituere, certe dubium, et haud ſcio an perniciofum. Sed ſemper atque indubitato ſaluberrimum eſt, rationem et inueſtigantem et examinantem libertati prorſus adſerere, vt libere poſſit proprium commodum curare, quod pariter promouetur, carceribus includendis notitiis, quam amplificandis proferendisque, quodque ſemper aliquid detrimenti capit, cum alienae manus ſeſe immiſcent, quo eam contra naturale iter illius ad fines coactos atque extortos moderentur.

Patiamini ergo aduerſarios veſtros nil niſi rationem proferre, eosque ſolis rationis armis oppugnate. Caeterum de cauſa bona (commodo practico) nolite curare, quippe quae in ſolo certamine contemplatiuo numquam in diſcrimen vocatur. Nihil tum quidquam certamine aperitur, niſi certa quaedam rationis antinomia, quae, cum in ſua natura vertatur, neceſſario et audiri debebit, et examinari. Illud eam excolit re ipſi ſubiecta dupliciter conſiderata, ciusque iudicium corrigit circumſcribendo. Id quod in eo in controuerſiam venit, non *res* eſt, ſed oratio. Satis enim adhuc vobis relinquitur, vt orationem ſeueriſſimae probatam rationi fidei cuiusdam confirmatae adhibeatis, etiamſi orationem *ſcientiae* mittere fueritis coacti.

Si grauem, ad aequilibrium in iudicando proprie factum creatumque *Dauidem Humium* interrogaueris: quid tandem te mouit, vt dubiis operoſe excogitatis, illam hominibus tam ſalutarem tamque vtilem perſuaſionem, cognitionem eorum rationalem ad adſertionem definitumque entis ſummi conceptum idoneam eſſe, ſubverteres? is ſine dubio reſponderet: nihil, niſi quod

vellem rationem in cognitione ſui ipſius promouere, ſimulque indignarer de vi, quam rationi infertis, dum de illa gloriamini, eamque ſimul impeditis, quominus ingenue de infirmitatibus ſuis profiteatur, quas in ſe ipſa examinanda aperit. Quodſi contra ſolis vſus rationis empirici decretis deditum, ab omnique contemplatione transſcendentali alienum *Prieſtleium* percontemini, quibus adductus cauſis, libertatem animi immortalitatemque (ſpes vitae futurae illi eſt tantummodo exſpectatio reſuſcitationis miraculoſae), duas tantas vniuerſae religionis columnas euerterit, cum ipſe tamen pius ſtrenuusque religionis doctor videatur; nihil aliud reſponderet, niſi: rationis vtilitate, quae inde detrimentum capit, quod certas res obiectas legibus naturae corporeae, ſolis quippe, quas probe nouimus, et conſtituere poſſumus, eripere cupitis. Iniquum foret, hunc, qui adſertionem admirabilem ſuam non poteſt cum fine religionis conciliare, in ignominiam vocari, hominique bene animato moleſtiam creari, propterea quod viam non invenire poteſt, ſimulatque e campo phyſices aberrauerit. Verum eadem aequitas haud minus bene animato, moribusque inculpatis praedito *Humio* illi pariter erit ſervanda, qui ab abſtracta contemplatione ſua propterea non poterat auocari, quod iure putabat, rem ei ſubiectam prorſus poſitam eſſe extra terminos phyſices in campo purarum idearum.

Quid igitur faciendum erit, praeſertim ratione periculi, quod inde vtilitati communi videtur minari? Nihil naturae conuenientius eſt, nihil aequius, quam conſilium, quod vobis ea de re capiendum videtur. Nolite homines illos turbare; ſi donum naturae oſtendunt, ſi profundam nouamque inueſtigationem, ad ſummam, ſi modo rationem monſtrabunt, ratio ſemper eo lucrum faciet. Si alia remedia adhibueritis, quam quae a ratione proficiſcuntur, ab omni vi et coactione libera, ſi clamorem de perduellione ſuſtuleritis, ſi ciuitatem, tam ſubtilium laborum haud peritam, quaſi ad incendium exſtinguendum conuocaueritis, vos ipſos riſui dabitis. Ne-

que enim omnino ſermo de eo eſt, quod vtilitati communi ea in re proſit, vel obſit, ſed tantummodo, quantum progredi ratio poſſit in contemplatione ſua ab omni ſe vtilitate continente, atque vtrum huius omnino haberi ratio queat, an potius ea mitti debeat, cum practica vtilitate comparata. Nolite igitur vim adhibere, potiusque de ſede critices fixa firmaque quiete certamen ſpectate, quod certantibus moleſtum, vobisque iucundum, cuiusque exitus, profecto haud cruentus, cognitionibus veſtris vtiliſſimus futurus ſit, neceſſe eſt. Eſt enim quiddam perabſurdum, ab ratione illuſtrationem exſpectare, illique tamen ante praecipere, ad quam partem debeat neceſſario cadere. Iam vero ratio ſponte iamiam per rationem ıta domatur et coërcetur, vt non ſit, cur vigiles euocetis, quo illi parti, cuius creſcentis potentiae vim ac periculum timetis, vis ciuilis opponatur. Nulla in hacce dialectica victoria eſt, quae iure vobis verenda videatur.

Praeterea quoque ratio eiusmodi certaminis admodum indiget, et optandum foret, illud maturius, veniaque publica libera initum fuiſſe. Eo enim citius matura critica confecta foret, qua praeſente ac prodeunte omnes lites illae ſponte euaneſcerent, propterea quod certantes illuſionem ſuam opinionesque praeiudicatas, quibus effecta eſt eorum diſſenſio, diſpiciunt atque cognoſcunt.

Eſt certa quaedam in natura humana ſimulatio, quae tamen extremo, vti omnia, quae veniunt ab natura, initia, debet ad bonos fines continere, nempe inclinatio animi veram ſententiam celandi, certamque aliam adſcitam, quae bona et glorioſa putatur, prae ſe ferendi. Sine dubio hac inclinatione, et ſeſe celandi, et bonam prae ſe ſpeciem ferendi, factum eſt, vt homines ſeſe non ſolum ad humanitatem excolerent, verum etiam pedetentim, certo quodam modo, redderent moratos, quoniam nemo poterat per fucum decori, honeſti et verecundiae penetrare, proinde in putatitiis boni exemplis, quibus ſe circumſeptum videbat, ſcholam emendandi ſui

ob oculos ſibi conſtitutam videbat. Verum hoc naturae munere noſmet meliores ſimulandi, ac ſumus, animique ſententiam oſtendendi, quam nos intus habemus, quodammodo quaſi proſpectum eſt, vt homo rudem impolitamque naturam exueret, ac primo ſaltem, quod nouit, boni formam indueret; nam poſtea, veris decretis explicatis animoque ad ea efformato, illa prauitas paullatim debet oppugnari, quippe qua animus alias corrumpitur, animique bonitas fallaci ſpecie ſuffocatur.

Doleo, hanc eandem fucatam ſpeciem, ſimulationemque ac diſſimulationem in ipſis effectionibus mentis contemplatiuae percipi, qua in re homines multo minus impediuntur, quo minus ſenſa animi, vt aequum eſt, manifeſto atque haud celate aperiant. Quid enim graviorem poteſt cognitionibus iacturam adferre, quam vel ſolas cogitationes deprauatas cum aliis communicare, dubiaque, quae noſtris adſertionibus contraria perſentiſcimus, celare, aut argumentis, quae nobismet ipſis haud ſatisfaciunt, colorem euidentiae illinere? Interim quamdiu ſola vanitas ſingulorum hominum arcanas iſtas artes molitur (id quod plerumque fieri in iudiciis contemplatiuis ſolet, peculiari inuitamento deſtitutis, nec facile certitudinis apodicticae capacibus), tum tamen aliorum reſiſtit vanitas publica approbatione adiuta, resque demum eo perueniunt, quo animo et ſincero maxime, et ingenuo, quamquam maturius, forent homines perducti. Vbi autem res publica putat, verſutos argutatores nihil agere atque moliri, niſi vt fundamenta ſalutis publicae labefactent, ibi non ſolum prudentiae videtur conſentaneum, verum etiam licitum atque adeo glorioſum, vt bonae cauſae rationibus ſpecioſis potius ſuccurratur, quam putatitiis illius aduerſariis vel tantillum concedatur, vt orationem noſtram temperemus ad modeſtiam ſolius practicae perſuaſionis, coactique de defectu certitudinis contemplatiuae atque apodicticae profiteamur. Interim cogitauerim, cum fine, bonam cauſam defendendi, nuſpiam gentium quidpiam minus poſſe conciliari, quam inſidias, ſimulationem, fraudemque.

In ponderandis rationibus ſolius contemplationis aperte nos ſincereque verſari debere, id quidem minimum erit, quod poſſit poſtulari. Quodſi autem vel hoc minimum certo poſſet exſpectari, tum controuerſia rationis contemplatiuae de quaeſtionibus illis grauiſſimis de deo, de immortalitate (animae), de libertate, aut dudum foret diremta, aut perbreui componeretur. Verum ſaepenumero accidit, vt animi ſinceritas rationem conuerſam ſeruet ad ipſius cauſae bonitatem, cui haud ſcio an plures ſinceri probique aduerſarii ſint, quam patroni ac defenſores.

Quamobrem lectores requiro; quae nolint cauſam iuſtam iniuria defendi. Quorum quidem reſpectu confectum videtur, ex decretis noſtris critices, ſi haud id ſpectetur, quod ſit, ſed quod fieri merito debeat, proprie nullam omnino rationis purae polemicam eſſe oportere. Qui enim tandem duo poſſint homines agere de cauſa controuerſiam, cuius realitatem neuter poterit in vera quadam, vel etiam duntaxat poſſibili experientia proponere, cuius is ſolus ideam fouet, vt ex ea, quod plus quam idea ſit, nimirum ipſam obiectae rei exſiſtentiam, excludat? Quo tandem modo controuerſiam finient, cum neuter cauſam ſuam directe queat comprehenſibilem certamque reddere, ſed tantum aduerſarii poſſit cauſam et impugnare, et conuellere? Hunc enim exitum vniuerſae habent adſertiones rationis purae, vt, cum leges omnis, quae eſſe poteſt, migrent experientiae, extra quas nuſpiam quoddam veri documentum deprehenditur, nihilominus tamen legibus intelligentiae, ad ſolum vſum empiricum deſtinatis, ſine quibus autem in cogitatione ſynthetica nullus fieri paſſus poteſt, vti debeant, ſemper nuda corpora oſtendant aduerſario, cuius viciſſim poſſint nuditate abuti.

Critica rationis purae pro vero poteſt iudiciali foro omnium illius controuerſiarum ſpectari; neque enim ea his, quae res obiectas proxime ſpectant, eſt implicita, verum ad id conſtituta, vt iura rationis omnino ex decretis primae illius inſtitutionis definiat atque diiudicet.

Sine illa ratio quaſi in ſtatu naturae verſatur, neque adſertionibus ſuis et iuribus aliter poteſt vim valoremque tribuere aut cauere, niſi per bellum. Contra critica; quae omnes deciſiones e regulis principalibus depromit ſuae ipſius inſtitutionis, quorum nemo homo poteſt auctoritatem dubitare, nobis otium parat ſtatus cuiusdam legalis, in quo non controuerſiam agere debemus, niſi per cauſam forenſem. Id, quo lites in priori illo ſtatu finiuntur, *victoria* eſt, de qua vtraque pars gloriatur, quamque plerumque pax ſequitur incerta, ab interueniente magiſtratu compoſita, in hoc altero autem *ſententia*, quae, quoniam hic fontem litium ipſum attinet, pacem, oportebit, aeternam praeſtare. Praeterea infinitis rationis ſolius dogmaticae controuerſiis cogimur, vt in vlla quapiam huiusce rationis ipſius critica, atque in legislatione quadam, in illa poſita ac fundata, otium quaeramus; quemadmodum *Hobbeſius* ſtatum naturae contendit ſtatum eſſe iniuriae ac violentiae, quem neceſſario debeamus relinquere, vt coactioni nos legali ſubiiciamus, quippe qua ſola libertas noſtra ita coërceatur, vt cum cuiusuis alius libertate, eoque ipſo cum ſalute publica poſſit conſiſtere.

Ad hanc libertatem tum vero etiam pertinet, vt nobis liceat, cogitata noſtra, dubiaque, quae nosmet ipſi non poſſumus diſſoluere, palam diiudicanda proponere, nec vero propterea in crimen ſeditioſorum peſtiferorumque ciuium vocemur. Id quod iam in iure ineſt originario connatoque rationis humanae, nullum alium iudicem agnoſcentis, quam ipſam rurſus vniuerſalem hominum rationem, in qua ſuum cuique ſuffragium eſt; cumque ab hac vniuerſa, cuius ſtatus noſter capax eſt, emendatio debeat proficiſci, ſequitur, vt eiusmodi ius ſanctum ſit, eique haud debeat quidquam derogari. Iam vero permagnae inſipientiae eſt, certas quasdam auſas adſertiones impetusue temerarios, in ea, quae a maxima optimaque reipublicae parte iam comprobata ſunt, in crimen periculoſorum ac peſtilentium vocare: hoc enim nihil aliud eſt, quam iis momentum tribuere, quod om-

nino haud deberent habere. Cum libertatem voluntatis humanae audio, ſpemque futurae vitae, et exſiſtentiam dei ab ingenio haud vulgari quodam diſputando eſſe ſublatam, tum cupiditate teneor librum legendi, ſi quidem ab eius indole exſpecto, fore, vt eo cognitiones meae longius proferantur. Atque illum quidem, iam antea prorſus certus ſum, nil quidquam eorum omnium praeſtitiſſe, non quidem propterea, quod equidem horum grauiſſimorum enunciatorum argumenta inuicta memet tenere credam, ſed quoniam critica transſcendentali, quae omnem mihi copiam rationis noſtrae purae aperuerat, prorſus perſuaſus ſum, eam, vti ad adſertiones aientes in hocce campo omnino inutilis eſt, ita aeque minus, multoque minus ſcire, vt de quaeſtionibus queat negando quidquam decernere. Vnde enim putatitius iſte profanus notitiam hauſerit, exempli gratia, nullum ens ſummum eſſe? Haec enunciatio ſita eſt extra campum experientiae poſſibilis, atque idcirco quoque extra terminos vniuerſae cognitionis humanae. Patronum bonae cauſae dogmaticum contra hunc hoſtem haud equidem legerem, ſi quidem ante norim, eum duntaxat propterea rationes alterius ſpecioſas impugnaturum eſſe, vt ſuis viam muniat, praeterea ſpeciem quotidianam non tantum materiae ad nouas obſeruationes praebere, quam admirabilem et ingenioſe excogitatam. E contrario iſte religionis aduerſarius pro ratione ſua itidem dogmaticus criticae meae exoptatum laborem ſuppeditaret, ipſamque maioris emendationis decretorum illius, neque tamen de eo quidquam metuendum foret.

Verum iuuentus, inſtitutioni academicae concredita, certe debet de eiusmodi ſcriptis moneri, atque a maiori cognitione tam noxiarum enunciationum detineri, priusquam facultas iudicandi maturuerit, potiusue doctrina, quae impertiri debeat, radices egerit, vt omni de contrario perſuaſioni, vnde illa cumque venerit, fortius reſiſtatur.

Quodſi in via dogmatica rerum rationi purae protractarum oporteret conſiſti, refutatioque aduerſario-

rum proprie deberet polemica eſſe, hoc eſt, ita comparata, vt pugna committeretur, partesque argumentis armarentur adſertionum contrariarum, ſane quidem pro re nata nihil melius foret, ſed itidem nihil vanius, et ad durationem nihil inutilius, quam rationem iuuentutis ad tempus tutelae committere, tamque diu certe illi a ſeductione cauere. Cum autem progreſſu temporis aut curioſitas, aut conſuetudo aetatis eiusmodi ſcripta illius in manus coniecerit; num illa iuuenilis aetatis perſuaſio tum etiamnunc manebit? Qui non niſi arma adfert dogmatica, vt impetum aduerſarii reiiciat, occultamque dialecticam, non minus in ſuo ipſius quam aduerſarii ſinu abſconditam, neſcit aperire, is ſpecioſa ac putatitia argumenta videt, principatum nouitatis habentia, contra argumenta itidem ſpecioſa ac putatitia prodire, quae non amplius talem nouitatem habent, ſed potius ſuſpicionem mouent credulitatis deceptae iuuentutis. Is putat haud melius poſſe oſtendere, ſe ex ephebis eorumque diſciplina exceſſiſſe, quam ſi iſta monita ſpernat, dogmaticeque adſuetus venenum bibit largo hauſtu, quod eius decreta dogmatice deprauat.

Verum ipſum eorum, quae hic ſuadentur, contrarium in inſtitutione academica fiat, oportebit, ſed ſane quidem poſita duntaxat inſtitutione plena critices rationis purae. Namque vt principia illius, quoad eius fieri poſſit, mature ad vſum transferantur, eorumque ſufficientia in maxima ſpecie dialectica monſtretur, prorſus neceſſe eſt, vt impetus tam metuendi dogmatico in rationem eius, infirmam adhuc illam quidem, ſed per criticam colluſtratam dirigantur, eique copia fiat periculi vanas aduerſarii adſertiones ſingulas ex iis decretis examinandi. Facili ille negotio poterit eas omnes in nebulam diſſoluere, atque ita mature vim perſentiſcit propriam; ab eiusmodi noxiis praeſtigiis, quae omnem poſtremo in oculis eius ſpeciem, oportebit, amittant, ſibi prorſus cauendi. Quamuis autem eaedem plagae, quae aedificium aduerſarii proſternunt, ſuae ipſius fabricationi contemplatiuae, quam forte moliatur, itidem noxiae

ſint, oporteat: tamen id prorſus haud curat, ſi quidem ei haud opus ſit, vt in eo habitet, ſed praeterea in campum proſpiciat practicum, vbi iure poteſt firmius ſolum ſperare, in quo ſyſtema rationale exſtruat ac ſalutare.

Quocirca nulla eſt in campo rationis purae, quae proprie dicatur, polemica. Ambae partes andabatae ſunt, cum vmbra ſua confligtantes, quippe qui naturam transſiliunt, vbi nihil eſt, quod prehenſiones eorum dogmaticae tangere queant atque tenere. Facilius illis lucta ſuccedit; disſciſſae vmbrae, inſtar heroum Valhallenſium momento temporis rurſus concreſcunt, vt denuo poſſint incruentis pugnis oblectari.

Nec vero etiam licitus eſt vſus quidam ſcepticus rationis purae, quem decretum poſſemus *neutrarum partium* in vniuerſis eius controuerſiis vocare. Rationem contra ſe ipſam concitare, ex vtraque parte illi arma miniſtrare, et tum ardentiſſimam eius pugnam placide et per ludibrium ſpectare, e ſtatione dogmatica oculos haud delectat, potiusque ſpeciem habet animi de alterius malis laetantis atque inuidi. Interim ſi inuictam occaecationem iactantiamque hominum argutantium conſpicimus, per nullam criticam moderandam, ſane quidem nullum aliud remedium videtur, quam vt iactantiae alterius partis aliam opponamus, iisdem iuribus fretam, quo ratio reſiſtente aduerſario percellatur, vt quodammodo de iuribus ſuis dubitet, auremque criticae praebeat. Verum in hiſce dubiis prorſus conſiſtere, idque agere, vt perſuaſio, ignorantiaeque confeſſio, non ſolum vt remedium arrogantiae dogmaticae, ſed ſimul etiam tamquam modus pugnae rationis ſecum ipſius conficiendae commendetur, conſilium vanum prorſus eſt atque irritum, quod nullo modo poteſt idoneum eſſe ad otium rationi comparandum, ſed ad ſummum duntaxat inſtrumentum eſt, quo ex dulci ea ſomnio dogmatico excitetur, vt ſtatum ſuum accuratius examinet. Cum interim haec via ſceptica, e moleſto ſe rationis negotio expediendi, via quaſi videatur breuiſſima, ad otium conſtans perpetuumque philoſophicum perueniendi, certe

via magna, quam libenter inſtituunt, qui in ludicra deſpicientia omnium huiusmodi inueſtigationum ſpeciem prae ſe ferre philoſophicam exiſtimant, opus eſſe duco, hunc cogitandi modum in propria luce ſua oſtendere.

De impoſſibilitate compoſitionis ſcepticae rationis purae ab ſe ipſius diffidentis.

Conſcientia meae ignorantiae (niſi haec ſimul vt neceſſaria agnoſcatur), cum meas inueſtigationes deberet finire, propria potius cauſa eſt, eam excitandi. Omnis vero ignorantia aut rerum eſt, aut conſtitutionis terminorumque meae cognitionis. Igitur ignorantia, ſi fortuita eſt, me impellat, neceſſe eſt, vt res (obiectas) *dogmatice* anquiram; aut terminos carceresque cognitionis meae poſſibilis *critice* inueſtigem. Verum ignorantiam meam ſimpliciter neceſſariam eſſe, ac memet ab omni alia vlteriori indagatione liberare, haud empirice, ex *obſeruatione* poterit, ſed tantummodo critice, *perſcrutatione* fontium cognitionis noſtrae primorum confici. Ergo conſtitutio finium rationis noſtrae fieri poterit ex ſolis rationibus ex anticipatione; ſed circumſcriptio illius, quae in cognitione quamquam indefinita ignorantiae cuiusdam haud omnino tollendae verſatur, etiam ex adſumto poteſt, per id, quod in omni notitia adhuc noſcendum relinquitur, cognoſci. Illa, quae per ſolam rationis ipſius criticam eſſe poteſt, cognitio ignorantiae noſtra igitur in *ſcientia* cernitur, haec non eſt niſi *perceptio*, de qua dici non poteſt, quousque concluſio ex ea pertineat. Si terrae ſuperficiem (ad ſpeciem ſenſibilem) inſtar orbis cogitatione depingo, ſcire haud potero, quam late illa pateat. Hoc autem docet experientia: me, quocumque venerim, ſemper ſpatio memet circumfuſum videre, quo non poſſim longius progredi; proinde carceres cognoſco notitiae verae meae geographicae, verum non terminos vniuerſae, quae poteſt eſſe, geographiae. Cum autem tantum progreſſus fuero, vt ſciam, terram eſſe globum, eiusque ſuperficiem eſſe globoſam, tum e parua illius particula, veluti quantitatis

gradus, diametrum, et, per hunc, plenam terrae determinationem, id eſt, ſuperficiem, definite atque ex principiis ex anticipatione poſſum cognoſcere; et etiamſi ratione rerum obiectarum, quas iſta ſuperficies in ſeſe contineat, in ignorantia verſer, tamen haud quaquam ratione compagis eas complectentis, et quantitatis et carcerum illarum.

Complexus omnium, quae poſſunt eſſe, rerum cognitioni noſtrae ſubiectarum nobis eſſe plana ſuperficies videtur, quae putatitium habeat orbem finientem, nimirum id, quod vniuerſam earum compagem continet, quodque nos conceptum rationalem diximus vniuerſitatis abſolutae. Fieri non poteſt, vt illum empirice adſequamur, atque ad principium quoddam ex anticipatione conſtituamus, quod quidem huc vsque fruſtra fuit tentatum. Interim tamen omnes rationis purae noſtrae quaeſtiones attingunt ea, quae poſita ſunt extra hunc orbem finientem, vel fere etiam intra lineam illius finalem.

In hiſce rationis humanae geographis fuit celeberrimus *Dauides Humius*, qui quaeſtiones illas ſatis eo repudiatas putauit, quod eas extra orbem illius finientem amandaſſet, quem tamen non poterat definire. Conſtitit potiſſimum in decreto cauſarum, cuius veritatem, recte animaduertit (ne valorem quidem obiectiuum conceptus cauſae efficientis in vniuerſum), in nulla prorſus perſpicientia, hoc eſt, cognitione ex anticipatione, conſtitui, proinde quoque haud quaquam neceſſitate huiusce legis, verum ſola illius vniuerſali vtilitate in curſu experientiae, atque inde oriente neceſſitate ſubiectiua, quam conſuetudinem vocat, omnem eius effici auctoritatem. Ex impotentia igitur rationis noſtrae hocce decreto vltra vniuerſam vtendi experientiam, vanitatem effecit vniverſi iuris rationis vniuerſe regionem empiricam transſiliendi.

Rationem huiusce generis, facta rationis examini et pro re nata reprehenſioni ſubiiciendi, *cenſuram* poſſumus rationis appellare. Non eſt dubium, iſtam cenſuram

neceſſario ducere ad *dubia* contra omnem vſum decretorum transſcendentem. Verum hic paſſus eſt duntaxat ſecundus, quo multum abeſt, vt opus confectum videatur. Primus enim paſſus in cauſis rationis purae, quo aetas illius iuuenilis notatur, *dogmaticus* eſt. Paſſus, quem modo diximus, ſecundus eſt *ſcepticus*, proditque circumſpectionem facultatis iudicandi per experientiam exacutae. Nunc autem opus eſt et paſſu tertio facultatis iudicandi maturatae atque virilis, firmis et quoad vniuerſalitatem probatis normis innixae; nempe vt haud facta rationis, ſed rationem ipſam, ſecundum vniuerſam facultatem eius et ad cognitiones puras ex anticipatione vtilitatem, aeſtimationi ſubiiciat; in quo haud cenſura, ſed *critica* rationis cernitur, qua non ſolum *carceres*, ſed *fines* conſtituti illius, non ſolum ignorantia alius alteriusue partis, ſed ratione omnium, quae fieri poſſunt, quaeſtionum certi cuiusdam generis, idque haud fere tantummodo coniiciuntur, verum e principiis euincuntur. Ita fit, vt ſcepticiſmus pro deuerſorio ſit rationi humanae, quo ſe ipſa commoveat atque ad ſe reuocet de itinere ſuo dogmatico, regionemque, in qua verſatur, deſcribat, vt porro viam poſſit eo tutius eligere, non vero pro habitatione, in qua degat perpetuo; haec enim duntaxat poteſt in certitudine plena inueniri, ſiue de cognitione rerum obiectarum ipſarum, ſiue finium ac terminorum, in quibus vniuerſa noſtra obiectarum rerum concluſio incluſa tenetur.

Ratio noſtra haud fere ſimilitudinem habet planitiei vltra quam conſtitui queat longe patentis, cuius carceres duntaxat vniuerſe cognoſcantur, verum ea potius cum ſphaera comparanda videtur, cuius diameter ex curuatura arcus in eius ſuperficie (natura enunciationum ſyntheticarum ex anticipatione) poſſit inueniri, vnde autem complexus quoque finitioque illius certo queat indicari. Extra hanc ſphaeram (campum experientiae) nihil eſt, quod illi ſubiectum ſit, quin ipſae de eiusmodi obiectis rebus putatitiis quaeſtiones princi-

pia duntaxat ſpectant ſubiectiua determinationis perpetuae adfectionum, quae in conceptibus intelligentiae intra hanc ſphaeram poſſunt eſſe obuiae.

Ac vere quidem nobis inſunt notitiae ſyntheticae ex anticipatione, quod planum eſt ex decretis intelligentiae, experientiam anticipantibus. Si quis igitur haud poterit poſſibilitatem illarum comprehendere, initio quidem dubitet, an illae vere in nobis inſint ex anticipatione; ſed id non poterit pro impoſſibilitate illarum, ex ſolis intelligentiae viribus reputare, neque omnes paſſus, quos ad earum normam ratio facit, irritos vanosque declarare. Modo dicere poteſt: ſi earum originem perſpiceremus et veritatem, ambitum finesque poſſemus rationis noſtrae conſtituere; priusquam autem hoc factum fuerit, vniuerſae ſunt rationis adſertiones temere auſae. Atque hoc modo dubitatio perpetua de omni philoſophia dogmatica, ſine critica rationis ſponte iter ſuum proſequente, bene conſtituta foret; verum propterea eiusmodi progreſſus, cui ſi meliori conſtitutione praeparato proſpectum fuerit, haud prorſus poſſet rationi abiudicari. Namque primo omnes conceptus, quin vniuerſae quaeſtiones, nobis a ratione pura propoſitae, haud fere in experientia inſunt, ſed rurſus in ipſa duntaxat ratione, proinde eas ſolui poſſe, neceſſe eſt, et quoad valorem illarum inanitatemque comprehendi. Nec vero iure poſſumus quaeſtiones eas, quaſi illarum ſolutio reapſe in natura rerum inſit, ſub praetextu infirmitatis noſtrae repudiare, earumque vlteriorem inueſtigationem recuſare, cum ratio ſola has ideas in gremio ſuo genuerit, de quarum proinde valore ſpecieue dialectica reddere rationem debebit.

Omnis concertatio ſceptica proprie tantummodo contra dogmaticum eſt, qui, principiis originariis obiectiuis ſuis haud diffidens, id eſt, ſine critica, ſuperbe in via pergit, duntaxat vt illi circuli turbentur, isque ad cognitionem ſui reducatur. Ratione eorum, quae ſcire poſſumus, quae non, critica nil quidquam conſti-

tuit. Vniuerſa rationis tentamina dogmatica fruſtra atque incaſſum inſtituta poſita in factis ſunt, quae, ſi cenſurae ſubiiciantur, ſemper adferent vtilitatem. Qua quidem re nil quidquam poterit de exſpectationibus rationis decerni, meliorem ſucceſſum ſperandi conatuum futurorum; proinde cenſura ſola numquam poterit controuerſiam de iuribus rationis humanae componere.

Cum *Humius* ſcepticorum omnium fortaſſe ingenioſiſſimus ſit, et ſine dubio praecipuus reſpectu contagionis virtutisque rationis ſcepticae in exploratione plena rationis excitanda, operae pretium erit, viam concluſionum illius, hominisque tam perſpicacis et praeſtantis errores, qui tamen in veſtigiis veritatis ceperunt primordia, quantum conſilio meo conſentaneum erit, proponere.

Humius fortaſſe in animo habebat, quamuis iſtud numquam plane explicauerit, nos in iudiciis certae cuiusdam formae, noſtrum de re obiecta conceptum transmigrare. Hanc iudiciorum partem vocaui *ſyntheticam.* Quomodo e conceptu meo poſſim ope experientiae egredi, nulli dubitationi expoſitum videtur. Experientia ipſa cernitur in eiusmodi ſyntheſi perceptionum, quae conceptum, quem ex perceptione habeo, aliis accedentibus auget. Sed putamus etiam ex anticipatione nos poſſe e conceptu noſtro egredi, noſtramque cognitionem augere. Itaque tentamus aut intelligentia pura, ratione eorum, quae eſſe certe *obnoxia* poſſunt *experientiae*, aut adeo ratione pura, reſpectu eiusmodi proprietatum rerum, aut fere etiam exſiſtentiae rerum obiectarum earum, quae numquam eſſe poſſunt obuiae in experientia. Scepticus noſter has duas iudiciorum formas haud diſtinxit, quod tamen debuiſſet, putabatque hanc conceptuum ex ſe ipſis acceſſionem, et, vt ita dicam, ſui ipſius partum intelligentiae (cum ratione), haud praeuia per experientiam grauidatione, impoſſibilem, proinde vniuerſa principia illius putatitia ex anticipatione commentitia, eaque videbat non niſi conſuetudinem eſſe ex experientia eiusque legibus oriundam,

proinde empiricas, id eſt, per ſe fortuitas regulas eſſe, quibus putatitiam neceſſitatem vniuerſalitatemque tribuamus. Ad obtinendam hanc ſententiam mirabilem, decretum teſtabatur vniuerſe agnitum adfectionis cauſae ad effectum. Cum enim nulla facultate intelligentiae a conceptu cuiusdam rei poſſimus ad exſiſtentiam duci alius cuiuspiam, quod eo vniuerſe queat neceſſarioque dari; inde putabat effici poſſe, ſine experientia nobis non eſſe, quod conceptum noſtrum augere queat, nobisque eiusmodi iudicii ex anticipatione ſe ipſum amplificantis poteſtatem facere. Lumen ſolare ceram, quam colluſtret, ſimul liquefacere eodem tempore, cum argillam durat, nullam poſſe intelligentiam e conceptibus, quos antea de his rebus habuimus, diuinare, nedum rite colligi, ſolamque nos experientiam poſſe eam legem docere. Contra ea in logica tranſcendentali vidimus, nos, quamuis numquam proxime poſſimus vltra materiam conceptus nobis dati egredi, tamen prorſus ex anticipatione poſſe, ſed reſpectu cuiusdam tertii, nimirum experientiae *poſſibilis*, proinde tamen ex anticipatione, legem copulationis cum rebus aliis cognoſcere. Itaque ſi cera, quae antea ſolida fuit, liqueſcat, poſſum ex anticipatione cognoſcere, aliquid eſſe antegreſſum oportere (veluti calorem ſolis), quod hoc ex lege quadam conſtanti ſecutum ſit, quamuis, ſine experientia, nec ex effectu cauſam, neque ex cauſa effectum ex anticipatione poſſim, atque abſque inſtitutione experientiae *finite* cognoſcere. Quocirca falſo concluſit a conſtitutione noſtra fortuita ex *lege*, ad ipſam *legem* fortuitam, atque egreſſum e conceptu rei ad experientiam poſſibilem (quod fit ex anticipatione, eiusque realitatem conſtituit obiectiuam), cum ſyntheſi confudit rerum verae experientiae ſubiectarum, quae ſane eſt ſemper empirica; ſed ea re ex principio adfinitatis, quod ſedem habet in intelligentia, coniunctionemque neceſſariam enunciat, regulam fecit adſociationis, quae in ſola ineſt phantaſia ad exemplar effingente, et duntaxat fortuitas coniunctiones poteſt, nequaquam obiectiuas, proponere.

Sed errores ſceptici huiusce viri caeteroquin longe acutiſſimi e vitio promanarunt, cum vniuerſis dogmaticis ipſi communi, quippe hoc, quod haud omnes partes ſyntheſeos intelligentiae ex anticipatione ſyſtematice peruideret. Tum enim, vt caetera hoc loco praeteream, exempli gratia in *decreto conſtantiae* et perpetuitatis eiusmodi effatum fuerit repertum, quod perinde ac decretum cauſarum, experientiam anticipat. Eo quoque intelligentiae ex anticipatione augeſcenti rationique purae certos terminos potuerit praeſcribere. Cum autem intelligentiam noſtram tantummodo *circumſcribat* et coërceat, ita tamen, vt ne eam *limitibus includat*, et vniuerſalem quidem diffidentiam, ſed nullam cognitionem definitam ignorantiae nobis ineuitabilis conficiat, neque hanc intelligentiam reſpectu vniuerſae facultatis eius lanci critices admoueat, atque, dum illi ea derogat, quae reapſe non poteſt praeſtare, longius procedat, eique omnem ex anticipatione ſe amplificandi facultatem impugnet, quamuis totam facultatem eam haud aeſtimationi ſubiecerit; accidit illi idem, quod ſemper ſcepticiſmum proſternit, nempe, vt ipſe in dubium vocetur, propterea quod obiectiones eius tantummodo in factis fortuitis poſitae ſunt, neutiquam vero in principiis, quae abdicationem neceſſariam iuris poſſent adſertionum dogmaticarum efficere.

Cum porro in veris intelligentiae iuribus, et dialecticis rationis adfectationibus, quas tamen potiſſimum impugnat, nullum diſcrimen norit; fit, vt ratio, cuius peculiaris propriusque motus minime in eo perturbatus eſt, ſed modo impeditus, ſpatium ſentiat dilatationi ſuae haud occluſum, a ſuisque conatibus, quantumuis hic illic vellicetur, numquam poſſit prorſus abduci. Nam contra impetus nosmet armamus ad reſiſtendum, eoque laboramus intentius, vt iura noſtra perſequamur. Plena autem computatio vniuerſae facultatis noſtrae atque inde promanans perſuaſio de certitudine poſſeſſionis exiguae, praeter vanitatem iurium altiorum, omnem litem dirimit, nosque mouet, vt in mediocri, ſed certa poſſeſſione placide acquieſcamus.

Contra dogmaticum ἀκριτικὸν, ſphaeram intelli-
;entiae ſuae haud emenſum, qui proinde terminos cogni-
ionis ſuae poſſibilis haud ex principiis conſtituit, qui-
ue ideo haud iam ante ſcit, quantum valeat, ſed ſolis
ogitat periculis aperire, iſti impetus ſceptici non ſolum
ericuloſi ſunt, verum ipſi adeo exitioſi. Etenim, ſi
n vna adſertione deprehenditur, cuius non poteſt ratio-
iem reddere, cuius. autem ſpeciem itidem non poteſt
x principiis explicare, ſuſpicio cadit in omnes, quanta
is cumque vis inſit alioquin perſuadendi.

Atque ita ſcepticus argutatoris dogmatici caſtiga-
or eſt, criticam intelligentiae ipſiusque rationis ſobriam
lli commonſtrans. Quo cum peruentum fuerit, non
ſt, quod amplius ipſi metuendum ſit; tum enim poſ-
eſſionem ſuam ſecernit ab iis, quae prorſus ſunt extra
am poſita, in quibus nullum ſibi ius arrogat, neque
le iis controuerſiis poteſt implicari. Ita ſit, vt ratio
ceptica per ſe quidem quaeſtionibus rationis haud ſa-
isfaciat, attamen rationem ante quodammodo exerceat,
t eius vigilantiam excitet, eamque ad vera admini-
ula ducat, quibus illi poſſit legitima poſſeſſio tuta
raeſtari.

CAPITIS PRIMI

SECTIO TERTIA.

Diſciplina rationis purae reſpectu hypotheſium.

Quandoquidem per criticam rationis noſtrae hoc
emum ſcimus, in vſu eius puro et contemplatiuo reapſe
ios neutiquam quidquam ſcire poſſe; nonne campum
o ampliorem hypotheſium nobis ea aperiat, cum ſal-
em licentiam habeamus fingendi atque opinandi, etiamſi
iaud adſeuerandi?

Ni forte phantaſia *inſanire* debeat, ſed, ratione
euero cenſore, *fingere*, ſemper ante quiddam eſſe pror-
is certum, oportebit, nec fictum, nec opinionem ſo-
im, idque eſt *poſſibilitas* obiectae rei ipſius. Tum ſane

licet, propter exſiſtentiam illius, ad opinionem confugere, quae vero, vt ne vana atque inanis ſit, cum eo, quod vere datum, ideoque certum eſt, tamquam ratio explicandi debet coniungi, tumque vocatur *hypotheſis*.

Cum autem de poſſibilitate coniunctionis dynamicae ex anticipatione ne minimam quidem cogitationem habere poſſimus, et categoria intelligentiae purae haud quidquam conferat, vt eam excogitemus, ſed tantummodo eam, vbi in experientia deprehenditur, intelligamus: relinquitur, vt ne vllam quidem rem obiectam, ex qualitate quadam noua, neque empirice indicanda, hisce categoriis conuenienter, originarie poſſimus excogitare, licitaeque cuidam hypotheſi pro fundamento ſubiicere; hoc enim nihil aliud foret, niſi rationi pro rerum conceptibus inanes phantaſiae fetus ſupponere. Sic non licet, vllas nouas vires originarias ſiue primitiuas excogitare, veluti intelligentiam, quae valeat ad rem ſibi ſubiectam ſine ſenſibus videndam, aut vim quamdam attractricem ſine omni contrectatione, vel nouam formam ſubſtantiarum, veluti quae non imperuia in ſpatio poſſit praeſens eſſe, nec proinde quoque commercium ſubſtantiarum, quod ab vniuerſo illo differat, quod experientia ſubminiſtrat; nullam praeſentiam aliam, quam quae in ſpatio ſit; nullam durationem, niſi in ſolo tempore. Ad ſummam: per rationem noſtram duntaxat fieri poteſt, vt legibus experientiae poſſibilis pro legibus vtamur poſſibilitatis rerum; nequaquam vero, vt prorſus ab hisce libere, nobismet ipſis quasdam quaſi creemus, propterea quod eiusmodi conceptus, vt repugnantia vacent, vacui tamen etiam re obiecta forent.

Conceptus rationis, vti diximus, merae ideae ſunt, iisque ſane nulla res ſubiecta eſt in vlla quapiam experientia, neque tamen idcirco res obiectas denotat fictas, praetereaque ſimul pro poſſibilibus acceptas. Solum ſunt problematice cogitati, vt, reſpectu illorum (vt fictionum heuriſticarum), principia regulatiua vſus intelligentiae ſyſtematici in campo experientiae conſti-

uantur. Cum inde abieris, tum ſola ſunt entia ratio-
is, quae an eſſe poſſint, non poteſt euinci, quaeque
roinde quoque non poſſunt ad explicationem phaenome-
ıorum verorum per hypotheſin conſtitui. Vt animam
ogites ſimplicem, ſane licebit, quo, ad hanc *ideam*,
ılena omnium animi virium vnitas et neceſſaria, quam-
is eas in ſingulo nequeas perſpicere, pro principio
onſtituatur diiudicationis noſtrae phaenomenorum il-
ius internorum. Sed animam vt ſimplicem ſubſtan-
iam ſumere (qui eſt conceptus transſcendens), pro-
ıunciatum foret, quod non ſolum non poſſet euinci,
id quod in plures hypotheſes phyſicas cadit), verum
tiam prorſus ex arbitratu temereque auſum, quoniam
implex in nulla prorſus experientia poteſt obuium eſſe,
t, ſi ſubſtantiam hoc loco intelligas rem viſioni ſenſi-
iuae ſubiectam conſtantem, poſſibilitas *phaenomeni* ſim-
ılicis nullo pacto poteſt perſpici. Naturae mere intelli-
ibiles, aut proprietates mere ſenſibiles rerum in mun-
lo ſenſibili, iure poſſunt a ratione vt opiniones ſumi,
uamquam (quia de poſſibilitate aut impoſſibilitate illa-
um nullam cogitationem habemus) nullo putatitio me-
iori poſſunt intellectu dogmatice negari.

Ad explicationem phaenomenorum datorum nullae
es aliae poſſunt rationesque explicationis laudari, quam
uae ex legibus phaenomenorum iam notis cum datis
oniunguntur. Proinde *hypotheſis* transſcendentalis, in
qua ſola rationis idea ad explicandas res naturales adhi-
eretur, nulla prorſus explicatio foret, propterea quod
d, quod ex notis principiis empiricis non ſatis intelligi-
ur, per aliquid explicaretur, quod omnino non intel-
igitur. Iam principium eiusmodi hypotheſeos proprie
d rationem faceret tranquillandam, non vero ad pro-
mouendum vſum intelligentiae reſpectu rerum obiecta-
rum. Et ordo et conuenientia in natura rerum rurſus
debet e cauſis phyſicis et ſecundum leges phyſicas ex-
plicari, atque ibi ipſae effrenatiſſimae hypotheſes, ſi
modo ſint phyſicae, tolerabiliores ſunt hyperphyſica, id
eſt, teſtatione auctoris cuiusdam diuini, qui eam in rem

ſumitur. Iſtud enim principium foret rationis ignauae, vt vniuerſae cauſae, quarum realitatem obiectiuam, certe quoad poſſibilitatem, continuata poſſumus experientia cognoſcere, ſubito praetermittantur, quo in ſola idea, rationi perquam commoda, quieſcamus. Quod autem vniuerſitatem abſolutam attinet rationis explicandi in ſerie illarum, ea non poterit impedimento eſſe ratione rerum obiectarum mundanarum, quoniam, cum hae non niſi in phaenomenis verſentur, numquam in iis quidquam abſoluti poterit in ſyntheſi ſeriei conditionum ſperari.

Hypotheſes vſus contemplatiui rationis transſcendentales, perinde ac libertas, ad defectum rationum explicandi phyſicarum explendum, fere hyperphyſicis vtendi, nullo pacto concedi poſſunt, partim quoniam ratio ea re minime promouetur, ſed potius totum vſus ſui progreſſum ſibimet ipſa praeſcindit, partim etiam quia hac licentia demum omni fructu culturae proprii territorii ſui, nempe experientia, neceſſe foret, priuari. Namque cum in explicanda natura hic vel illic difficultate premimur, tum ſemper ratio in promtu eſt explicandi transſcendens, qua fit, vt illa inueſtigatione ſuperſedeamus, noſtraque haud perſpicientia finitur inueſtigatio, ſed incomprehenſibilitate perpetua principii, ante iam ita excogitati, vt conceptus abſolute primi oporteret eo contineri.

Altera deinde ratio dignae, quae accipiatur, hypotheſeos cernitur in ſufficientia eius, vt inde ex anticipatione, quae data ſunt, conſequentia conſtituantur. Quodſi hypotheſes ſubſidiarias cogamur in hunc finem aduocare, iis ſuſpicio mouebitur ſolius fictionis, ſiquidem earum quaeque eiusdem defenſionis indiget, qua cogitatio pro fundamento conſtituta opus habebat, ideoque non poteſt perſonam teſtis idonei ſuſtinere. Si, ſumta cauſa quadam infinite perfecta, rationum nulla penuria eſt, quibus et vniuerſa conuenientia poſſit, et ordo, magnitudoque in mundo obuia explicari, illa tamen in aberrationibus malisque, ex noſtris certe con-

:eptibus, conſpicuis, praeterea nouis opus hypotheſi-
ous habet, vt contra haec, vt dubia, poſſit ſeruari. Si
implex humani animi ſubſtantia, quaſi fundamentum
quoddam phaenomenorum conſtituta, difficultatibus
rgeatur phaenomenorum mutationibus materiae (in-
remento decrementoque) ſimilium, nouae hypotheſes
rceſſendae ſunt, quae haud quidem ſpecie, ſed omni
ide carent, praeter eam, quae iis opinionem largitur
ro ratione principi ſumtam, cui tamen eſſe debebant
ommendationi.

Cum, quae hoc loco exemplo poſuimus, adſertio-
es rationales (vnitas animae incorporea et exſiſtentia
aturae cuiusdam ſummae) haud vim habere debent hy-
potheſium, ſed tamquam dogmata valere ex anticipatione
robata, tum neutiquam de iis ſermo eſſe videtur. Quod
accidat, videndum erit, vt argumento certitudo inſit
podictica demonſtrationis. Etenim ſi exſiſtentiam
iusmodi idearum velis ratione *probabili* euincere, per-
ide iſtud abſurdum foret, ac ſi enunciatum geometriae
uoddam duntaxat probabiliter cogitares probare. Ra-
o ab omni experientia ſeiuncta atque abducta vniuerſa
oteſt non niſi ex anticipatione vtque neceſſaria, vel
ullo pacto cognoſcere; proinde iudicium illius num-
uam in opinione verſatur, ſed aut in continentia ab
mni omnino iudicio, aut in certitudine apodictica.
pinioncs iudiciaque veriſimilia de iis, quae rebus com-
etant, tantummodo poſſunt tamquam rationes expli-
ındi ea, quae vere data ſunt, aut vt conſequentia ex
gibus empiricis eorum, quae vt exſtantia fundamento
ınt, proinde in ſola ſerie rerum experientiae ſubiecta-
ım obuenire. Extra hunc campum opinari idem eſt,
que cogitatis ludere, niſi de incerta iudicii via ſolum
pinionem conceperis, fore, vt fortaſſe in ea verum
ueniatur.

Quamquam autem in quaeſtionibus rationis purae
ntum contemplatiuis, nullae hypotheſes locum ha-
ent, ita vt enunciationes in iis conſtituantur, tamen
mmode concedi poſſunt, ad eas fere tantummodo

defendendas, id eſt, haud in vſu quidem dogmatico, ſed tamen polemico. Verum defenſionem non multiplicationem dico rationum pro adſertione, ſed ſolam putatitiarum aduerſarii cognitionum depulſionem, quae noſtrae debebant adſeueratae ſententiae derogare. Atqui omnium enunciationum ſyntheticarum e ratione pura hoc proprium eſt, vt, etiamſi, qui realitatem certarum quarumdam idearum adſerit, numquam tantum ſciat, vt ſententiam ſuam firmam poſſit reddere certamque, ex altera parte aduerſarius tantundem ſcire queat, ad obtinendum contrarium. Quae quidem ſortis aequalitas rationis humanae neutri quidem fauet in cognitione contemplatiua, quae ſcilicet arena eſt concertationum numquam componendarum. Ex iis autem, quae in poſterum dicentur, planum fiet, nihilominus ratione vſus practici, rationem gaudere iure, ſumendi quiddam, quod illi nullo modo liceat in campo ſolius contemplationis, ſine argumentis idoneis, ponere; ſiquidem omnibus eiusmodi ſumtionibus perfectioni contemplationis detrahitur, quam vero ratio practica prorſus haud curat. Ibi igitur illa poſſeſſione fruitur, de cuius iure docendo, non eſt, quod laboret, cuiusque probationem etiam reapſe haud poſſet ſuppeditare. Ergo aduerſario incumbit probatio. Qui vero cum tantumdem de re dubitata ſciat, vt eam doceat non eſſe, quam ille, qui eam eſſe, contendit; fit, vt a parte eius, qui quiddam adſerit, quod ex neceſſitate practica ſumendum ſit, commodum emergat (melior eſt conditio poſſidentis). Nimirum illi liberum eſt, vt quadam quaſi neceſſitate coactus iisdem adiumentis pro cauſa ſua vtatur bona, quibus contra eam aduerſarius, id eſt, vt hypotheſes adhibeat, quae neutiquam id agere debent, vt argumentum augeatur, ſed modo vt oſtendatur, aduerſarium de re controuerſiae ſubiecta perparum intelligere, ita vt ratione noſtri nequeat maiorem ſibi perſpicientiam contemplatiuam tribuere.

Igitur in campo rationis purae vti hypotheſibus licet duntaxat, vt armis bellicis, quibus ius non conſti-

:uatur, ſed tantummodo defendatur. Aduerſarius autem hic ſemper intus in nobis ipſis quaerendus videtur. Namque ratio contemplatiua in vſu transſcendentali per ſe dialectica eſt. Quae forte metuenda fuerint, dubia in nobis ipſis inſunt. Atque ea quidem, inſtar veterum, ſed nulla praeſcriptione tollendorum iurium, expromenda ſunt, vt pax aeterna in iis deletis conſtituatur. Pax externa duntaxat putatitia eſt. Surculi impugnationum, qui in natura inſunt rationis humanae, exſtirpandi ſunt; qui eos autem exſtirpare poterimus, niſi illis copiam faciamus progerminandi, quo aperiantur, poſteaque radicitus deleantur? Quamobrem cogitetis vos ipſi atque animo dubia circumſpiciatis, quae in nullius vspiam aduerſarii mentem venerint, vel ipſi adeo tela miniſtretis, locumque illi maxime opportunum cedatis, quem votis ſibi vmquam poſſit expetere. Nihil vobis prorſus ea in re metuendum erit, ſed potius ſperandum, nempe vos poſſeſſione potituros eſſe, nullo vmquam poſtero tempore amplius impugnanda.

Iam vero ad armaturam plenam veſtram pertinent et rationis purae hypotheſes, quae, quamuis tantummodo arma plumbea ſint (nulla quippe lege empirica quaſi chalybe durata), ſemper tamen tantum valebunt, quantum ea, quibus vllus quispiam aduerſarius vti contra vos poterit. Quodſi ergo, contra (alio quopiam reſpectu haud contemplatiuo) ſumtam incorpoream nullique transmutationi corporeae obnoxiam animae naturam, vobis difficultas oboriatur, nihilominus tum intenſionem, tum euerſionem virium animi duntaxat tamquam diuerſas organorum mutationes videri per experientiam euincei; vim huiusce argumenti eo poteritis infirmare, quod ſumatis, corpus noſtrum non niſi phaenomenon eſſe fundamentale, quod, tamquam conditionem, in praeſenti ſtatu (in vita) vniuerſa ſenſus facultas, cum eaque vniuerſa ſpectet cogitatio. Separatio a corpore eſto finis huiusce vſus ſenſitiui veſtrae cognoſcendi facultatis, initiumque intellectualis. Quocirca corpus non eſſet cauſa cogitationis, ſed ſola conditio eius adſtringens,

proinde illud quidem conſiderandum foret vt adiumentum vitae ſenſitiuae atque animalis, ſed eo magis quoque vt impedimentum purae ac ſpiritualis, indeque, quod vita ſenſitiua et animalis pendeat a corporis conſtitutione, neutiquam efficeretur, vt tota vita pendere e ſtatu organorum noſtrorum videretur. Verum et longius poteſtis progredi, atque adeo noua dubia, aut nondum commota, aut non ſatis explicata inuenire.

Fortuita generationum ratio, quae in hominibus perinde atque in brutis, ex occaſione, praeterea autem et ſaepenumero ex alimentis, e regimine, eiusque motibus conſiliisque, ſaepius adeo e vitio pendet, magnam difficultatem excitat contra opinionem rei creatae per aeternitates duraturae, cuius vita leuibus noſtraeque libertati prorſus permiſſis temporibus primordia cepit. Quod durationem attinet generis totius (in hac terra), haec difficultas eatenus parum momenti habet, ſiquidem caſus fortuitus in ſingulo eo minus ſubiectus regulae eſt in toto; verum ratione cuiusque ſinguli (indiuidui) tantum effectum exſpectare cauſarum tam minutarum, ſane arduum videtur. Sed contra poteſtis hypotheſin transſcendentalem teſtari: omnem vitam proprie duntaxat eſſe intelligibilem, mutationibus temporis haud obnoxiam fieri, et neque partu incepiſſe, neque morte finiri; hanc vitam nil eſſe niſi merum phaenomenon, hoc eſt, repraeſentationem ſenſitiuam vitae purae ſpiritualis, totumque mundum ſenſibilem in ſola imagine verſari, noſtro praeſenti cognoſcendi modo obuerſante, quae nullam, inſtar ſomnii, realitatem habeat obiectiuam; nos, ſi res nos ipſosque, vti ſunt, debeamus intueri, nosmet viſuros eſſe in mundo quodam naturarum ſpiritualium, qui cum noſtro vnum verum commercium nec partu initium ceperit, nec morte corporis (quae merum phaenomenon eſt) deſiturum fore, et quae ſunt eiusdem generis ſimilia.

Quamuis autem eorum omnium, quae hoc loco contra impetum hyp othetice obtendimus, nihil quidquam ſciamus, nec ſ erio adſeueremus, ſed vniuerſa ne

n ideis rationis quidem, verum in conceptibus verſentur, tantummodo ad reſiſtendum excogitatis, tamen in is rationi prorſus conuenienter agimus, propterea quod aduerſario, qui poſſibilitatem exhauſiſſe vniuerſam putat, dum defectum conditionum eius empiricarum falſo pro argumento venditat impoſſibilitatis vniverſae eorum, quae credimus, duntaxat oſtendimus: llum aeque minus ex ſolis legibus empiricis vniuerſum rerum poſſibilium campum per ſe ipſum complecti poſſe, ac nos extra experientiam rationi noſtrae vllum quidpiam iuſto modo acquirere. Is, qui eiusmodi remedia hypothetica contra arrogantiam aduerſarii adhibet audacter negantis, non reputandus eſt, ac ſi ea pro veris ſententiis ſibi vindicet. Deſerit ea protinus, ſimulatque arrogantiam aduerſarii dogmaticam reiecerit. Quamvis enim modeſte fieri temperanterque videatur, ſi quis ratione adſertionum alienarum tantummodo recuſando negandoque agat, tamen, ſimulatque haec ſua dubia pro argumentis velit venditare contrarii, ſemper erit haud minus ſuperbe arroganterque factum, ac ſi partes ſequatur aientes earumque adſertionem.

Ex quo igitur perſpicuum eſt, in vſu rationis contemplatiuo hypotheſes nihil valere qua opiniones per ſe ipſas, ſed duntaxat relatiue ad petitiones oppoſitas transſcendentes. Nam dilatatio principiorum experientiae poſſibilis ad poſſibilitatem rerum in vniuerſum perinde eſt transſcendens, atque adſertio realitatis obiectiuae eiusmodi conceptuum, qui non poſſunt, quae ſibi ſubiiciantur, res niſi extra terminos vniuerſae, quae poteſt eſſe, experientiae inuenire. Quod ratio pura iudicat adſerendo, oportebit (vti omnia, quae ratio cognoſcit) neceſſario eſſe, aut omnino nihil videri. Quamobrem ea reapſe nullas prorſus in ſe opiniones continet. Verum illae hypotheſes verſantur tantummodo in iudiciis problematicis, quae certe haud poſſunt conuelli, quamuis ſane nulla re euinci, proinde eae non ſunt opiniones priuatae, neque tamen iis (ad ipſam pacem internam) commode poteſt aduerſus dubia ſeſe mouentia ſuperſe-

deri. Atque in hocce honoris loco tuendae ſunt, diligenterque caueri debet, ne ſibi ipſae fidem facientes, ullo que valore abſoluto ornatae in medium prodeant, atque ita in commentis praeſtigiisque rationem ſubmergant.

CAPITIS PRIMI

SECTIO QUARTA.

Diſciplina rationis purae reſpectu argumentorum.

Argumentis enunciationum transſcendentalium et ſyntheticarum hoc proprium eſt, in vniuerſis argumentis cognitionis ſyntheticae ex anticipatione, vt rationi in illis ope conceptuum ſuorum haud recta liceat ad rem obiectam ſeſe conuertere, ſed ante debeat et valor obiectiuus conceptuum, et poſſibilitas ſyntheſeos illorum ex anticipatione probari. Quod quidem haud fere tantummodo regula eſt circumſpectionis neceſſaria, ſed ipſam eſſentiam naturamque et poſſibilitatem argumentorum attingit. Si conceptum debeam cuiuspiam rei obiectae ex anticipatione tranſire, fieri iſtud haud poterit, niſi filum quoddam quaſi ducem habeam ſingulare, quodque extra hunc conceptum deprehendatur. In matheſi iſtud viſio eſt ex anticipatione, ſyntheſin meam ducens, ibique omnes concluſiones proxime poſſunt duci ab viſione pura. In cognitione transſcendentali, dum ea in ſolis intelligentiae conceptibus verſatur, haec norma cernitur in experientia poſſibili. Nempe argumentum haud monſtrat, conceptum datum (veluti eius, quod fit,) ad alium conceptum (veluti cauſae) directe ducere; ſi quidem eiusmodi tranſitu efficeretur ſaltus, qui nullo modo poſſet defendi; verum docet, eſſe non experientiam poſſe ipſam, proinde nec rem experientiae ſubiectam, ſine eiusmodi coniunctione. Ergo neceſſe erat, argumento ſimul poſſibilitatem indicari, ſynthetice atque ex anticipatione ad certam quandam rerum cognitionem perueniendi, in conceptu earum haud complexarum. Sine hac attentione argumenta fluunt inſtar aquarum, ripas

rumpentium, cum impetu et ex tranſuerſo, eo, vnde procliuitas adſociationis occultae fortuito illa deriuat. Color perſuaſionis, in cauſis adſociationis ſubiectiuis poſitus, qui perſpicientia putatur adfinitatis naturalis, ambiguitati numquam ſe poteſt aequare, quae merito de eiusmodi auſi paſſibus exſiſtit. Inde factum eſt, vt omnia quoque pericula decretum probandi cauſae ſufficientis, vnanimi peritorum conſenſu, fruſtra eſſent, et antequam critica prodiret transſcendentalis, homines potius, cum iſtud decretum mittere non poſſent, ſanam intelligentiam communem obſtinate teſtati ſunt (quod ſane confugium de deſperata rationis cauſa teſtatur), quam vt noua argumenta dogmatica tentarent.

Quodſi autem enunciatio, cuius probatio debet adferri, in adſertione cernatur rationis purae, et ſi adeo ope ſolarum idearum velim conceptus meos empiricos tranſire, ea tamen multo magis deberet defenſionem eiusmodi paſſus ſyntheſeos (ſi modo is fieri poſſet) tamquam legem virium probandi neceſſariam in ſeſe continere. Quantumuis igitur ſpecioſum ſit putatitium argumentum iſtud pro natura ſimplici ſubſtantiae noſtrae cogitantis ex vnitate apperceptionis efformatum, tamen illi difficultas obeſt inſuperabilis: ſcilicet, cum ſimplicitas abſoluta non ſit conceptus, qui proxime poſſit ad quamdam perceptionem transferri, ſed qua idea duntaxat debeat concludi, haud poſſe perſpici, quomodo ſola conſcientia, quae in *omni cogitatione* ineſt, vel certe ineſſe poteſt, etiamſi eatenus in ſimplici repraeſentatione verſetur, ducere me debeat ad conſcientiam cognitionemque rei cuiusdam, in qua ſola poteſt cogitatio eſſe contenta. Etenim ſi vim corporis mei cogitem in motu, illud eatenus mihi erit vnitas abſoluta, meaque de illo cogitatio ſimplex videbitur; proinde hanc quoque per motum cuiusdam notae punctiue poſſum efferre, quippe cuius volumen nil quidquam ad id confert, et ſine deminutione virtutis, quam volueris, minima, ideoque quoque tamquam in puncto quodam obuium poteſt cogitari. Sed inde tamen haud concludam: corpus, ſi

mihi nihil datum fuerit, praeter vim corporis cuiuſpiam motricem, poſſe vt ſimplicem ſubſtantiam cogitari, propterea quod eius cogitatio ab omni magnitudine complexus ſpatioſi ſecreta atque abſtracta, ideoque ſimplex videtur. Cum igitur ſimplex illud in ſeparatione a ſimplici in re obiecta prorſus diuerſum ſit, illudque ego, quod priori ſenſu nullam omnino in ſe varietatem continet, poſteriori ſignificatu, quo animam ipſam denotat, conceptus admodum complexus eſſe queat, nimirum permulta in ſe continere atque notare, patet, in eo latere paralogiſmum. Quem autem vt antea diuinem (namque ſine eiusmodi coniectura praeuia argumentum iſtud neutiquam nobis redderetur ſuſpectum), prorſus neceſſe eſt, vt perpetuum quoddam criterium eiusmodi enunciationum ſyntheticarum, quae plus debent, quam experientia oſtendere poteſt, probare, in promtu ſit, id quod in eo conſiſtit: vt argumentum ne directe ducatur ad attributum requiſitum, ſed tantummodo ope cuiusdam principii poſſibilitatis, conceptum noſtrum ex anticipatione vsque ad ideas dilatandi, easque ad realitatem transferendi. Quae quidem cautio ſi ſemper adhibeatur, ſi, priusquam argumentum tentetur, ante ſapienter nobiscum deliberemus, quomodo quaque ratione ſperandi eiusmodi poſſimus amplificationem ex ratione pura exſpectare, atque vnde, in eiusmodi cauſa, notitias illas, quae non poſſunt e conceptibus euolui atque explicari, neque ratione experientiae poſſibilis anticipari, velimus haurire: permultis arduis, et tamen inutilibus laboribus poterimus ſuperſedere, dum a ratione nihil poſtulamus, quod manifeſto ſuperet illius facultatem, vel eam potius, quae, ſi inſania amplificationis corripitur contemplatiuae, aegre patitur coërceri, diſciplinae ſubmittamus abſtinentiae.

Prima igitur haec regula eſt: vt ne argumenta transſcendentalia tentemus, priusquam deliberauerimus rationemque dederimus, vnde decreta velimus depromere, in quibus illa conſtituamus, et quo iure queamus bonum ſucceſſum concluſionum ab iis exſpectare. Si

decreta ſint intelligentiae (veluti effectionis cauſarum), fruſtra conabimur iis ad ideas rationis puras pertinere; illa enim duntaxat valent ad res experientiae poſſibili ſubiectas. Si decreta ſint e ratione pura depromta, tum omnem rurſus operam perdidimus. Namque illa quidem rationi inſunt, ſed qua decreta obiectiua vniuerſa ſunt dialectica, et fere poſſunt tantummodo pro principiis haberi regulatiuis vſus empirici ſyſtematice connexi et cohaerentis. Quodſi autem eiusmodi argumenta putatitia iam adſint: tum perſuaſioni fallaci opponatis illud *non liquet* facultatis iudicandi veſtrae maturatae, et, quamquam praeſtigias illorum nondum poteritis penetrare, tamen iure optimo poteſtis deductionem decretorum ea in re adhibitorum poſtulare, quae, ſi illa debeant e ſola ratione exorta eſſe, vobis numquam poterit exhiberi. Atque ita vobis ne quidem opus erit, vt enodationem confutationemque cuiusque ſpeciei inanis inſtitutatis, ſed vniuerſam poteritis dialecticam artibus inexhauſtam, in foro rationis criticae, poſcentis leges, toto ſimul agmine repellere.

Alterum deinde argumentorum transſcendentalium hoc proprium eſt: vt ad quamque enunciationem transſcendentalem vnum tantummodo argumentum poſſit reperiri. Si haud e conceptibus debeam, ſed e viſione concludere, quae conceptui reſpondeat, ſiue viſio pura ſit, vti in matheſi, ſiue empirica, quemadmodum in phyſica: viſio fundamento conſtituta variam praebebit materiam enunciationum ſyntheticarum, quam multifariam coniungere poſſim, atque e pluribus punctis proficiſcendo per diuerſas vias ad eandem pronunciationem peruenire.

Atqui quodque enunciatum transſcendentale duntaxat ab vno conceptu proficiſcitur, legemque poſſibilitatis rei obiectae ſyntheticam ex hocce conceptu enunciat. Igitur non niſi vna eſſe ratio probandi poteſt, ſi quidem extra hunc conceptum nil amplius eſt, quo res obiecta determinari poſſit atque conſtitui, proinde argumentum non, niſi conſtitutionem obiectae cuiusdam rei in vniuerſum

ex hocce conceptu, qui itidem duntaxat vnus eſt, in ſe poteſt continere. Velut in analytica transſcendentali decretum: quidquid fit, cauſam habet, ex vna illa lege poſſibilitatis obiectiuae conceptus eorum, quae vniuerſe fiunt, duximus: fieri non poſſe, vt determinatio conſtitutioque cuiusdam euenti in tempore ſit, proinde neque iſtud euentum, quod ad experientiam pertineat, niſi eiusmodi regulae ſubſit dynamicae. Idque vnum, quod eſſe poteſt, argumentum videtur; namque eo ſolo, vt conceptui interuentu legis cauſarum res quaedam obiecta conſtituatur, euentum cogitatum valorem obiectiuum, hoc eſt, veritatem, habet. Sunt quidem et alia huiusce decreti argumenta, velut e ratione fortuita, tentata; verum, quum hocce propius conſideraueris, nullam poteris notam fortuiti inuenire, praeterquam illud *euenire*, id eſt, exſiſtentiam, quam antecedit non-eſſe rei obiectae, proinde illud ſemper ad idem argumentum redit. Si enunciatio probari debeat: quidquid cogitat, ſimplex eſt; non immoramur in varietate cogitationis, ſed tantummodo conſiſtimus in conceptu τοῦ ego, qui ſimplex eſt, et ad quem omnis cogitatio refertur. Pariter cum argumento comparatum eſt transſcendentali pro exſiſtentia dei, quod poſitum eſt tantummodo in reciprocabili ratione conceptuum naturae realis et neceſſariae, neque vſpiam alibi poteſt quaeri.

Qua quidem cautione critica adſertionum rationalium admodum in anguſtum contrahitur. Vbi ratio e meris agit conceptibus, ibi duntaxat vnum eſſe argumentum poteſt, ſi modo omnino vllum eſſe aliquod poterit. Quocirca, ſi dogmaticum cum decem videas argumentis prodeuntem, confidere certo poteris, eum omnino nullum habere. Quodſi enim aliquod, quod (quemadmodum eſſe debet in cauſis rationis purae) apodictice probet, quo illi opus foret caeteris? Propoſitum ſibi eſt tantummodo, quod idem et illi patrono cauſarum, vt aliud argumentum huic, aliud illi promat, nempe quo imbecillitate vtatur iudicum, qui, ne altius rem inquirant, quoue citius ex ea ſe expediant, primum quod-

ue, quod ſe mouet, prehendunt ad illudque decerunt.

Tertia propria rationis purae regula, ſi reſpectu rgumentorum transſcendentalium diſciplinae ſubiicitur, o ſpectat: vt argumenta illius numquam eſſe debeant *pagogica*, ſed ſemper *oſtenſiua*. Argumentum directum ue oſtenſiuum in omni cognitionis genere cum perſuaone veri ſimul perſpicientiam coniungit fontium illius; ontra argumento apagogico certitudo quidem poterit, ed non comprehenſibilitas veri ratione contextus cum auſis poſſibilitatis illius produci. Quamobrem haec pagogica magis ſubſidio ſunt, quam tractandi ratio, uae omni rationis conſilio faciat ſatis. Attamen haec ıude gaudent euidentiae prae argumentis directis, ſi uidem in repugnantia maior ſemper claritas repraeſenationis ineſt, quam in optima coniunctione, propiusque d rationem intuitiuam accedit demonſtrationis.

Vera cauſa vſus argumentorum apagogicorum in ariis artibus ſine dubio haec eſt. Cum rationes, vnde erta quaedam cognitio deriuari debet, nimium variae unt, nimiumque in profundo abſconditae: tum tentanus, num forte per conſequentia poſſimus ad eam perenire. Iam modus ponens, ad veritatem cognitionis uiuspiam ex veritate conſequentium illius, duntaxat um licitus foret, cum, quae exinde fieri poſſunt, conequentia vera videntur; tum enim huius vna tantum atio eſſe poteſt, quae proinde quoque vera eſt. Sed hoc ıon poteſt effici, quoniam vires noſtras ſuperat, vt vnierſa, quae eſſe poſſunt, conſequentia vllius cuiuſpiam nunciationis ſumtae perſpiciamus; attamen hoc conludendi genere vtimur, quamquam ſane cum certa uadam indulgentia, ſi id agatur, vt aliquid tamquam ıypotheſin probemus, conceſſa concluſione ex analogia: i tot conſequentia, quot vmquam tentaueris, cum raione quadam conſentiant ſumta, caetera, quae fieri poſunt, omnia quoque ad id fore concentura. Idcirco hac ia numquam poterit hypotheſis in veritatem commutai demonſtratam. Modus tollens ratiocinationum, a

conſequentibus ad cauſas concludentium, non ſolum ſtricte probat, verum etiam perfacile. Etenim, ſi vel vnum tantummodo, quod falſum ſit, conſequens effici e quodam enunciato poſſit, hocce enunciatum falſum erit. Ne ergo totam rationum ſeriem in argumento oſtenſiuo percurramus, qua ad veritatem cuiuspiam cognitionis duci poſſumus, ope plenae perfectaeque perſpicientiae illius poſſibilitatis, in conſequentibus e contrario illius promanantibus vel vnum duntaxat falſum reperiemus, tum itidem falſum erit hocce contrarium, proinde, quae probanda erat, cognitio vera videbitur.

Genus probandi apagogicum in iis tantummodo artibus eſſe licitum poterit, in quibus fieri poteſt, vt ſubiectiua ratio cogitationum noſtrarum obiectiuae, nimirum cognitioni eorum, quae ſunt in re obiecta, ſupponatur. Quod vbi dominatur, ibi frequenter, neceſſe eſt, eueniat, vt contrarium certae cuiusdam enunciationis aut ſolis legibus cogitandi ſubiectiuis repugnet, non vero obiectae rei, aut ambae enunciationes ſub conditione quadam ſubiectiua, falſo pro obiectiua reputata, ſibi inuicem repugnent, cumque conditio falſa ſit, vtraque falſa eſſe poteſt, neque tamen a falſitate vnius ad veritatem alterius queat concludi.

In matheſi ſubreptio iſta fieri non poteſt; idcirco in ea illarum quoque locus proprius videtur. Verum in phyſica, quippe in qua cuncta nituntur viſione empirica, iſta ſubreptio multis obſeruationibus collatis poterit quidem plerumque caueri; ſed hoc argumenti genus ibi tamen plerumque exiguum videtur. Verum tentamina rationis purae transſcendentalia cuncta intra medium ſpeciei dialecticae inſtituuntur, id eſt, ſubiectiui illius, quod rationi ſe in praemiſſis eius offert pro obiectiuo, atque adeo obtrudit. Hic igitur, reſpectu enunciationum ſyntheticarum, omnino non poteſt concedi, vt adſertiones eo defendantur, quod contrarium refutetur. Etenim, aut confutatio iſta non eſt, niſi ſola cogitatio pugnae opinionis oppoſitae cum legibus ſubiectiuis comprehenſibilitatis per rationem noſtram, id quod nec quid-

quam faciebat, vt res propterea reiiceretur (quemadmodum, vt hoc vtar, abſoluta neceſſitas in exſiſtentia naturae ſimpliciter a nobis non poteſt comprehendi, proinde cuique argumento ſubiectiuo naturae cuiusdam ſupremae neceſſariae ſubiectiue iure quidem, ſed poſſibilitati eiuscemodi naturae primae per *ſe ipſius* iniuria reſiſtit), aut vtraque pars, tum aiens, tum negans, ſpecie transſcendentali decepta, conceptum obiectae rei impoſſibilem conſtituunt, ibique valet regula: non-entis nulla ſunt praedicata, id eſt, tam ea, quae aiendo, quam quae negando de re obiecta ſunt adſerta, vtraque falſa ſunt, neque apagogice poteſt confutato contrario ad veri cognitionem perueniri. Sic exempli gratia, ſi ſumatur, mundum ſenſibilem per *ſe ipſum* ſecundum eius vniverſitatem datum eſſe propoſitumque, falſum erit, illum aut infinitum eſſe quoad ſpatium, aut finitum *terminisque circumſcriptum* oportere, propterea quod vtrumque falſum eſt. Namque phaenomena (qua repraeſentationes merae), quae tamen per *ſe ipſa* (qua res obiectae) data forent, eſſe non poſſunt, infinitasque huiusce totius mutatitii abſoluta quidem eſſet, ſed (quoniam vniuerſa in phaenomenis ad conditiones adſtricta ſuas) ea cum abſoluta pugnaret determinatione quantitatiua, quae tamen in conceptu ſumitur.

Apagogicum argumentandi genus porro quoque proprie in fuco eſt, quo, qui ſubtilitatem argutatorum dogmaticorum noſtrorum admirarentur, nullo non tempore lactati ſunt; eſt illud quaſi oſtentator, qui gloriam iuſtitiamque indubitatam partis ſuae electae eo conatur probare, ut cum quoque manum ſe conſerturum pollicetur, qui de re dubitauerit, quamuis tali iactantia nil quidquam in cauſa, ſed duntaxat in robore aduerſariorum comparato conficiatur, idque itidem tantummodo a parte eius, qui impetum facit. Hinc fit, vt ſpectatores, qui quemque vident in ſerie ſua modo vincere, modo inferiorem diſcedere, ſaepenumero inde anſam capiant, de re ipſa controuerſiae propoſita ſceptice dubitandi. Sed non eſt, cur hoc agant, ſatisque erit, eos monere his verbis:

non defenſoribus iſtis tempus eget. Quisque cauſam ſuam, neceſſe eſt, ope argumenti cuiusdam ex deductione transſcendentali rationum probandi rite ducti, id eſt, directe agat, vt videamus, quid iura rationis ſua poſſint pro ſe ipſis adferre. Namque, ſi aduerſarius eius rationibus nitatur ſubiectiuis, ſane quidem facili negotio poterit refelli, verum haud in commodum dogmatici, plerumque pariter cauſis iudicandi ſubiectiuis adhaerentis, qui ſimiliter poteſt ab aduerſario ad anguſtias redigi. Quodſi autem ambae partes duntaxat agant directe, aut ipſae ſponte ſentire poterunt difficultatem atque adeo impoſſibilitatem, inueniendi tituli ſuarum adſertionum, tandemque praeſcriptionem teſtari, aut critica ſpeciem dogmaticam facile aperiet, rationemque puram coget, vt iuribus ſuis iuſto altius intenſis in vſu contemplatiuo ſe abdicet, et intra fines territorii ſui proprii, nempe decretorum practicorum, remigret.

METHODOLOGIAE TRANSSCENDENTALIS

CAPUT SECUNDUM.

Canon rationis purae.

Iniquum eſt, rationem humanam, in vſu ſuo puro nil quidquam efficere, atque adeo diſciplinae cuiusdam egere, vt extrauagationes ſuas coërceat, praeſtigiasque, quae illi inde emergunt, euitet. Contra vero illa rurſus attollitur, eique in ſe ipſam fiduciam largitur, quod ſe ipſa et queat hanc diſciplinam exercere, et debeat, neque ſui tamen cenſuram concedat, itemque quod terminis, quos vſui contemplatiuo ſuo figere cogitur, ſimul argutantem cuiusque argutantis aduerſarii, ideoque vniuerſa, quae ex petitionibus ſuis antea vltra modum adauctis relinquantur, contra omnes poſſit impetus tuta praeſtare. Maxima igitur, atque haud ſciò, an vna vniuerſae philoſophiae ex ratione pura vtilitas duntaxat eſt negatiua; ſi quidem ea nimirum haud, vt organon, ad amplificationem, facit; verum, vt diſciplina, ad conſti-

tutionem finium, et pro inueniendo vero, laudem habet modeſtam errorum cauendorum.

Interim tamen vſpiam, neceſſe eſt, fontem eſſe cognitionum poſitiuarum, ditioni rationis purae ſubiectarum, quae fortaſſe perperam intellectae anſam praebeant erroribus, re ipſa autem metam conſtituant ſtudii aemulationisque rationis. Cui enim cauſſae ardor ille haud reſtinguendus attribuetur, vltra fines experientiae vſpiam fixum pedem ponendi? Ea res diuinat, quae permagnum illi inuitamentum adferunt. Viam ingreditur ſolius contemplationis, vt ad illas propius accedat; quae illam vero fugiunt. Sine dubio in vna via illa, quae illi relinquitur, nimirum in via vſus practici, melior ſucceſſus ſperandus erit.

Sed canonem intelligo complexum decretorum ex anticipatione vſus veri certarum quarundam cognoſcendi facultatum in vniuerſum. Sic logica vniuerſalis in parte analytica canon eſt intelligentiae rationisque vniuerſe, ſed tantummodo ſecundum formam, propterea quod ſe continet ab omni materia. Sic *analytica transſcendentalis* canon eſt *intelligentiae* purae, quippe quae ſola capax eſt verarum notitiarum ſyntheticarum ex anticipatione. Vbi autem nullus vſus rectus facultatis cuiusdam cognoſcendi eſſe poteſt, ibi nullus quoque canon eſt. Atqui vniuerſa cognitio ſynthetica rationis purae in vſu contemplatiuo, pro argumentis omnibus hucusque allatis, prorſus eſſe non poteſt. Ergo nullus canon eſt vſus contemplatiui illius (quippe qui omnino dialecticus eſt), verum vniuerſa logica transſcendentalis hoc quidem reſpectu non eſt, niſi diſciplina, Igitur, ſi omnino vſus rationis purae rectus inueniatur, quod ſi ita ſit , etiam neceſſe eſt illius canonem eſſe; is haud *vſum rationis contemplatiuum* ſpectabit, ſed *practicum*, quem itaque in praeſentia inueſtigabimus.

CANONIS - RATIONIS PURAE

SECTIO PRIMA.

De fine vltimo vſus puri rationis noſtrae.

Ratio propenſione naturae ſuae impellitur, vt, vſu empirico transmigrato, in vſu puro quodam, et ope ſolarum idearum ad extremas oras vniuerſae cognitionis tendere audeat, et tantummodo in orbe ſuo exacto demum, in toto quodam ſyſtematico in ſe conſiſtente, quietem inueniat. Num ille conatus poſitus eſt in ſolo inuitamento contemplatiuo, an potius vnice in practico?

Miſſo in praeſentia rationis ſucceſſu, reſpectu contemplatiuo, quaeſtiones ſolum anquiram, quarum ſolutio ſummum illius finem conſtituit, ad illumne pertineat illa necne, cuiusque ratione alii omnes locum occupant remediorum. Hos ſummos fines, ex natura rationis, neceſſe eſt, viciſſim vnitatem habere, vt illud humani generis inuitamentum, quod nulli altiori ſubeſt, coniuncte promoueatur.

Finis vltimus, quem tandem contemplatio rationis ſpectat in vſu transſcendentali, tres res attingit, ſcilicet libertatem voluntatis, immortalitatem animae, et exſiſtentiam dei. Ratione trium omnium inuitamentum rationis contemplatiuum perquam exiguum eſt, reſpectuque illius haud facile labor ille fatigans cumque impedimentis conflictans perpetuis inueſtigationis transſcendentalis ſuſciperetur, quoniam omnium, quae earum rerum fieri poſſent, patefactionum nullus fieri vſus poterit, qui in ſingulo, hoc eſt, in indagatione phyſica, ſuam oſtenderet vtilitatem. Libera voluntas fuerit, tamen id duntaxat cauſam volitionis noſtrae intelligibilem poterit attingere. Etenim, quod phaenomena attinet effectionum illius, id eſt, actiones, ex inuiolabili ſententia conſtitutiua, ſine qua non poſſumus vllam rationem in vſu empirico exſerere, eas numquam aliter atque caetera omnia phaenomena naturae, nempe e legibus immutabilibus, debemus explicare. Poſſit deinde et na-

turae animae ſpiritualis, cum eaque eius immortalitas perſpici, tamen, neque ratione phaenomenorum huiusce vitae, tamquam rationis explicandi, neque reſpectu peculiaris naturae ſtatus futuri, cadere ſub contemplationem poterit, quoniam, quam de natura habemus incorporea, cogitatio noſtra negatiua eſt, noſtramque cognitionem ne minimum quidem auget atque amplificat, neque vllam materiam ad conſequentia idoneam ſuppeditat, niſi ad ea, quae poſſunt pro commentis haberi, quae vero a philoſophia haud conceduntur. Si etiam tertio exſiſtentia intelligentiae ſummae probata foret; inde quidem conuenientiam in conſtitutione mundi ordinemque in vniuerſum poſſemus comprehendere, ſed nullo modo ius haberemus, vllum quodpiam peculiare inſtitutum ordinemque inde deriuandi, aut, vbi ea non percipiantur, fidenter ad ea concludendi, propterea quod lex eſt neceſſaria vſus rationis contemplatiui, vt ne cauſas phyſicas praetereamus, eaque, de quibus per experientiam poſſimus edoceri, mittamus, quo aliquid, quod nouimus, ab eo deriuemus, quod vniuerſam cognitionem noſtram prorſus ſuperet. Ad ſummam, illae tres enunciationes rationi contemplatiuae ſemper manent transſcendentes, neque vllum vſum habent immanentem, hoc eſt, rebus experientiae obnoxiis conſentaneum, proinde nobis vllo modo vtilem, ſed per ſe ſpectatae prorſus otioſae ſunt, praeterea que maxime arduae contentiones noſtrae rationis.

Quamobrem cum iſtae tres enunciationes praecipuae nullo modo ſint nobis ad *ſcientiam* neceſſariae, nihilominus autem per rationem noſtram maxime commendentur; pondus earum ſine dubio proprie ad rationem *practicam* pertinebit.

Practica dicuntur vniuerſa, quae fieri poſſunt per libertatem. Quodſi autem leges exſerendi noſtri arbitrii liberi empiricae ſint, ratio in eo non poterit vſum habere alium, quam regulatiuum, ad efficiendamque vnitatem legum empiricarum facere velut in doctrina politica coniunctio omnium finium, nobis ab inclinationi-

bus noſtris propoſitorum in vna *felicitate*, concentusque adiumentorum, quibus eam attingimus, totum rationis opus conſtituunt, quae propterea nullas, niſi practicas, actionis leges, ad attingendos fines nobis a ſenſibus commendatos, ideoque nullas leges puras, penitus ex anticipatione conſtitutas, poteſt miniſtrare. Contra leges purae practicae, quarum finis per rationem prorſus eſt ex anticipatione propoſitus, quaeque haud ad rationem empiricam hypothetice, ſed abſolute imperant, in effectis forent rationis purae. Cuiusmodi autem ſunt leges morales, quae proinde ſolae pertinent ad vſum practicum rationis purae, canonemque concedunt.

Vniuerſus igitur rationis apparatus in tractatione, quae dici poteſt philoſophia pura, reapſe tres illas quaeſtiones ſolas ſpectat. His autem ipſis rurſus finis propoſitus eſt remotior, nimirum quid faciendum ſit, ſi voluntas libera ſit, ſi deus exiſtet, ſi mundus futurus videatur. Quae cum vitam noſtram ratione finis ſupremi attingant, ſequitur, vt finis vltimus naturae ſapienter nobis proſpicientis, in conſtitutione rationis noſtrae, proprie tantummodo ad mores pertineat.

Sed cautione opus eſt, vt, cum animum ad rem aduertamus philoſophiae transſcendentali alienam, ne extra oleas, quod aiunt, extrauagemur, vnitatemque ſyſtematis laedamus, partim autem, vt ne, dum de materia noua iuſto pauciora dicamus, perſpicuitati perſuaſionique quidquam detrahamus. Vtrumque eo me praeſtiturum ſpero, vt, quantum fieri poſſit, transſcendentali rationi arctius inhaeream, eaque, quae forte in iis pſychologiam ſpectauerint, id eſt, empirica fuerint, prorſus in medio relinquam.

Ac primo quidem notandum eſt, in praeſentia conceptu libertatis memet in ſenſu duntaxat practico vſurum fore, ſignificationemque eius transſcendentalem, quae non poteſt vt ratio explicandi phaenomena empirice ſumi, ſed ipſa quoque quaeſtio eſt rationi propoſita, hoc loco, tamquam ſupra confectam, ſepoſiturum.

Arbitrium tantummodo *brutum* eſt, quod non poteſt niſi impulſibus ſenſitiuis, hoc eſt, pathologice, determinari. Illud autem, quod ab impulſibus ſenſitiuis libere poteſt, proinde cauſis, quae ab ratione ſola cogitantur, motricibus conſtitui ac moueri, *arbitrium liberum* vocatur, omnia, quae cum hoc, ſiue vt rationes, ſiue vt conſecutiones, cohaerent, *practica* dicuntur. Libertas practica per experientiam poteſt euinci. Neque enim ſolum id, quod allicit, id eſt, proxime ſenſus pellit atque adficit, arbitrium humanum flectit, ſed ineſt quoque in nobis facultas repraeſentationibus eorum, quae ipſa remotius vtilia ſunt vel inutilia, impreſſionum in facultate noſtra ſenſitiua vincendarum; ſed hae deliberationes de iis, quae ratione totius ſtatus noſtri digna ſint, quae appetantur, quae bona ſint atque vtilia, poſitae ſunt in ratione. Quae proinde et leges praecipit, quae imperatiuae ſunt, hoc eſt, *leges libertatis* obiectiuae, quaeque, quid *fieri debeat*, enunciant, etiamſi fortaſſe numquam fiat, in eoque differunt a cauſis phyſicis, quae de eo agunt, quod fit, quapropter etiam leges practicae appellantur.

An vero ratio ipſa in hiſce actionibus, quibus ea leges dictat, haud rurſus aliis contagionibus determinata ſit, idque, quod habito ad impulſiones ſenſitiuas reſpectu libertas vocatur, ratione cauſarum efficientium altiorum remotiorumque haud viciſſim natura fuerit, id in re practica, cum tantummodo rationem de *praecepto* vitae proxime conſulimus, nihil nos attinet, ſed quaeſtio eſt duntaxat contemplatiua, quam, dum, quid agendum ſit, quid omittendum, ſpectemus, in medio relinquere poſſumus. Quamobrem libertatem practicam per experientiam cognoſcimus, velut quandam cauſarum phyſicarum, nempe effectionem rationis in voluntate flectenda, cum interim libertas transſcendentalis vacuitatem huiusce rationis ipſius (reſpectu effectionis illius, ſeriem viſorum inſtituendi,) ab vniuerſis cauſis mundi ſenſibilis determinantibus poſtulet, atque eatenus legi phyſicae, proinde omni, quae poteſt fieri, experientiae contraria videatur, proinde maneat problema. Sed rationem in vſu practi-

co problema iſtud haud attingit, ergo in canone rationis purae duabus de quaeſtionibus agemus, quae inuitamentum rationis practicum attinent, cuiusque reſpectu canonem, neceſſe eſt, vſus illius eſſe poſſe, his nimirum: eſtne deus? an eſt vita futura? Quaeſtio de libertate transſcendentali ſolam ſpectat ſcientiam contemplatiuam, quam vt prorſus indifferentem relinquere in medio poſſumus, ſi de ratione practica agatur, et qua de ia antinomia rationis purae ſatis copioſe diſputauimus.

CANONIS RATIONIS PURAE

SECTIO SECUNDA.

De ideali ſummi boni tamquam ratione quadam conſtituendi finem vltimum rationis purae.

Ratio in vſu ſuo contemplatiuo duxit nos per campum experientiae, atque inde, cum ibi numquam penitus exſatiari poſſit, ad ideas contemplatiuas, quae nos vero tandem viciſſim ad experientiam reduxerunt, atque ita fini ſuo conſilioque vtiliter quidem, ſed exſpectationi noſtrae haud ita conuenienter ſatisfecerunt. Nunc adhuc nobis relinquitur quaeſtio: nimirum an ratio pura etiam in vſu practico poſſit deprehendi, anne illa in eo ad ideas ducat, quae ſummos rationis purae fines attingant, quod ſupra indicauimus, eaeque proinde e ſtatione inuitamenti practici ea nobis poſſint impertire, quae reſpectu contemplatiui nobis omnino recuſant.

Vniuerſum rationis meae inuitamentum (tam contemplatiuum, quam practicum) coniungitur in hiſce tribus quaeſtionibus:

1) Ecquid poſſum ſcire?
2) Ecquid debeo agere?
3) Ecquid mihi licet ſperare?

Ac prima quidem quaeſtio tota eſt contemplatiua. Vniuerſas, opinor, quae fieri poſſunt, reſponſiones illius exhauſimus, tandemque eam inuenimus, in qua

quidem rationi conquieſcendum eſt, et, niſi rem practicam ſpectet, etiam habet, cur contenta videatur; a magnis autem finibus illis, quos omnis hic rationis conatus proprie ſpectabat, aeque longius remoti manſimus, ac ſi ſtatim in principio per ignauiam huic labori nos ſubduxiſſemus. Quodſi igitur de ſcientia agatur, certum ſaltem eſt atque indubitatum, nos eius non poſſe, reſpectu duarum quaeſtionum illarum, fieri participes.

Altera deinde quaeſtio practica eſt, et actionem vitae ſpectat. Atque eatenus quidem poteſt ad rationem puram pertinere; tum autem non eſt transſcendentalis, ſed moralis, proinde per ſe ipſa haud poterit criticae noſtrae propoſita eſſe.

Tertia denique quaeſtio, nimirum: ſi, quod debeo, faciam, quid tum licebit mihi ſperare? eadem et practica eſt, et theoretica, ita, vt parte practica quodam quaſi duce ad quaeſtionis theoreticae, quaeque, ſi altius tendat, contemplatiuae reſponſionem ducamur. Namque cuicumque ſpei, quam expetat atque exſpectet, beatitas propoſita eſt, et ratione rei practicae legisque moralis idem eſt, quod ſcientia et lex naturalis reſpectu cognitionis rerum theoreticae videtur. Illa demum ad concluſionem redit, eſſe quiddam (quod finem vltimum poſſibilem conſtituat), propterea quod *debeat* aliquid *fieri;* haec: aliquid eſſe (quod vt cauſa agat ſuprema), eo quod aliquid fiat.

Sed beatitas cernitur in expletione ac ſatiatione omnium cupiditatum noſtrarum, tum (extenſiue) quoad varietatem illarum, tum (intenſiue) magnitudinem quaſique gradum, tum vero etiam (protenſiue) durationem. Legem, quae *beatitatem*, tamquam ſtimulum quemdam adhibet officii faciendi, dico pragmaticam (regulam prudentiae); eam vero, ſi qua ſit, quae non iubet ac praecipit, niſi quomodo nos componamus et geramus, vt *beatitate digni* euadamus, moralem (legem morum) appello. Illa ſuadet et conſulit, quae facienda ſint, vt beatitate perfruamur; haec praecipit atque imperat, quo-

modo nos componamus ac geramus, vt beatitate modo digni euadamus. Illa in principiis poſita empiricis eſt; nam non, niſi per experientiam, ſcire poſſum, quinam in me inſint appetitus, qui cupiant expleri, neque quae cauſae phyſicae, quibus illorum ſatiatio efficiatur. Altera deinde lex ab appetitionibus ſe continet, ſubſidiisque naturae illarum ardorem reſtinguendi, libertatemque naturae rationisque duntaxat vniuerſe conſiderat, conditionesque neceſſarias, quibus ſolis fit, vt ea cum distributione beatitatis ex principiis concinat atque conveniat, proinde ſolis certe inniti ideis poterit rationis purae atque ex anticipatione cognoſci.

Iam vero ſumo, vere puras eſſe leges morales, quae prorſus ex anticipatione (nullo reſpectu habito rationum mouentium empiricarum, id eſt, beatitudinis) actionem omiſſionemque, hoc eſt, vſum libertatis naturae rationisque generatim, conſtituant, easque leges ſimpliciter abſoluteque (non tantum hypothetice poſitis aliis finibus empiricis) imperare, ideoque omnino neceſſarias eſſe. Hanc ſententiam iure poſſum ſumere, non ſolum propterea, quod argumenta teſtor politiſſimorum philoſophiae moralis doctorum, verum etiam iudicium morale hominis cuiusque, ſi eiusmodi legem cogitatione vult dilucide informare.

Quamobrem ratio pura, non in vſu quidem contemplatiuo, attamen in certo quodam practico, nempe morali, principia continet poſſibilitatis experientiae, nimirum eiusmodi actionum, quae praeceptis moralibus conſentaneae in hiſtoria hominis poſſint inueniri. Cum enim imperent, vt eae ſieri debeant, eas quoque fieri poſſe, neceſſe eſt, ideoque peculiaris forma quaedam vt eſſe queat, oportebit, vnitatis ſyſtematicae, ſcilicet moralis, cum e contrario vnitas phyſica ſyſtematica ex principiis rationis *contemplatiuis* non poſſet probari, ſiquidem ratio reſpectu quidem libertatis in genere, non autem ratione vniuerſae naturae, gaudet effectione, principiaque rationis moralia actiones quidem liberas poſſunt, non vero leges phyſicas producere.

Idcireo principiis rationis purae in vſu practico, nominatim morali, nulla eſt realitas obiectiua.

Mundum, qui vniuerſis legibus moralibus conſentaneus foret (qui ſanè ex *libertate* naturarum ratione vtentium eſſe poteſt, et ex legibus *honeſti* (moralitatis) debet eſſe), *mundum* dico *moralem*. Qui quidem duntaxat vt mundus intelligibilis cogitatur, quoniam ab vniuerſis in eo conditionibus (finibus) ab ipſisque vniuerſis moralitatis impedimentis in eo (imbecillitate ac perfidia humanae naturae) nosmet continemus. Eatenus igitur in ſola verſatur idea, ſed tamen practica, cuius reapſe in mundo-ſenſibili et poteſt vis eſſe, et debet, vt is, quantum fieri poſſit, huic ideae conformis reddatur. Quocirca idea mundi-moralis realitatem obiectivam habet, non ita quidem, vt rem ſpectet, viſioni ſubiectam intelligibili (cuiusmodi nos non poſſumus cogitatione depingere), ſed mundum ſenſibilem, verum vt rem rationi purae in vſu practico obnoxiam, corpusque in eo myſticum naturarum ratione vtentium, quatenus liberum arbitrium earum ſub legibus moralibus tam ſecum ipſo, quam cum cuiusuis alius libertate, perpetuam in ſe habet vnitatem ſyſtematicam.

Haec habuimus, quae ad vnam duarum quaeſtionum rationis purae, inuitamentum practicum ſpectantium, reſponderemus: fac ea, quibus dignus reddare beatitate perfruenda. Altera deinde haec quaeſtio eſt: quid? ſi memet ita geſſero, vt beatitate haud videar indignus, num licebit ſperari, eo memet illius fieri poſſe participem? Reſponſio ad eam pendet ex eo ſcilicet, an principiis rationis purae, legem ex anticipatione praecipientibus, ea ſpes quoque neceſſario cum ea connectatur.

Quamobrem, quantopere principia moralia ex ratione in vſu practico neceſſaria ſint, tantopere etiam ea neceſſaria aio ex ratione in vſu theoretico accipi debere, vt quisque beatitatem poſſit ad eundem modum ſperare, quo illa ſe dignum in vita parauerit, ideo-

que ſyſtema moralitatis cum ſyſtemate beatitatis arctiſſime, ſed modo in idea rationis purae eſſe coniunctum.

Iam in mundo intelligibili, id eſt, morali, in cuius conceptu nobis ab vniuerſis moralitatis (inclinationum animi) temperamus, eiusmodi ſyſtema coniunctae cum moralitate felicitatis aequa proportione conſtitutae etiam vt neceſſarium poteſt cogitari, propterea quod libertas legibus moralibus partim commota, partim adſtricta, ipſa cauſa eſſet felicitatis vniuerſalis, proinde naturae ratione vtentes ipſae, ducibus iſtis principiis, auctores ſalutis forent conſtantis et ſuae ipſarum, et ſimul aliarum. Sed haec diſciplina virtutis ſe ipſam remunerantis idea quidem eſt, quae non poſſit ad effectum perduci, niſi, quod cuique incumbit, officio quisque diligenter obſequatur, id eſt, niſi vniuerſae naturae rationisque actiones ita fiant, quaſi a voluntate ſuprema, omne ſingularum arbitrium in ſe continente, naſcantur. Cum autem, quae e lege morali naſcitur, libertate ſua vtendi, omnibus et ſingulis eadem obligatio ſit, quamvis alii illam legem migrauerint, nec per naturam rerum in mundo, nec per effectionem ipſarum actionum earumque ad virtutem adfectionem certo definitum eſt, quam qualemue conſequentiae ad felicitatem ſint proportionem habiturae, neque quam diximus, neceſſaria ſpei coniunctio felicitatis potiundae cum ſtudio indefeſſo dignum ſeſe felicitate parandi a ratione poteſt cognoſci, ſi ſola natura conſtituatur, ſed tantum licet ſperari, poſita ratione ſuprema aliqua, ex legibus moralibus imperante, eademque naturae cauſa.

Ideam eiusmodi intelligentiae, quae ſanctiſſimam voluntatem in ſe cum ſumma beatitate arctiſſime coniunctam complectatur, omnisque felicitatis in mundo cauſa ſit, quatenus illius ad virtutem (vtpote dignitatem felicitatis fruendae) peraequa proportio ſit, *ideale* dico *ſummi boni*. Ergo ratio pura in ſolo ideali ſummi boni originarii cauſam poteſt coniunctionis practice neceſſariae amborum elementorum ſummi boni deriuati inuenire, nimirum mundi cuiusdam intelligibilis, id eſt,

moralis. Cum autem nos neceſſario per rationem eam coniunctionem ad eiusmodi mundum pertinentem cogamur cogitare, quamuis ſenſus nobis nil niſi mundum proponant phaenomenorum, ſequitur, vt ille, in quo, quae in mundo ſenſibili egerimus, conſequamur, qui eam nobis coniunctionem haud oſtendat, tamquam mundus nobis futurus ſumatur. Ergo, deum eſſe et vitam futuram, ſumtiones duae ſunt rationis purae, quae ex ipſius huiusce rationis principiis, quae nobis ſtudium iniungit genuinae germanaeque virtutis, nullo modo poſſunt ab obligatione noſtra diuelli.

Virtus (moralitas) per ſe ipſa diſciplinam conſtituit, non item felicitas, praeterquam ſi virtuti conuenienter diſtributa videatur. Sed hoc in mundo duntaxat intelligibili fieri poterit, ſub ſapiente et auctore et moderatore. Quem, vna cum vita eiusmodi mundi, quem ſpectare futurum debemus, ratione cogimur, vt ſumamus, aut leges morales vt inanes phantaſiae fetus conſiderare, quoniam, quam eadem ratio cum iis coniungit, conſecutio neceſſaria illarum, ſine ſumtione illa neceſſario tolleretur. Quamobrem et quisque homo leges morales accipit pro *praeceptis*, quod vero eſſe non poſſent, niſi ex anticipatione cum regula ſua conſecutiones connecterent conſentaneas, et proinde *promiſſiones* in ſe *comminationes*que cohiberent. Nec vero id poterunt efficere, niſi in natura inſint neceſſaria, vtpote ſummo bono, quae ſola poſſit curare, vt eiusmodi eſſe queat vnitas finibus conueniens.

Leibnitius mundum, quatenus in eo ad ſolas naturas ratione praeditas earumque contextum ex legibus moralibus moderante ſummo bono ſpectatur, *regnum* vocauit *gratiae*, illudque diſtinxit a *regno naturae*, cum legibus quidem moralibus ſubſunt, ſed nulla alia actionum ſuarum euenta exſpectant, quam quae ſecundum curſum efficiuntur naturae in noſtro mundo ſenſibili. Vt igitur nosmet in regno gratiae conſpiciamus, vbi omnis nos manet felicitas, praeterquam niſi partem noſtram in ea omiſſo ſtudio dignos nosmet felicitate pa-

randi ipſi coërceamus, idea rationis eſt practice neceſſaria.

Leges practicae, quatenus eaedem rationes actionum ſubiectiuae fiunt, id eſt, decreta ſubiectiua, dicuntur *normae*. *Diiudicatio* virtutis, ſecundum puritatem illius atque effecta, fit ex *ideis*, ſed legum *obſervantia* ex *normis*.

Neceſſe eſt, vt vniuerſa vita noſtra normis moralibus ſubiiciatur; verum itidem fieri non poteſt, vt id fiat, niſi ratio cum lege morali, quae in mera idea verſatur, cauſam efficientem coniungat, quae actioni ad eam inſtitutae euentum conſtituat ſummis finibus noſtris maxime conſentaneum, ſiue in hac vita, ſiue aliqua futura. Igitur remoto deo, mundoque nobis nunc haud conſpicuo, ſed ſperato, ſplendidae illae virtutis ideae in rebus verſantur, omnium omnino comprobatione atque admiratione digniſſimis illis quidem, ſed parum idoneis ad nos ad officium faciendum impellendos ſtimulandosque, quandoquidem illae haud vniverſum finem attingunt, cuique naturae rationique naturalem, eademque illa ratione pura ex anticipatione conſtitutum et neceſſarium.

Felicitas ſola, permultum abeſt, vt rationi bonum perfectiſſimum videatur. Illam ratio haud probat (vt eam cumque appetitio exoptauerit), niſi coniuncta ſit cum ſtudio ſe dignum felicitate reddendi, id eſt, cum obedientia morali. Virtus ſola, cum eaque ſolum ſe *dignum* felicitate componendi ſtudium, permultum abeſt, vt bonum perfectum abſolutumque videatur. Quod vt conficiatur, eum, qui ſeſe haud indignum felicitate geſſerit, poſſe, oportebit, ſperare, illius ſeſe futurum eſſe participem. Ipſa ab omni peculiari ſtudio libera ratio, ſi, nullo reſpectu habito commodi proprii, locum caperet cuiusdam naturae, quae omnem felicitatem poſſet diſtribuere, haud aliter poterit iudicare; namque in idea practica ambae partes neceſſario ſunt coniunctae, ita tamen, vt ſenſo animi morali, quaſi con-

ditione, primum efficiatur, vt poſſit pars eſſe felicitatis, non viciſſim retro ſpe felicitatis ſenſum animi morale. Quippe quod hoc modo non foret morale, et proinde quoque haud dignum tota felicitate, quae coram ratione nullam nouit aliam circumſcriptionem, quam quae ex propria noſtra actione pendet, virtuti contraria.

Igitur felicitas in aequa proportione virtutis naturarum rationalium, qua illa ſunt digni, ſola conſtituit ſummum bonum mundi, in quo ex praeceptis rationis purae, ſed practicae, animo debemus ac mente locum capere, quique ſane quidem mundus eſt tantum intelligibilis, ſi quidem mundus ſenſibilis de natura rerum eiusmodi vnitatem finium ſyſtematicam haud pollicetur, cuius itidem realitas in nulla poteſt re alia conſtitui, quam in ſumtione cuiuspiam ſummi boni originarii, cum ratio in ſeſe conſiſtens, cum omni ſufficientia cauſae cuiusdam ſupremae ornata, ſecundum perfectiſſimam ad fines conſpirationem vniuerſalem illum, quamuis in mundo ſenſibili nobis admodum absconditum, rerum ordinem conſtituit, conſeruatque, atque abſoluit.

Atque haec theologia moralis hunc peculiarem principatum habet prae contemplatiua, vt neceſſario ad conceptum ducat entis primi vnius, omnium perfectiſſimi et rationalis, quod theologia contemplatiua e rationibus obiectiuis nobis ne monſtrat quidem, nedum nobis poſſit de eo perſuadere. Neque enim in theologia transſcendentali, neque naturali, quo vsque in ea ratione ducamur, vllam cauſam quandam rationemue ſumendi naturam vnam, quam iure poſſimus vniuerſis cauſis naturalibus praeponere, easque ex ea prorſus aptas ſtatuere. Contra, cum e ſtatione vnitatis moralis, vtpote neceſſaria lege cosmica, cauſam conſideramus, quae huic ſola poteſt effectum conſentaneum, proinde quoque pro nobis vim obligandi tribuere, vna ſit ſuprema voluntas, neceſſe eſt, quae vniuerſas leges eas in ſe contineat. Qui enim in voluntatibus variis perfectam finium vnitatem inueniemus? Atque illa quidem volun-

tas omni, oportebit, polleat potentia, cui, quanta quanta ſit, natura, eiusque cum virtute comparatio, ad eamque adfectio, ſubiecta videatur; ſit ea porro omniſcia, vt inteſtinos motus atque adfectiones animorum, earumque pretium internum probe cognitum habeat; ſit vero etiam vbicumque locorum praeſens, vt proxime adſit cuique neceſſitati, quam ſummum optimum cosmicum requirit; ſit denique aeterna, vt nullo tempore ille tantus tamque admirabilis naturae libertatisque concentus deficiat, et ſic porro.

Atque illa quidem finium conſpiratione vnitateque ſyſtematica in mundo intelligentiarum, qui, quamvis, vt natura mera, duntaxat mundus ſenſibilis, tamquam ſyſtema libertatis autem, intelligibilis mundus, id eſt, moralis (regnum gratiae) dici poteſt, neceſſario quoque ad omnium rerum ducimur vnitatem ad fines conſpirantem, quibus magnum hocce totum efficitur, ex vniuerſalibus legibus naturalibus, perinde atque prior ex vniuerſalibus neceſſariisque legibus moralibus, practicaque ratio cum contemplatiua copulatur. Mundus tamquam ex vna idea profectus, oportebit, proponatur, ſi cum illo rationis vſu, ſine quo nosmet ipſos ratione indignos putaremus, ſcilicet cum morali, qui omnino idea nititur ſummi boni, debeat conſpirare. Ea re omnis naturae perſcrutatio dirigetur ad formam ſyſtematis finium atque ſcoporum, in ſummaque dilatatione ſua efficitur phyſico-theologia. Quae vero, ab ordine morali, tamquam vnitate quadam in natura libertatis conſtituta, neque praeceptis extraneis fortuito ſancita vnitate, profecta, conſpirationem finium naturae ad rationes reuocat, ex anticipatione cum interna rerum poſſibilitate neceſſario coniunctas arctiſſime, eoque ad theologiam transſcendentalem, quae ideale ſummae perfectionis ontologicae pro principio amplectitur vnitatis ſyſtematicae, quo ad leges vniuerſales neceſſariasque naturales vniuerſae res coniunguntur, quippe quarum omnium origo ab abſoluta neceſſitate pendet vnius cuiuspiam auctoris primi.

Ecquem vſum facere intelligentiae poterimus, ratione ipſius experientiae, niſi fines nobis proponamus? Sed fines ſummi fines virtutis ſunt, eosque ſola poteſt nos ratio pura docere. His igitur inſtructi, ad ductumque illorum, ipſa naturae notitia vti haud conuenienter poſſumus ratione cognitionis, vbi haud ipſa vnitatem ad fines conſpirantem natura indiderit; quippe ſine qua vel ipſa ratione careremus, quoniam nullam illius ſcholam haberemus, neque culturam per res obiectas, materiam eiusmodi conceptuum miniſtrantes. Sed vnitas illa conſpirans cum finibus neceſſaria eſt, atque in natura ipſius arbitrii conſtituta, quae proinde, conditionem vſus eius in ſingulo continens, eſſe neceſſe eſt, atque ita auctio transſcendentalis cognitionis noſtrae rationalis haud cauſa foret, ſed tantummodo effectum conuenientiae finium practicae, quam nobis iniungit ratio pura.

Quamobrem hiſtoria rationis humanae oſtendit, priusquam conceptus morales purgati ſatis conſtitutique eſſent, vnitasque finium ſyſtematica ex iis, et quidem ex neceſſariis principiis eſſet perſpecta, cognitionem naturae, ipſamque partem haud exiguam culturae intelligentiae in multis aliis artibus, partim rudes tantummodo vagosque de deo conceptus gignere potuiſſe, partim miram indifferentiam ratione huiusce quaeſtionis omnino reliquiſſe. Maior tractatio idearum moralium, lege morali maxime pura religionis noſtrae neceſſaria facta, acuit rationem ad rem obiectam, inuitamento, quod capere ex illa cogebatur, cumque nec dilatatae cognitiones phyſicae, nec verae certaeque notitiae transſcendentales (cuiusmodi nullo non tempore defuerunt), ad id conferrent, tamen conceptum naturae diuinae pepererunt, quem nos nunc rectum putamus, non eo quidem, quod veritatis eius fidem nobis fecerit ratio contemplatiua, ſed quia is cum principiis rationis moralibus perfecte conuenit atque conſentit. Atque ita tandem ſola ratio pura, ſed modo in vſu practico, laude fruitur, cognitionis, quam ſola contemplatio duntaxat opinari

poteſt, non vero conſtituere, ad ſummum inuitamentum noſtrum iungendae, eoque non quidem ad dogma quoddam demonſtratum, attamen ad ſumtionem abſolute neceſſariam in finibus ſuis eſſentialibus conſtituendae.

Quodſi autem ratio practica ad hocce faſtigium pervenerit, conceptum dico vnius cuiuspiam naturae primae, illi prorſus non licebit, vt, quaſi, omnibus vſus eius legibus empiricis ſuperatis, ad proximam rerum novarum cognitionem eleuata ſit, ab hocce conceptu proficiſcatur, legesque morales ipſas ab eo deriuet. Earum enim ipſarum interna neceſſitate practica ad ſumtionem ducebamur cauſae cuiusdam in ſeſe conſiſtentis, ſapientisue mundi moderatoris, vt legibus illis impertiretur effectio, ideoque eas haud poſſumus ad hanc viciſſim vt fortuitas atque a ſola voluntate deriuatas ſpectare, in primis ab ea voluntate, de qua ne cogitationem quidem haberemus, niſi eam legibus illis conuenienter formaſſemus. Quousque iure nos ducere ratio practica poterit, actiones numquam propterea debitas habebimus, quod in diuinis praeceptis ſint, ſed ideo eas pro praeceptis diuinis reputabimus, quoniam interne ad eas obligati tenemur. Libertatem, vnitate cum finibus conſpirante magiſtra, ex principiis rationis diſcemus, nosque non voluntati diuinae conſentaneos credemus, niſi quatenus legem moralem, quam ratio nos ex ipſa natura actionum edocet, ſanctam habeamus, illumque (deum) colere eo ſolo arbitremur, vt bonum cosmicum in nobis atque in aliis promoueamus. Itaque theologiae moralis vſus duntaxat immanens eſt, ſcilicet, vt, cuius cauſa in hoc mundo conſtituti ſumus, curemus, propterea quod ſyſtemati conuenimus vniuerſorum finium, neque fanatice, aut adeo temere ducem rationem legislatoriam in vita honeſte degenda deſeramus, quo proxime ad ideam naturae ſummae ducem illum iungamus, vnde vſus exſiſteret transſcendens, quo perinde, atque vſu ſolius contemplationis, vltimos rationis fines peruerti ac perdi, neceſſe eſt.

CANONIS RATIONIS PURAE

SECTIO TERTIA.

De opinione, ſcientia et fide.

Adſenſus res eſt in intelligentia noſtra, quae in rationibus poteſt obiectiuis poſita eſſe, ſed etiam cauſas ſubiectiuas requirit in animo iudicantis. Si iudicium cuique probatur, qui ratione vtitur, cauſa eius obiectiue idonea eſt, adſenſusque tum dicitur *perſuaſio ad veritatem.* Qui cum in ſingulari ſubiecti natura fundamentum habet, *perſuaſio erronea* vocatur.

Perſuaſio erronea cernitur in ſola ſpecie, ſi quidem iudicii ratio, quae tantummodo ineſt in ſubiecto, pro obiectiua reputatur. Inde eiusmodi iudicium ſeparate valet priuatimque, neque adſenſus poteſt communicari. Sed veritas poſita eſt in conuenientia cum re obiecta, cuius proinde ratione iudicia cuiusque intelligentiae conſentiant inter ſe, neceſſe eſt. Adſenſus, verane an erronea perſuaſio ſit, quaedam quaſi obruſſa proinde, extrinſecus, eſt poſſibilitas illum cum aliis communicandi, adſenſumque communiter cuiusque hominis rationi probatum videndi; tum enim ſaltim licet ſuſpicari, cauſam contemtus iudiciorum omnium, vtcumque varietate ab ſe inuicem ſubiecta diſtent, poſitam in cauſa communi fore, nimirum in re obiecta, quacum proinde vniuerſa conſenſura eoque iudicii veritatem probatura videantur.

Quocirca perſuaſio erronea a vera haud ſubiectiue quidem poterit diſtingui, ſi ſubiecto adſenſus, duntaxat qua phaenomenon ſui ipſius animi, ob oculos verſetur; quod vero in rationibus illius, nobis probatis, in aliorum intelligentia facimus, an in aliena ratione idem efficiant, atque in noſtra, periculum in adiumento verſatur, ſubiectiuo quidem tantummodo, quo haud vera quidem perſuaſio efficiatur, attamen ſolus iudicii valor ſe-

paratus priuatusque, hoc eſt, quiddam in eo, quod mera erronea perſuaſio ſit, aperiatur.

Si praeterea cauſae iudicii ſubiectiuae, quas pro rationibus eius obiectiuis ſumimus, explicari poſſint, ideoque adſenſus fallax, tamquam euentum quoddam in animo noſtro explanari, ita vt haud opus habeamus conditione rei obiectae, tum ſpeciem denudabimus, eaque non amplius decipiemur, quamuis ſemper adhuc certo quodam gradu tentabimur, ſi cauſa ſpeciei ſubiectiua naturae noſtrae adhaereat.

Nihil quidquam poſſum adſerere, id eſt, pro iudicio cuique neceſſario probato enunciare, quam quod me certum facit. Perſuaſionem mihi ſeruare poſſum, ſi memet in ea bene habeam, neque eam tamen, praeter me, nemini probatam velle potero, neque debebo.

Adſenſio, ſiue valor iudicii ſubiectiuus, ratione perſuaſionis verae (quae eadem obiectiue valet), gradibus hiſce tribus conſtat: et *opinione*, et *fide*, et *ſcientia*. *Opinio* cernitur in adſenſione cum conſcientia et ſubiectiue et obiectiue haud idonea. Quae poſterior cum tantum ſubiectiue idonea eſt, ſed ſimul obiectiue haud idonea putatur, tum *fides* appellatur. Tandem adſenſio cum ſubiectiue tum obiectiue idonea dicitur *ſcientia*. Ratio ſubiectiue idonea vocatur *perſuaſio* (reſpectu mei ipſius), ſed obiectiua, *certitudo* (ratione cuiusque). In illuſtrandis conceptibus tam facilibus haud morabor.

Licebit numquam, vt *opiner*, niſi ſaltem aliquid *ſciam*, cuius ope iudicium mere problematicum cum veritate coniungatur, quae coniunctio, minus plena quidem, ſed tamen plus quam fictio arbitraria videtur. Praeterea legem eiusmodi coniunctionis, neceſſe eſt, veram eſſe. Quandoquidem, ſi ratione eius nil niſi opinionem habeam, omnia tantummodo in ludo verſabuntur phantaſiae, ſine vlla ad veritatem adfectione. In iudicando ex ratione pura nullo pacto licet *opinari*. Nam, quoniam iudicia illa haud rationibus fulciuntur

empiricis, ſed vniuerſa cognoſci debent ex anticipatione, vbi cuncta neceſſaria ſunt, principium coniunctionis et vniuerſalitatem requirit et neceſſitatem, proinde plenam animi firmitatem, alioquin nullum prorſus poteſt ad veritatem iter inueniri. Idcirco abſurdum eſt, in matheſi pura opinari; ſcire nos, oportebit, aut ab omni nos iudicio continere. Pariter cum decretis moralitatis comparatum videtur, vbi non ad ſolam opinionem, aliquid licitum eſſe, actionem nobis licet audere, verum nosmet illud oportet ſcire.

In vſu rationis transſcendentali e contrario ſane quidem opinari parum eſt, ſed ſcire nimium. Reſpectu mere contemplatiuo igitur hoc loco omnino non poſſumus iudicare; ſi quidem rationes adſenſus ſubiectiuae, quemadmodum eae, quibus fides poteſt effici, in quaeſtionibus contemplatiuis nulla ſunt dignae approbatione, cum ab omni ope empirica haud ſe ſuſtinere liberae poſſint, neque cum aliis aequali modo communicari.

Verum adſenſio theoretice haud idonea non poteſt niſi reſpectu *practico* fides appellari. Hic finis practicus autem vel *dexteritatis* eſt et ſolertiae, vel *moralitatis*, illius ad fines arbitrarios fortuitosque, huius ad abſolute neceſſarios.

Fine ſemel propoſito et conſtituto, conditiones eius attingendi hypothetice neceſſariae ſunt. Haec neceſſitas ſubiectiua eſt, ſed tamen tantum comparatiue idonea, ſi nullas omnino alias conditiones norim, quibus finis queat feriri atque attingi; ſed eſt ſimpliciter, et cuique idonea, ſi certo ſciam, neminem poſſe alias conditiones noſſe, quibus ad finem propoſitum ducamur. In cauſa priori ſumtio mea adſenſioque certarum conditionum fides duntaxat fortuita eſt, in poſteriori autem neceſſaria. Medicus ſi in aegroto, qui in diſcrimine verſatur, artem debeat experiri, ſed morbum haud nouerit: phaenomena examinat, quoniamque melior cauſa latet, phthiſin eſſe iudicat. Fides eius in ſuo ipſius iudicio fortuita

eſt, aliùs fortaſſe melius coniecerit. Eiusmodi fidem fortuitam, quae vere remediorum vſui ad actiones certas fundamento eſt, *fidem* dico *pragmaticam*.

Vſitata quaſi obruſſa: vtrum aliquid in ſola perſuaſione putatitia, an certe ſubiectiua, id eſt, in fide firma verſetur, eius, quod quis adſerit, *certatio* eſt. Saepenumero accidit, vt quis ſententias ſuperbia tam confidenti atque inflexibili pronunciet, vt omnem erroris metum prorſus depoſuiſſe videatur. Sed certatione percellitur. Nonnumquam ſatis eum perſuaſionis videmus habere, quae vnius aurei pretio, non vero decem, poſſit aeſtimari. Vnius enim pignore certauerit, ſed in denis perſentiſcit demum id, quod antea non animaduerterat, ſcilicet facile poſſe fieri, vt errauerit. Si cogitatione fingas, tibi de totius vitae ſalute pignore certandum eſſe, iudicium ſuperbiens admodum minuetur, admodum metues, atque ita demum inuenies, fidem tuam vsque eo haud quaquam pertinere. Atque ita fides pragmatica vno tantummodo gradu gaudet, qui pro varia invitamenti ratione, quae ea in re deprehenditur, vel magnus eſſe poterit, vel etiam paruus.

Quoniam autem, etiamſi ratione rei obiectae nil quidquam poſſimus ſuſcipere, proinde adſenſio mere theoretica ſit, tamen in multis cauſis inſtitutum quoddam cogitatione poſſumus, animoque fingere, cuius nobis rationes eſſe idoneas opinamur, quibus certitudo rei conficiatur, in iudiciis mere theoreticis certum quoddam practici *analogon* eſt, ad cuius adſenſionem approbationemque verbum *fidei* quadret, quamque *fidem* poſſimus *doctrinalem* vocare. Quodſi fieri poſſet, vt vlla quapiam experientia conficeretur, quouis certauerim pignore, vllam certe quampiam ſtellarum, quas conſpicimus, errantium inhabitari. Quapropter dico, non ſola eſt opinio, ſed firma fides (cuius de veritate permultis vitae commodis contenderem), etiam caeteros mundos inhabitari.

Atqui fateamur, neceſſe eſt, locum de exſiſtentia dei ad fidem doctrinalem pertinere. Namque, etſi ratione cognitionis mundi theoreticae nihil conſtituere poſſim, quod hanc cogitationem, vt conditionem explanandorum mundi phaenomenorum, neceſſario ponat, potiusque ita debeam ratione vti, quaſi vniuerſa duntaxat natura contineantur; tamen vnitas finibus conſentanea tantâ lex eſt vſus rationis ad naturam, vt, cum experientia eius rei exempla large proponat, ea nullo modo queam praetermittere. Huiusce vnitatis autem nullam noui legem aliam, quam illa mihi ducem ſtatuat perſcrutationis naturae, quam ſi ſumam, ſummam quandam intelligentiam omnia ex finibus ſapientiſſimis ita ordinaſſe. Ergo conditio eſt cuiusdam fortuiti quidem conſilii ſcopique, ſed tamen haud leuis momenti, quippe vt ducem habeam in peruestiganda natura, ſapientem mundi auctorem quendam ſumendi. Euento periculorum meorum ſaepenumero quoque vtilitas huiusce ſumtionis firmatur, neque quidquam poteſt liquido contra adferri? me nullum iuſto minus dicere, ſi adſenſionem meam vocare vellem opinionem, verum in hac ipſa ratione theoretica dici poteſt, firmiter me deum credere; tum vero haec fides ſenſu ſtricto tamen haud practica eſt, ſed fides doctrinalis dicenda, quam theologia naturae (phyſico-theologia) neceſſario vbique debet efficere. Ratione eiusdem ſapientiae, habito ad praeſtantiſſimam humanae naturae exornationem reſpectu, ad breuitatemque vitae illi parum conſentaneam, itidem poterit ratio idonea fidei doctrinalis futurae vitae animi humani inueniri.

Vocabulum fidei in eiusmodi cauſis oratio eſt modeſtiae obiectiue ſpectatum, ſed ſimul tamen fiduciae firmae, ſubiectiue conſideratum. Si hoc loco adſenſionem theoreticam vel modo hypotheſin dixerim, quam iure poſſem ſumere, ea re fidem meam iam adſtringerem, de natura cauſae mundi mundoque futuro maiorem memet notitiam habere, quam reapſe poſſem oſtendere; quod enim vel pro hypotheſi modo ſumſero, de eo certe quo-

ad proprietates eius tantum, oportebit, cognouerim, vt haud *conceptus* illius fingendus ſit, ſed tantum eius *exſiſtentia* comminiſcenda. Vocabulum *fidei* autem tantummodo ductum ſpectat, quem mihi praeſtat idea, vimque ſubiectiuam in promouendis actionibus meis rationalibus, quo in iis retineor, etiamſi reſpectu contemplatiuo nequeam eius rationem reddere.

Verum fides mere doctrinalis quiddam in ſe continet, quo efficitur, vt ea quodammodo imbecillis atque infirma nonnumquam claudicare ac vacillare videatur; ſaepenumero difficultatibus, in contemplatione obuiis, ab ea diuellimur, quamuis ſemper neceſſario ad eam revertamur.

Longe aliter comparatum eſt cum fide morali. Ibi enim abſolute neceſſarium eſt, vt fieri debeat aliquid, nimirum, vt legi morali ex omni parte obediam. Finis hoc loco neceſſario conſtitutus eſt, vnaque duntaxat, quantum equidem intelligam, poteſt eſſe conditio, qua hicce finis cum vniuerſis finibus cohaeret, valoremque practicum habet, ſcilicet deum eſſe mundumque futurum: iam prorſus certus ſum, eſſe neminem, qui alias conditiones nouerit, quae ad eamdem finium vnitatem ducant ſub lege morali. Cum autem praeceptum morale ſimul mea norma ſit (vti ſane, vt illa eſſe debeat, ratio praecipit), non potero non exſiſtentiam dei futuramque vitam credere, certusque ſum, nullum quidquam eſſe, quod hanc fidem queat labefactare, quoniam eo ipſa decreta mea moralia corruerent, quibus me non poſſum abdicare, quin in mei ipſius odium incurram, mihique ipſi deteſtandus abominandusque videar.

Tali modo, irritis omnibus ambitioſis conſiliis rationis vltra terminos vniuerſae experientiae circumuagantis, ſatis adhuc relinquitur, ita vt ſit, cur reſpectu practico ſimus contenti. Sane quidem nemo poterit gloriari: ſe, deum eſſe, vitamque futuram, *ſcire*; ſi

quidem, ſi hoc ſciat, is ipſe erit, quem diu quaeſiui. Omnis ſcientia (quae rem attingit ſoli rationi ſubiectam) cum aliis poteſt communicari; et proinde quoque ſperare poſſem, illius inſtitutione tam miro modo ſcientiam meam dilatari. Minime. Perſuaſio cernitur in certitudine, haud illa quidem *logica*, ſed *morali*, quae, cum poſita in cauſis ſubiectiuis (ſententia animi morali) ſit, ne quidem dicendum erit: moraliter certum eſt, deum eſſe, et ſic porro, ſed potius, equidem moraliter certus ſum de illis rebus. Hoc eſt: ſides, qua deum eſſe perſuaſus ſum, mundumque poſt hunc alium, cum ſenſis animi mei moralibus ita contexta eſt atque concreta, vt, quo minus metuendum ſit, ne ſenſa iſta animi perdam, eo minus mihi fidem illam vmquam poſſe eripi.

Vna, quae in ea re ineſt, difficultas cernitur in eo, quod haec fides rationalis conſtituta in ſumtione eſſe dicatur ſenſorum conſiliorumque animi moralium. Quam ſi mittamus aliamque fidem ſumamus, quae reſpectu legum moralium prorſus foret indifferens, quam ratio proponit, quaeſtio tantummodo ſubiecta contemplationi erit, et tum quidem rationibus firmis ex analogia poterit, non iis, quibus pertinaciſſima cedere dubitatio deberet, ſuffulciri *). Sed in hisce quaeſtionibus nemo homo vacuus eſt omni inuitamento. Namque, etiamſi a morali, per defectum boni animi, diuellatur; tamen in hac cauſa ſatis multa relinquuntur, quibus efficiatur, vt et

*) Humanus animus (quod, ex mea quidem ſententia, in quaque natura rationeque neceſſario euenit) naturale quoddam inuitamentum capit oblectationemque ex moralitate, etiamſi haud indiuiſum ſit, practiceque praeponderans. Firmetis iſtud inuitamentum atque augeatis, et rationem inuenietis admodum docilem atque adeo ſapientiorem, vt cum practico poſſit contemplatiuum inuitamentum coniungi. Sin autem haud curabitis, vt ante, certe in via dimidia, bonos homines efficiatis, eos quoque numquam homines efficietis ſincere credentes!

exſiſtentiam diuinam metuat, et vitam futuram. Quo quidem nihil amplius requiritur, quam ut certe nullam queat *certitudinem* obtendere, nullam eiusmodi naturam eſſe, nullamque vitam futuram, cuius vtriusque, ſiquidem ex ratione ſola deberet, proinde apodictice, euinci, poſſibilitas ei foret probanda, quod certe quidem nemo ſanus homo poterit ſuſcipere. Id fides negatiua foret, qua non quidem moralitas animusque probus poſſet, ſed tamen eius analogon effici, nempe eruptio malorum maxime retineri.

At num haec omnia ſunt, dixerit quispiam, quae ratio pura efficit, dum proſpectus aperit vltra terminos experientiae? nil niſi duos fidei articulos? tantum et intelligentia communis potuiſſet efficere, neque tamen philoſophos ea de re opus habuiſſet conſulere!

Hoc loco haud efferam laudibus, quam optime de ratione humana meruerit philoſophia opera critices ſuae labore plena; licet in euentu merita eius duntaxat inuenirentur negatiua; quippe qua de re capite ſequente nonnulla dicentur. An vero poſtulatis, vt, quae homines vniuerſos ſpectat, cognitio intelligentiam humanam ſuperet, a ſolisque philoſophis aperiatur? Id ipſum, quod vos reprehenditis, optime confirmat veritatem eorum, quae hactenus adſeruimus, cum illa aperiat, quae initio haud poterant praeuideri, ſcilicet, naturam in iis, quae hominum ſine diſcrimine interſunt, nullius poſſe donorum diſtributionis inculpari ſtudio factae aut inuidia, ſummamque philoſophiam ratione eſſentialium humanae naturae finium non poſſe progredi amplius, quam indicationem, intelligentiae vel maxime communi vulgarique conceſſam.

METHODOLOGIAE TRANSSCENDENTALIS

CAPUT TERTIUM.

Architectonica rationis purae.

Architectonicam artem dico ſyſtematum. Cum vnitas ſyſtematica in iis cernatur, quibus cognitio vulgaris demum efficitur ſcientia, id eſt, e ſola congregatione illius reddatur ſyſtema, architectonica verſatur in doctrina eorum, quae ſcientiam conſtituunt in cognitione noſtra in vniuerſum, et proinde illa neceſſario pertinet ad methodologiam.

Ratione gubernatrice haud licitum eſt, cognitiones noſtras rhapſodiam efficere, ſed ſyſtema, oportebit, conſtituant, in quo ſolo fines illius eſſentiales firmare poſſunt ac promouere. Sed ſyſtema vnitatem dico cognitionum variarum ſub vna idea copulatarum. Quae quidem in conceptu verſatur rationali de forma cuiusdam totius, quatenus eo et variorum compages, et locus partium inter ſe inuicem ex anticipatione conſtituatur. Itaque conceptu rationali ſcientifico finis continetur et forma totius, cum eo congruentis. Vnitas finis, ad quam vniuerſae partes in eiusque idea et ad ſe inuicem ſunt adfectae, efficit, vt quaeque pars in cognitione reliquarum poſſit deſiderari, nullaque adiectio fortuita, quantitasue perfectionis infinita, quae haud ex anticipatione ſuis circumſcripta limitibus teneatur, locum habeat. Totum igitur in articulatione cernitur, non coaceruatione, creſcereque poteſt per intus ſuſceptionem, non vero per appoſitionem, inſtar corporis animalis, cuius incremento nullum membrum accedit, verum, proportione haud mutata, quodque eorum ad fines ſuos robuſtius efficitur, aptiusque.

Iam ideae opus eſt, ſchemate, hoc eſt varietate atque ordine partium ex anticipatione per principium finis conſtituta. Schema, quod haud ex idea, id eſt, e fine rationis,

ſed empirice, e finibus fortuito obuiis (quorum numerus haud antea ſciri poteſt), deſcribitur, vnitatem miniſtrat *technicam*, id vero tantummodo idea exoritur (vbi ratio fines ex anticipatione proponit, neque empirice exſpectat), conſtituit *architectonicam*. Non technice, ob ſimilitudinem variorum, vſumque fortuitum cognitionis in ſingulo ad varios externos fines arbitrarios, ſed architectonice, per adfinitatem deriuationemque ab vno quodam fine ſupremo atque interno, quo efficitur, vt demum eſſe totum queat, illud oritur, quod vocamus ſcientiam, cuius ſchemate monogramma partitioque totius, ideae conuenienter, id eſt, ex anticipatione, neceſſe eſt, contineri, illudque ab omnibus aliis certo atque ex principiis diſtingui.

Nemo inſtituit ſcientiam conſtituere, niſi idea quaedam fundamento ſit. Sed in ea elaboranda ſchema atque adeo definitio, quam initio ſtatim ſcientiae ſuae proponit, perraro ideae ſuae reſpondet; quippe quae, inſtar ſurculi, in ratione ineſt, in quo vniuerſae partes adhuc valde inuolutae latent, obſeruationique microſcopioue vix conſpiciendae. Idcirco artes atque ſcientiae, quoniam omnes e ſtatione certi cuiuspiam inuitamenti generalis excogitantur, non ex deſcriptione, quam auctor earum de iis facit, verum ex idea, quam ex vnitate partium, quas collegit, naturali, in ratione ipſa conſtitutam videt, definiendae ſunt conſtituendaeque. Tum enim inueniemus, auctorem, et ſaepenumero etiam ſectatores eius ſeriſſimos, circum ideam oberrare, quam ſibimet ipſi non potuerint reddere dilucidam, ideoque propriam materiam, articulationemque (vnitatem ſyſtematicam) terminosque ſcientiae et carceres conſtituere.

Malum eſt, tum demum, poſteaquam diu, duce idea quadam in nobis abſcondita, multas cognitiones eo ſpectantes, tamquam materiam, rhapſodice collegerimus, atque adeo per longa temporum interualla tech-

nice compoſuerimus, tum demum eſſe nobis copiam poſ-ſe, ideam in clariore luce conſpiciendi, totumque ad rationis fines architectonice delineandi. Syſtemata, inſtar vermiculorum, per generationem aequiuocam, e ſolo confluxu conceptuum collectorum, primo mutilata, ſubinde plena videntur formata, quamuis vniuerſorum ſchema, tamquam ſurculus originarius, in ratione eſſet ſola ſe ipſam explicante, atque idcirco non ſolum quodque pro ſe ea idea articulatum, verum etiam praeterea omnia inuicem ſint viciſſim, velut articuli cuiusdam totius, in ſyſtemate cognitionum humanarum fini conuenienter coniuncta, architectonicamque concedunt vniverſae humanae ſcientiae, quae hoc tempore, quo tanta materiae copia collecta, aut e ruinis collapſorum aedificiorum capi poteſt, non ſolum eſſe poteſt, ſed haud ita quidem difficilis foret. Hoc loco abſolutione laboris noſtri contenti ſumus, ſcilicet, vt *architectonicam* vniverſae cognitionis ex ratione pura delineemus, ab eo loco incipientes, qui communis radix noſtrae cognitionis diſpeſcitur ſtirpe duplici, quarum vna *ratio* eſt. Sed hoc loco rationem dico vniuerſam facultatem cognoſcendi ſuperiorem, et proinde rationale oppono empirico.

Cum ab vniuerſa cognitionis materia, obiectiue ſpectata, memet contineo, tum vniuerſa cognitio, ſubiectiue conſiderata, aut *hiſtorica* eſt, aut *rationalis*. Cognitio hiſtorica cernitur in notitia *ex datis*, ſed rationalis in cognitione *ex principiis*. Cognitio originaria data fuerit, vndecumque ſit, tamen illa in eo, qui eam poſſidet, hiſtorica eſt, ſi modo tantum cognoſcat, quantum alibi illi datum ſit, ſiue illud ei per experientiam proximam datum ſit, ſiue per narrationem, ſiue per inſtitutionem (cognitionum vniuerſalium). Quamobrem illi, qui ſyſtema philoſophiae quoddam, veluti Vuolfianum, proprie edidicit, etiamſi vniuerſa decreta, definitiones atque argumenta, vna cum partitione totius diſciplinae, optime calleat, omniaque in digitis dinumerare queat, non eſt niſi plena cognitio *hiſtorica* philo-

ſophiae Vuolfianae; tantum ſcit modo atque iudicat, quantum ſibi datum ac propoſitum eſt. Impugnetis aliquam eius definitionem, et neſciet, vnde alia potiatur. Efformat ſe ad rationem alienam, ſed facultas efformans non eadem eſt cum generante, id eſt, cognitio in eo non orta e ratione eſt, et, quamquam obiectiue ſane quidem cognitio fuit, tamen ſubiectiue duntaxat hiſtorica videtur. Bene arripuit tenuitque, hoc eſt, didicit, cereamque is refert imaginem hominis viui. Cognitiones rationales, quae obiectiuae ſunt (id eſt, initio poſſunt ex propria hominis duntaxat ratione exſiſtere), tantummodo tum ſolum etiam ſubiectiue poſſunt hoc nomine inſigniri, cum e fontibus rationis vniuerſalibus, vnde et critica, quin ipſa eorum, quae didiceramus, repudiatio poteſt oriri, hoc eſt, e principiis hauſtae videntur.

Iam vniuerſa rationalis cognitio aut e conceptibus eſt, aut e conceptuum conſtructione; illa philoſophica dicitur, haec mathematica. Ac de interno vtriusque diſcrimine iam ſupra capite primo diſputauimus. Proinde cognitio quaedam obiectiue poteſt philoſophica eſſe, et tamen ſubiectiue hiſtorica eſt, quemadmodum in plerisque tironibus, atque in vniuerſis, qui numquam vltra ſcholam ſapiunt, et per totam vitam tirones maneut. Interim tamen mirum eſt, cognitionem mathematicam, prout eam didicerimus, nihilominus et ſubiectiue ſpectatam pro cognitione poſſe rationali valere, in eaque diſcrimen non eſſe, quod locum habet in philoſophica. Cauſa eſt, quoniam fontes cognoſcendi, e quibus ſolus poteſt doctor haurire, nuspiam alibi, niſi in principiis rationis eſſentialibus et veris, ſunt, ideoque nuspiam aliunde poſſunt a tirone capi, nec fere diſputari, atque hoc quidem propterea, quoniam hoc loco vſus rationis in ſingulo fit tantummodo, quamuis tamen ex anticipatione, nempe in pura, et ob eandem ipſam cauſam erroribus vacua, viſione, omnemque et illuſionem arcet, et errorem. Igitur omnium omnino artium rationalium (ex

anticipatione), ſola matheſis diſci poteſt, neutiquam vero philoſophia (niſi hiſtorice fiat), ſed, quod rationem attinet, maxime duntaxat *philoſophari.*

Syſtema vniuerſae cognitionis philoſophicae ergo philoſophia eſt. Quae quidem obiectiue ſumenda eſt, ſi illam intelligamus archetypon diiudicationis vniuerſorum philoſophandi periculorum, quod ad quamque philoſophiam ſubiectiuam diiudicandam facere debeat, cuius ſtructura ſaepenumero tam varia tamque mutabilis eſt. Atque hoc modo philoſophia in ſola idea verſatur ſcientiae cuiusdam poſſibilis, quae nuspiam data in ſingulo ac propoſita eſt, cui autem in variis viis conamur appropinquare, donec vnus ille, per ſenſum admodum obſoletus, trames aperiatur, et ectypon huc vsque praue expreſſum, quantum homini datum erit, prototypo poſſit adſimilari. Vsque ad illud punctum temporis nulla diſci philoſophia poterit; vbinam ea eſt? ecquis illam poſſidet? et quanam in re poteſt agnoſci? Duntaxat diſci poteſt philoſophari, id eſt, donum rationis in ſequendis principiis illius vniuerſalibus in certis quibusque praeſentibus periculis exerceri, ſed ſemper tamen ſaluo rationis iure, illa ipſa in fontibus eorum explorandi, confirmandique aut reprobandi.

Vsque illud autem tempus conceptus philoſophiae eſt modo *conceptus ſcholaſticus*, nimirum ſyſtematis cognitionis, quae, qua ſcientia, tantummodo quaeritur, ita tamen, vt ne quid amplius, quam vnitatem huius ſcientiae ſyſtematicam, proinde perfectionem cognitiones *logicam* tibi habeas propoſitam. Eſt autem praeterea *conceptus cosmicus*, qui huic nomini vsque quaque fundamento fuit, praeſertim ſi illum quaſi perſona induerent, atque in ideali *philoſophi* ſibi pro prototypo proponerent. Atque hocce reſpectu philoſophia eſt ſcientia vniuerſae cognitionis ad fines rationi humanae eſſentiales referendae (theologia rationis humanae), philoſophusque non eſt artifex rationalis, ſed legislator rationis humanae. Sed in hac ſignificatione perquam

ſuperbum foret, ſi quis ſemel ipſum vocaret philoſophum, ſibique arrogaret, ad prototypon accedere, quod duntaxat ſitum eſt in idea.

Et mathematicus, et phyſicus et logicus, quantumuis ſucceſſus illorum proſper fuerit omnino in cognitione rationali, horum in primis in philoſophica, non ſunt niſi artifices rationales. Eſt et praeterea doctor in ideali, qui illos omnes inſtituit, iis pro inſtrumentis vtitur, ad fines rationis humanae eſſentiales promouendos. Hunc ſolum deberemus philoſophum appellare; verum cum is ipſe tamen nuſpiam, ſed idea legislationis eiûs vbique in quauis ratione humana inueniatur, tenebimus ſolummodo poſteriorem, propiusque conſtituemus, qualem ex hoc conceptu coſmico *) vnitatem ſyſtematicam philoſophia e ſtatione finium praecipiat.

Fines eſſentiales haud ideo ſunt ſummi, quorum (in perfecta vnitate rationis ſyſtematica) tantummodo eſſe vnus poteſt. Inde illi aut finem vltimum efficiunt, aut fines ſubalternos, ad illûm neceſſario pertinentes. Illo nihil continetur aliud, niſi tota hominis conſtitutio, eiusque philoſophia dicitur *moralis*. Propter hunc principatum, quem capit philoſophia moralis, veteres nomine philoſophi ſemper denotarunt ſimul atque praecipue philoſophum moralem, ipſaque ſpecie externa ſui ipſius per rationem imperandi efficitur, vt etiamnum, quempiam, in circumſcripta ſcientia, ad certam quamdam analogiam, philoſophum appellemus.

Legislationi rationis humanae (philoſophiae) duae res ſubiectae ſunt, et natura, et libertas, eaque proinde cum lex naturae continetur, tum lex moralis, principio duabus ſingularibus diſciplinis, poſtremo autem

*) *Conceptus coſmicus* dicitur conceptus, ſpectans ea, quae quemque neceſſario inuitant; proinde finem ſcopumque cuiusdam artis atque ſcientiae conſtituo e *conceptibus ſcholaſticis*, ſi ea tantummodo vt aliqua rationum ad certos fines arbitrarios idonearum conſideratur.

vno ſyſtemate philoſophico. Philoſophia naturae vniverſa, quae adſunt, ſpectat; philoſophia morum duntaxat ea attingit, quae adeſſe debent.

Omnis autem philoſophia aut cognitione efficitur e ratione pura, aut cognitione rationali ex principiis empiricis. Illa dicitur philoſophia pura, haec altera philoſophia empirica.

Iam philoſophia rationis purae rurſus eſt vel philoſophia propaedeutices, quae facultatem rationis ratione vniuerſae cognitionis purae ex anticipatione ponderat atque examinat, et vocatur *critica*; vel ſyſtema rationis purae (ſcientia), vniuerſa (et vera et *putatitia*) cognitio philoſophica ex ratione pura in contextu ſyſtematico, diciturque *metaphyſica*; quamquam hocce nomen tribui et vniuerſae philoſophiae purae poterit, adiuncta critica, vt, et inueſtigatio eorum omnium, quae vmquam poterunt ex anticipatione cognoſci, et deſcriptio eorum, quibus cognitionum purarum philoſophicarum huiusce generis ſyſtema efficitur, ab omni autem empirico, itemque mathematico rationis vſu diuerſa ſunt, comprehendatur.

Metaphyſica diuiditur in metaphyſicam vſus rationis contemplatiui, et practici, ideoque aut *metaphyſica naturae* eſt, aut *metaphyſica morum*. Illa vniuerſa rationis principia pura e ſolis conceptibus (proinde excluſa matheſi) cognitionis theoreticae rerum omnium continentur; huic ſubiecta ſunt principia, quibus actio omiſſioque ex anticipatione conſtituitur et neceſſaria efficitur. Atqui moralitas vna eſt actionum cum legibus conformitas, quae prorſus poteſt ex anticipatione a principiis deriuari. Inde metaphyſica morum proprie eſt philoſophia pura moralis, in qua nulla anthropologia (nulla conditio empirica) conſtituitur. Sed metaphyſica rationis contemplatiuae continetur id, quod anguſtiori ſenſu metaphyſica dici ſolet; ſed quatenus doctrina morum pura etiam ad ſtirpem cognitionis humanae et quidem philoſophicae ex ratione pura pertinet, ei

illam denominationem ſeruabimus, quamuis eam hoc loco, vt a fine noſtro in praeſentia alienam, in medio relinquemus.

Res eſt longe grauiſſima ſummeque neceſſaria, vt cognitiones, quae et genere diſtant ab aliis et origine, ſeparemus, ſolitariasque faciamus, et diligenter caueamus, vt ne cum aliis, quibuscum vſu ſolent coniungi, commiſceantur. Quod chemici in ſeparandis materiis faciunt, quodque mathematici in matheſi pura, id multo magis in officio eſt philoſophi, vt parti, quam peculiaris cognitionis forma in vſu intelligentiae circumuaganti habet, proprium cuique pretium poſſit contagionemque conſtituere. Inde factum eſt, vt humana ratio ex eo inde tempore, quo cogitauit, vel potius inueſtigauit, numquam poſſet metaphyſica ſuperſedere, nihilominus tamen non poſſet, ſatis ab omni alieno depuratam, proponere. Idea eiusmodi ſcientiae aequalis eſt rationi humanae contemplatiuae; et quaenam ratio eſt, quae haud contemplet, ſiue more ſcholaſtico, ſiue populari? Interea fatendum eſt, diſtinctionem duorum illorum cognitionis noſtrae elementorum, quorum alterum prorſus ex anticipatione in noſtra poteſtate eſt, alterum tantum ex aduentitio poteſt vſuque depromi, in ipſis ingeniis ex inſtituto meditabundis, perobſcuram manſiſſe, ideoque numquam potuiſſe conſtitutionem terminorum peculiaris cuiusdam formae cognitionis, proinde haud veram ideam ſcientiae, quae tam diu, tamque vehementer rationem humanam occupauit, conficere. Si dicebatur: metaphyſica eſt ſcientia principiorum cognitionis humanae primorum, eo haud notabatur peculiare genus, ſed duntaxat ordo ratione vniuerſalitatis, quo proinde ab empirico haud poterat diſtingui; namque et in principiis empiricis quaedam generaliores altioresque ſunt aliis, et in ſerie eiusmodi ordinis ſubalterni (cum, quae prorſus ex anticipatione cognoſcuntur, non diſcernuntur ab iis, quae ex adſumto agnoſcimus), vbi fiet ſectio, qua prior pars ſuperioresque articuli a

poſteriori et ſubalternis diſtinguatur? Ecquid diceretur, ſi chronologia epochas mundi ita tantum poſſet denotare, vt eas in ſecula prima et ſequentia diſpeſceret. Anne quintum, decimumue ſeculum etiam in primis erit? interrogaretur. Sic itidem ego interrogo: an conceptus extenſi pertinet ad metaphyſicam? Vos reſpondetis: ita! Hem! num etiam conceptus corporis? etiam! itemque corporis fluidi? Attendatis, quo haec ſerpant; hoc enim ſi longius progrediatur, nihil erit, quod haud pertineat ad metaphyſicam. Ex quo intelligitur, ſolo ſubordinationis gradu (ſpecialis ſub generali) nullos poſſe terminos conſtitui ſcientiae, ſed ex noſtra ſententia ſola diſſimilitudine originis ac diuerſitate. Quod autem ideam metaphyſices conſtitutiuam ex alia parte obſcuraret, in eo poſitum videtur, quod ea qua cognitio ex anticipatione certam quandam ſimilitudinem habet mathematices, quae quidem, quod originem attingit ex anticipatione, vtramque adfines reddit inuicem, quantum autem modum attinet cognoſcendi ex conceptibus in illa, comparatum cum modo iudicandi per conſtructionem conceptuum ex anticipatione in hac, proinde differentiam cognitionis philoſophicae et mathematicae; diſſimilitudo apparet tam perſpicua ac manifeſta, quae vsquequaque quaſi ſentiretur, numquam autem notis poſſet et criteriis dilucidis oſtendi. Hinc itaque factum eſt, vt, cum philoſophi in ipſa idea ſcientiae ſuae euoluenda peccarent, elaboratio illius nullum conſtitutum finem poſſet, nullamque certam normam habere, iique in delineatione tam arbitrarie facta, viae, quam inſtituere deberent, ignari, ſemperque inter ſe diſſentientes de inuentis, quae quisque in via ſua aperuiſſe putaret, ſcientiae ſuae primum aliorum, tandemque adeo ſuum ipſorum contemtum contraherent.

Igitur vniuerſa cognitio pura ex anticipatione, per peculiarem cognoſcendi facultatem, in qua ſola poteſt illa ſedem ſuam habere, ſingularem conſtituit vnitatem, et metaphyſica ea philoſophia eſt, quae illam cognitionem debet in hacce vnitate ſyſtematica proponere. Pars

eius contemplatiua, quae inprimis ſibi hoc nomen vindicauit, quippe ea, quam *metaphyſicam naturae* vocamus, quaeque vniuerſa, quatenus *ſunt* (non ea, quae debent eſſe), e conceptibus ſub rationem vocat, ex anticipatione ſic diuiditur.

Metaphyſica ſenſu anguſtiori ita dicta conſtat e *philoſophia transſcendentali* et *phyſiologia rationis purae*. Illa duntaxat *intelligentiam* conſiderat, rationemque ipſam in ſyſtemate quodam conceptuum omnium ac decretorum, quae res obiectas ſpectant in vniuerſum, ſumtis rebus nullis, quae datae forent (*ontologia*); haec altera contemplat *naturam*, hoc eſt, complexum obiectarum rerum datarum (ſiue ſenſibus datae ſint ac propoſitae, ſiue, ſi malueris, alii viſionis formae), et eſt proinde *phyſiologia* (quamquam tantummodo rationalis). Iam vſus rationis in hacce naturae inueſtigatione rationali aut phyſicus eſt, aut hyperphyſicus, ſiue potius vel *immanens*, vel *transſcendens*. Ille naturam attingit, quatenus illius cognitio in experientia (in ſingulo) poteſt adhiberi, alter eam ſpectat coniunctionem rerum experientiae ſubiectarum, quae experientiam ſuperat vniuerſam. Huic phyſiologiae *transſcendenti* proinde aut *interna* coniunctio propoſita eſt, aut *externa*, quae vero vtraque transeunt experientiam; illa phyſiologia eſt naturae vniuerſae, id eſt *cosmologia transſcendentalis*, haec phyſiologia eſt contextus vniuerſae rerum naturae cum natura quadam vltra rerum naturam, hoc eſt, *theologia transſcendentalis*.

Contra phyſiologia immanens naturam inueſtigat tamquam complexum rerum omnium ſenſibus obnoxiarum, proinde ita, vti illae nobis datae ſunt ac propoſitae, ſed duntaxat ad conditiones ex anticipatione, quibus ea nobis vniuerſe poterit proponi. Cui quae ſubiectae ſunt, rerum duplex genus eſt. Vnum eſt rerum ſenſibus externis obnoxiarum, proinde illarum complexus, *natura corporea*. Alterum in re verſatur ſenſui interno propoſita, anima, omninoque e concepti-

bus eius conſtitutiuis, *natura cogitans*. Metaphyſica naturae corporeae dicitur *phyſica*, ſed, quia ſola principia debet cognitionis illius ex anticipatione continere, *phyſica rationalis*. Metaphyſica naturae cogitantis vocatur *pſythologia*, ex eademque cauſa, quam modo attulimus, hoc loco intelligenda tantummodo eſt *cognitio* illius *rationalis*.

Quamobrem vniuerſum ſyſtema metaphyſices quatuor efficitur capitibus. 1. *Ontologia*. 2. *rationali phyſiologia*. 3. *rationali coſmologia*. 4. *rationali theologia*. Altera pars, nempe phyſica rationis purae, duobus locis abſoluitur, et *phyſica rationali* *), et *pſychologia rationali*.

Atque hanc diuiſionem ipſa praecipit idea originaria philoſophiae rationis purae; proinde illa *architectonica* eſt, finibus ſuis eſſentialibus conuenienter, neque ſolum *technice*, ex adfinitatibus fortuito perceptis, et forte quaſi fortuna inſtituta, ſed ob eam ipſam conſtans et legislatoria. Verum in ea re quaedam occurrunt, quae dubitationem mouere poſſint, perſuaſionemque de legitima illius ratione infirmare.

Ac primo quidem, qui fieri poterit, vt cognitionem ex anticipatione exſpectem, proinde metaphyſicam rerum, quatenus eae ſenſibus noſtris ſunt, proinde ex vſu (a poſteriori) datae? et qui fieri poteſt, vt ad prin-

*) Caue putes, a me intelligi, quod vulgo ſolet *phyſica generalis* vocari, quae potius matheſis eſt, quam philoſophia naturae. Namque metaphyſica naturae totam ſe ſeparat et ſegregat a matheſi, neque cognitiones poteſt tam multas amplificantes offerre, quam haec, ſed tamen permagni momenti eſt, ratione critices cognitionis purae intellectualis ad naturam adhibendae; qua quia carebant ipſi mathematici, propterea quod certis quibusdam vulgaribus conceptibus, reapſe tamen metaphyſicis adhaerent, ſenſim paullatimque phyſicam hypotheſibus onerarunt, quae per criticam horum principiorum euaneſcunt, neque tamen ea re vſui matheſeos hoc in campo (prorſus neceſſario) quidquam derogatur.

cipia ex anticipatione naturam rerum cognoſcamus, et phyſiologia rationali potiamur. Ad haec ſunt quae poſſint reſponderi: per experientiam nihil percipimus amplius, niſi quod opus eſt, vt res nobis, quae partim ſub externum ſenſum cadat, partim ſub internum, offeratur. Illud fit per ſolum conceptum materiae (impervii extenſi inanimi), hoc per conceptum naturae cogitantis (in empirica repraeſentatione interna: ego cogito). Caeterum in vniuerſa metaphyſica harum rerum obiectarum, a cunctis principiis empiricis prorſus foret nobis temperandum, quae praeter conceptum vllam quampiam adiungerent experientiam, vt inde quidpiam de iis rebus iudicemus.

Deinde: vbinam locus erit *pſychologiae empiricae*, quem ex omni tempore illa in metaphyſica obtinuerat, et de qua noſtris temporibus permagna fuit illius colluſtrandae exſpectatio, miſſa ſpe boni quidpiam ex anticipatione efficiendi? Ad haec habeo, quae velim: ſcilicet ea locum capiet, vbi phyſica propria (empirica) collocanda videtur, nimirum in parte *philoſophiae applicatae*, cuius principia philoſophia pura in ſe continet ex anticipatione, quae proinde cum illa debet quidem coniungi, non autem confundi. Ergo pſychologia empirica ex metaphyſica prorſus exterminanda eſt, eaque iam per ideam prorſus excluſa videtur. Nihilominus tamen pro vſu ſcholarum adhuc (quamuis duntaxat vt epiſodia) locus ei debebit in ea concedi, et quidem per cauſas oeconomicas, quoniam nondum eſt tam locuples et opulenta, vt ſola queat ſtudium conſtituere, et tamen grauioris ponderis eſt, quam quae poſſit expelli, aut aliorſum adfigi, vbi minorem adfinitatem offenſura foret, quam in metaphyſica. Igitur ea duntaxat alienigena tamdiu recepta, cui ad tempus locus conceditur, donec in anthropologia pleniori (appendice phyſices empiricae), proprium poterit domicilium occupare.

Haec igitur idea eſt vniuerſalis metaphyſices, quae, cum ab ea plus initio poſtularetur, quam aequum ſit po-

ſtulari, et aliquamdiu exſpectationibus oblectaret iucundis, tandem in contemtum incidit vniuerſorum, poſteaquam ſpe ſua ſeſe viderunt fruſtratos. Ex tota critices noſtrae pertractatione ſibi quisque ſatis habebit perſuaſum: metaphyſicam, etiamſi haud eſſe fundamentum poſſit religionis, tamen ſemper vt propugnaculum illius ſtare oportere, rationemque humanam, per directionem naturae ſuae iam dialecticam, eiusmodi ſcientia numquam poſſe carere, qua frenetur, ſuique cognitione ſcientifica planeque euidenti vaſtationes arceantur, quibus alioquin ratio contemplatiua legibus vacua cum doctrinam morum, tum religionem ſine omni dubio euerſura foret. Igitur certi eſſe poſſumus, vtcumque ſuperbiant faſtidiantque, qui ſcientiam non ex natura ipſius, ſed ex ſolius eius effectis fortuitis diiudicare didicerunt; ſemper nos ad eam quaſi ad amicam quandam, diſſenſione a nobis ſeparatam, reuerſuros, propterea quod ratio, cum hic fines ſpectentur eſſentiales, indefeſſe aut ad perfectam perſpicientiam cognitionemque, aut ad euerſionem cognitionum bonarum iam praeſentium, neceſſe eſt, vt annitatur.

Igitur metaphyſica, tam naturae, quam morum, praeſertim critica rationis ſui ipſius alis audentis, quae antecedit propaedeutice, ſola id conſtituunt, quod vero ſenſu philoſophia poteſt appellari. Haec vniuerſa refert ad ſapientiam, ſed per viam ſcientiae, quae, ſi ſemel munita fuerit, numquam obſoleſcit, nulloſque errores permittit. Matheſis, et phyſica, ipſaque cognitio hominis empirica permagni ſunt pretii tamquam adiumenta ad fines, maximam partem fortuitos, ſed extremum tamen neceſſarios atque eſſentiales generis humani, tum vero tantummodo comparandam cognitionem quamdam rationalem e ſolis conceptibus, qui, vtcumque eos denominaueris, proprie nil ſunt, niſi metaphyſica.

Propter id ipſum metaphyſica quoque cernitur in abſolutione vniuerſae *culturae* rationis humanae, quae ſumme neceſſaria eſt, etiamſi vim eius, vtpote ſcientiae

in finibus certis conſtitutis in medio relinquamus. Illa enim rationem conſiderat ex elementis eius ſummisque normis, quae ipſi quarumdam artium *poſſibilitati*, vſuique omnium, fundamento ſubſint, neceſſe eſt. Quod ea, qua ſola contemplatio, plus facit ad arcendos errores, quam amplificandam cognitionem, id pretio illius nihil quidquam detrahit, ſed ei dignitatem potius auctoritatemque munere impertit cenſorio, quo ordo communis et concordia, quin ſalus reipublicae literariae firmatur, eiusque animoſos labores arcet et fructuoſos ab aberratione a fine ſummo, vniuerſali felicitate.

METHODOLOGIAE TRANSSCENDENTALIS

CAPUT QUARTUM.

Hiſtoria rationis purae.

Hunc titulum hic appoſuimus, vt locum notemus, in ſyſtemate relictum, ſed olim explendum. Satis mihi erit, e ſtatione mere transſcendentali, nimirum natura rationis purae, leuiter totum intueri tractationis illius hucusque inſtitutae, quod ſane quidem aedificia proponit oculo, ſed ruinoſa.

Satis eſt notabile, etiam per naturam rei haud aliter potuit fieri, aetate philoſophiae puerili, homines ab eo initium cepiſſe, vbi nunc potius finierimus, nimirum vt primo operam nauarent cognitioni dei, ſpeique vel adeo naturae mundi alterius. Quoscumque craſſos religioſos conceptus ritus antiqui introduxerint, e rudi populorum ſtatu adhuc reliqui, tamen hoc non impediebat, quominus pars excultior politiorque liberis ſeſe inveſtigationibus ſuper ea re dicaret, faciloque intellexerunt, nullam eſſe rationem poſſe veram ac certiorem inviſibili potentiae, mundum gubernanti, placendi, vt certe in altero mundo felicitate fruerentur, quam vita recte acta. Quocirca theologia et philoſophia moralis

duo elateres erant impellentes, potiusque loci adfectionis ad vniuerſas indagationes rationales ſeparatas atque abſtractas, quibus ſequenti tempore ſeſe perpetuo addicerent. Ac prior ille proprie illud fuit, quod ratio mere contemplatiua ſubinde tractauit, et quod poſtea nomine metaphyſicae tantopere inclaruit.

Nec vero in praeſentia tempora diſtinguam, in quae haec vel illa incidit mutatio metaphyſices, ſed tantummodo diuerſitatem ideae, quae anſam dedit mutationibus praecipuis, breuiter delineabo. Atque ita triplicem finem video, quo potiores in hac ſcena certaminis mutationes ſunt inſtitutae.

1) Ratione rei obiectae omnium noſtrarum cognitionum rationalium, alii tantummodo *philoſophi ſenſuales* fuere, alii *philoſophi intellectuales*. Princeps philoſophorum ſenſualium fuit *Epicurus*, intellectualium *Plato*. Sed hocce ſcholarum diſcrimen, vt tenue ac ſubtile ſit, tamen iam antiquiſſimis temporibus primordia ceperat, et ſeſe haud interrupte ſeruauit. Philoſophi ſcholae prioris adſeruerunt, in ſolis rebus ſenſibus ſubiectis veritatem ineſſe, caetera omnia putari atque in opinione verſari; philoſophi ſcholae alterius contra contenderunt, in ſenſibus ineſſe nihil niſi ſpeciem, ſolaque intelligentia verum cognoſci. Neque tamen illi conceptibus intelligentiae fere denegarunt realitatem, quae ex eorum ſententia tantummodo *logica* fuit, ex reliquorum *myſtica*. Illi conceptus intellectuales concedebant, ſed *res obiectas* agnoſcebant mere ſenſibiles. Hi volebant, obiectas res veras eſſe duntaxat intelligibiles, et *viſionem* tuebantur ex ratione pura a nullis ſenſibus ſtipata atque ex eorum ſententia ſolum confuſa.

2) *Reſpectu originis* cognitionum purarum intelligentiae, vtrum ab experientia deriuandae ſint, an ab illa liberae in ratione fontem habeant, alii empiriſtae fuerunt, alii noologiſtae. Caput *empiriſtarum* poterit *Ariſtoteles* reputari, ſed *Plato noologiſtarum*. Nihilo-

minus nec *Lockius*, qui recentiori tempore Ariſtotelem ſequebatur, *Leibnitiusque*, qui Platonem (quamquam ex ſatis longo interuallo ab huius ſyſtemate myſtico), hanc nondum potuere controuerſiam dirimere. Epicurus certe pro parte ſua in ſyſtemate ſenſuali multo magis ſibi conſtabat (quippe qui concluſionibus ſuis numquam terminos tranſiret experientiae), quam Ariſtoteles *Lockiusque* (inprimis hic poſterior), qui, vniuerſis et conceptibus et decretis ab experientia deriuatis, eo vsque vſum illorum extenderunt, vt contenderent, et dei exſiſtentiam, et immortalitatem animae (quamuis vtraque poſita prorſus ſit extra terminos experientiae poſſibilis) aeque euidenter poſſe, atque vllum quodpiam perceptum mathematicum, euinci.

3) Ratione viae ac methodi, alii naturaliſtae ſunt, alii ſcientifici. Si qua via dici ſeu methodus debeat, neceſſe eſt, tractationem eſſe ſecundum *decreta*. Iam, quae in hac parte principatum tenet, via ratioque poteſt in *naturaliſticam* et *ſcientificam* diſpeſci. *Naturaliſta* rationis purae decretum ſequitur hoc: ratione communi ac vulgari ſine ſcientia (quam rationem ſanam vocat) ratione maximarum quaeſtionum, quibus problema efficitur metaphyſices, plus poſſe confici, quam contemplatione. Itaque contendit, et magnitudinem lunae et diſtantiam certius poſſe menſura oculorum conſtitui, quam ambagibus mathematicis. Quod quidem non eſt, niſi miſologia quaedam, ad decreta reuocata, et, quod abſurdiſſimum eſt, deſpicientia omnium ſubſidiorum artificialium, pro *via* laudata *peculiari* quadam, cognitionis augendae atque amplificandae. Namque quod naturaliſtas attinet, ex *defectu* maioris perſpicientiae, nil quidquam iis iure poterit culpae tribuere. Rationem ſequuntur communem, neque de ignorantia ſua glorientur quaſi de quadam via methodoque, quae arcanum in ſe contineat, veri e profundo Democriti puteo hauriendi. Quod ſapio, ſatis eſt mihi; non ego curo, eſſe quod Arceſilas aerumnoſique Solones, *Perſ.* ſymbolum eorum eſt, in quo

contenti poſſunt viuere adſenſuque digni, neque ſcientiam curare, neque negotia eius confundere.

Quod eos attinet, qui viam methodumue ſpectant ſcientificam, iis optio erit, aut *dogmatice* vt agant, aut *ſceptice*, ſed ſemper tamen iis incumbet eſſe *ſyſtematicis*. Quodſi hoc loco ratione dogmaticorum celeberrimum *Wolfium*, reſpectu ſcepticorum *Dauidem Humium*, laudem, caeteros pro inſtituto meo praeſenti mittere poſſum illaudatos. Vna adhuc via patet critica. Quam ſi me comite humaniter patienterque abſoluerit, lector nunc iudicet, anne, ſi, quantum in ſe eſt, ad id conferre libuerit, vt hic trames in viam publicam mutetur, ea, quae permulta ſecula non potuerunt, ante quam hocce praeſens elapſum fuerit, poſſint attingi: nempe vt humana ratio in iis, quae ſtudium diſcendi eius, ſed fruſtra, huc vsque occupaſſent, expleri prorſus queat et ſatiari.

2,67 209

Digitized by Google